



LIBR
VIC
PLA



CARPENTARI

latonis cū Artib

totele

Universam Phi

low.



17 +



A-71-

PLATONIS CVM
ARISTOTELE IN VNIVERSA
PHILOSOPHIA, COMPARATIO.



Quæ hoc Commentario, in Alcinoi Institutio-
nem ad eiusdem Platonis doctri-
nam, explicatur.

AVTHORE IAC. CARPENTA-
rio, Claromontano Bellouaco.

AD ILLVSTRISSIMVM GALLIÆ CAR-
dinalem & Principem, Carolum Lotharingum.



42209

Provinciae Loyolensis S.I.
Facult. Philosophiae
Bibliotheca

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I.

PARISIIS,

Ex officina Iacobi du Puys, è regione Collegij Came-
racensis, sub signo Samaritanæ.

1573.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Extrait du Priuilege.

PAR lettres de Priuilege donnees à Amboise le deuxieme iour de Ianuier 1572. est permis à Iaques du Puys, Marchant, Libraire Iuré de nostre Vniuersité de Paris, imprimer, ou faire imprimer en tel lieu que bon luy semblera, tous les liures de Maistre Iaques Charpétier nostre Professeur, & Docteur en Medecine en nostre susdicte ville, & defences à tous Libraires & Imprimeurs de nostre Royau-me, de n'imprimer, ny faire imprimer, vendre, ny distribuer autres que ceux que ledict du Puys aura imprimé, ou fait imprimer, durât le temps & espace de six ans, à conter du date que lesdicts liures seront acheuez d'imprimer, sur peine de confiscation, & d'amende arbitraire, dommages & interestz de l'exposant, comme plus à plain apert & est declaré par lesdictes lettres.

Signé.

DE VABRES.



ILLVSTRISS. GAL-
LIAE CARDINALI ET PRIN-
CIP I, CAROLO LOTARINGO,
Meccenati suo.

Iac. Carpentarius. S.



MINISTI, Cardinalis & Princeps illustriſſis. cùm ante annos ſex tibi in urbem redeunti, pauci collegæ (vix verò plures in veterè diſciplina apertè permanferant) de Regionum Profeſſorum gymnaſio, cuius clauum tenes, ad Sandionifium tuum gratulandi cauſa conueniſſemus, & de vniuerſæ rei literariæ calamitate, de aliorum collegarum, quos nihil neceſſe eſt nominari, ſtudio nouandi pauca tecum eſſemus loquuti, atque in illis penè iam in extremam deſperationem adducti, tantum habere videremur quod lugeremus, tum te non tam fortasſe ſpem vultu ſimulantem, quàm altum dolorem corde prementem, nos vt rerum meliorum aliqua expectatione confirmares, in hanc ſententiam eſſe affatum? In tenella Regis noſtri ætate omnem fortunam ferendo ſuperandam eſſe: ſperandumque ſi hic, Dei gratia, adoleſceret, futurum aliquando vt cœlum quod tum in vniuerſa Gallia denſiſſimis nubibus tegebatur, iuſdem diſcuſſis, clarifſimo ſuo Sole nos ſuauiſſimè recrearet. O fœlix fauſtumque & vno verbo ſumma omnia complectar, te dignum angurium. Iam verò Regis noſtri Chriſtianiſſimi ætate ſolum ineunte, atque in hac pietate incredibili iuſtitiam excitante, Lucetiana aurora nubes illæ diſcuſſæ ſunt, Cardinalis & Princeps illuſtriſſis. clarifſimus Sol, idemque ſuauiſſimus Galliæ illuxit, & quanquam ſuperiore menſe Auguſto, talis tamen,



EPISTOLA.

*Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluuenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.*

In quo ut erit posthac Carolo nostro Regi apud omnes bonos, Christianæ sacræque maiestatis augustum perpetuumque monumentum: sic tuorum summa gloria. Quos ut Regi in difficillimis illis nubibus maxima fide semper adfuisse certum est, sic profectò æquissimum eisdem, renato clarissimo isto Sole, inter cæteros imprimis recreari. Imò verò Dei Opt. Regisque beneficio iam ita recreari sunt, ut vix quicquam sit quod ad amplissimæ tuæ familiæ felicitàtem accedere posse videatur. Quid ergo restat quod tibi ex Italia ad nos redeunti, summis quidem laudibus ornato, sed in hac noua luce, de restituta religione multò magis gestienti, hodierno die præcemur? Olim, Diagoræ qui vno die tres filios victores Olympiæ viderat, quendam qui eiusdem fortunæ spectator extiterat, dixisse ferunt, Morere Diagoræ: iam enim in cælum ascendes. Ego verò in quantauis nominis tui celebritate, tuæque familiæ amplitudine, qua vix vlla maior humanitus contingere posse videtur, non dicam te satis regno nobisque vixisse, nisi prius in hac vniuersi schola, vniuersam rem literariam composueris. Quam si in suam integritatē restitueris, regni religionisque seminarium eadem opera valde excolueris. Quo ut neglecto, hætenus in nauigando maximè laborauimus: sic sedulò & gnauiter repurgato, posthac in omnibus regni partibus & ordinibus secundiore nauigatione fruemur. Hanc curam, mihi crede, Mecænas optime, bonorū omnium iudicio debes literis quæ te exornant, ipsique Academiæ quæ te aluit & instituit. Cuius ruina iam in promptu est, nisi breui tua manu sustineatur. Ad eam verò iam pridem expetitam, ut commodiore occasione te inuitare possemus, Philosophicum opus hoc pro vniuerso Philosophorum ordine, qui eadem imprimis expetit, tibi vouimus & consecrauimus. Quod si qua soles omnia, humanitate exceperis, huiusque voti nos cōpotes reddideris, simul quoque vniuersam Academiā felicitàssimè optatissimoque tuo reditu beaueris. Quæ hoc beneficio ad alia penè infinita accedente, de tuis tuorumque laudibus nunquam conticecet, Bene vale. Datum ex vrbe, Idib. Ianuar. Anno 1573.

FRANCISCI BRIGARDI ORBACENSIS, DOCTORIS ET REGII MEDICI, In operis commendationem, Carmen.

*Si quodcūque serax tam vasto terra theatro
Protulit, atque caui cingitur arce poli:
Aeria si quod volitat regione, beatas
Si qua tenent sedes numina, nosse cupis:
Hæc Carpentari patulo tria suggerit ore
Pagina, ne quæras qua satiare magis.
Hinc rerum causas cælique solique recessus,
Hinc superum disces mystica sacra deum:
Dum veneranda duo sophiæ quæ lumina monstrant
Aestiuâ hinc referes lucidiora die.
Peruiâque agnosces fuerant quæ deuia, noctem
Dum rutilo pellet lumine clara dies.
Purpureos igitur flores, hæc lilia lector
Collige & his nodos soluere disce, Vale.*



AD CARPENTARIUM MEDICVM
doctorem & Regium professorem, In Alcinoi
Epitomen, & eiusdem explicationem.

Maximus ille Plato libris comprehenderat amplis
Naturam, mores, oppida, sacra, Deum.
Hæc tamen angustis constrinxerat omnia chartis
Alcinous, magni parua figura viri.
Sed tu quodque Plato, simul interpretæque Platonis,
O Carpentari perficis Alcinoüs.
Qui quod ab Alcinoo strictum est arctante Platonem,
Strictius & cohibes, fundis & explicitum.
Scilicet eiusdem est vel multis dicere multa
Vt Plato: vel paucis plurima, vt Alcinoüs.

Io. Auratus Poëta Regius.

LEODEGARIVS A QVERCV SVO COLLEGÆ
Iacobo Carpentario Lectori Regio. S.

Scipio rescindi vetuit Carthaginis arces,
Ne sine cotricula Roma maneret hebes.
Sic ego nolueram vt nuper raperetur in vndas
Thesſalus (etsi illo dignus erat tumulo)
Ne tibi, dum sophiæ stadium percurris anhelus,
Deficeret calcar quo stimulare magis.
Huius at interitu terris, vndisque cupito
Plus solito ad sophiam mens tua acuta redit.
O igitur citius Neptuni regna subisset
Thesſalus, vt citius nando tulisset opem.
Vale.

ΕΙΣ Ι. ΚΑΡΠΕΝΤΑΡΙΟΝ ΤΟΝ
Αλκινόου φιλοσόφου Πλατωνικῆς ἐξηγητῆν.

Ατθίδος εὐγλώσσα θεῖον γόμα, κείνος ὁ κύκνος
Εκ κόλπου κατ' ὄναρ Σακράτους πλάμενος,
Ες νοεράς φύσις καὶ ες ἔρανον ὄμμα πταίνων,
Εἰς βλεψέ θεῶ φέγος ἐπουράνιον.
Μακάριον Σαμίω κερύσσει κρητῆρι τὸ νᾶμα,
Σακρατικήν σοφίην πύξατο χειρότερον.
Εἰδὲ μακρὸς δοκέει καὶ ὄρδιος ὄμιος ἐπ' αὐτῷ,
Καὶ τρηχὺς κρημνὸς δυσκολίην παρέχει.
Ευθὺς ὀδηγήσῃ σ' ἱερὸν μένος Αλκινόοιο,
Κύεα τῶδ' αἰδρὸς δόγματα συνθέμενος.
Αὐτὰρ ὁ Καρπενταίος (ὃ κλέος ἔρανον ἵκει)
Τ' ἑλλιπέες Αλκίνοῦ εἰς ὄλον ἤρανισσε.
Μῆτιν Δεισοτέλης καὶ θεῖα νοητὰ Πλάτωνος,
Δήραθ' Ἰππικράτους συμποδὸν ἑλλάλομενος.
Τρηχέα λειήνας, λαμφούνας πάντα σκοτεινά,
Ἀρμονίην σοφίης ἐξεπέλεσεν ὄλης.

N. Γελ. Αὐρ. Γαμβ.



IDEM EX GRÆCO LATINE
expressum.


Atticus ille lepos, altissimus ille sophorum
E gremio volitans Socratis albus olor
In cælum superosque deos sua lumina figens,
Intuitus lumen quod super astra micat.
Mosaicum famio miscens cratere liquorem
Augustam sophiam Socratis ipse dedit.
Quod si longa via est atque ardua qua petit illam,
Si præceps summo vertice terret iter.
Alcinous facilis, recto te tramite ducet,
Qui bene compegit dogmata lecta viri.
Carpentarius hinc, fama super æthera notus,
Defectum Alcinoi supplet & auget opus
Lumen Aristotelis, diuinæque sensa Platonis,
Et mentem Hippocratis comparat atque docet.
Aspera complanans, obscuris dans quoque lucem,
Expleuit sophia totius harmoniam.



Index totius operis locupletissi-
MVS, IN QVO LITERA. P. SINE
V LLO NUMERO, INDICAT
totius operis præfationem.

In reliquis, prior numerus, paginam, posterior operis partem
priorem vel posteriorem indicat.

<i>A</i>	<i>ἀνοσιον</i> quid	276.2
	Aegyptii quantum Plato tribuat in phi- losophando	p.
	Aegyptii Plato credi vult sine ratione.	p.
	Aegyptii in philosophando omnium excel- lentissimi	p.
	aëri cur figura octahedra	303.1
	aër in aqua nullus Arist.	432.1
	aër quo modo in respiratione refrigeret cum sit natura calidus	435.1
	Aeternitas à tempore quo differat	320.1
	affectuum animi diuisio in efferatos & mites	144.2
	affectus animi vel perturbatio, an morbus dici possit	146.2
	affectus siue perturbatio animi	143.2
	affectus animi quibus nominibus expri- mitur	146.2
	affectus animi non sunt voluntarij	143.2
	affectus animi an toto genere vitiosi sunt, an non	ibidem.
	agens primum quid	275.1



I N D E X.

Agrippa testimonium de magorum impostura in inscriptionibus suorum librorum. 357.1
 Alcinoi videtur Didymus magister D. Hieronymi. p.
 Alcinoi in artificio differendi magis sequitur Aristotelem quam Platonem. 166.1
 Alcinoi quid agat hoc libro. p.
 Alcinoi in arte differendi sequitur magis Arist. quam Platonem 44.1
 Alcinoi huius cum Timaeo Platonis comparatio 379.1
 Alcinoi antea vix fuit de nomine cognitus 292.2
 Alcinoi inscriptio quo modo latinè reddenda 200.2
 Alcinoi interpretatio cur recognita post Marsilium Ficinum 189.2
 Alcinoi quis esse videatur & quib. temporibus vixisse p.
 Alcinoi obscurissimus 199.2
 Alimentum quo natura scopo ab unaquaque parte coquatur 386.1
 Alimentum quam variè dicatur 386.1
 ἀλιμωσις quid, & quo modo latinè reddi possit 229.2
 ἀλιμωσις quid 207.2
 Amatorij affectus tres speciei differentes 152.2
 amatoriae leges 153.2
 amatores, dimidium sui quo modo dicantur in amato requirere 158.
 amatorius affectus ad amicitiam quo modo se habeat 158.2
 ἀμωσις quid male redditur latinè à Logo-dedalo, immortalis 266.2
 amicitia per morum similitudinem affigitur, ut sint amicorum communia omnia 154.2
 amicitia quo modo triplex Arist. 155.2

amicitia quid 152.2
 amicitiae species adulterinae 152.2
 amor incorporatus, demon potius quam Deus 153.2
 amoris quanta vis sit in efficienda imaginatione vel cognitione 154.2
 amor & philosophia animo parant reditum in caelum 368.1
 Analytica & Topica apud Arist. non sunt unius artis 149.1
 analysis & genesis non possunt includi eadem specie methodi 125.1
 analysis Thessalo à partibus ad totum 128.1
 analysis quo modo artes inveniuntur & explicentur 69.1
 analysis quae apud Thessalum continet 128.1
 analysis quam variè secundum Proclum dicatur 118.1
 analysis vocabulum Aristotelicum magis quam Platonicum 50.1
 analysis an vocabulum Platonicum 115.1
 analitica methodus non progreditur à prioribus natura, contra Thessalum 117.1
 analytica methodi ratio in tribus extremis scientiarum 117.1
 analysis quot species habeat 39.1
 analytica posteriora apud Aristotelem quid complectantur 140.2
 analysis Arist. quid complectatur 116.1
 analytica ars cur ea dicatur quae est de demonstrando 51.1
 analysis à demonstratione quo differat 51.1
 analitica priora & posteriora apud Arist. faciunt unum opus 150.1
 analysis Thessalo à confusis, & ad confusa 146.1

I N D E X

analyticus descensus à generalibus, an à natura prioribus 159.1
 analysis ad genesis quo modo se habeat 70.1
 analysis an ad confusa progrediatur 145.1
 analysis quo modo artes peperit 68.1
 142.1
 analytica ars apud Aristotelem unde nomen habet 160.1
 analysis geometrarum qualis 51.1
 analysis multiplex significatio 50.1
 Anaxagora pergrinatio p.
 Anaxagora physica cur à Platone reprehensa 174.1
 animus humanus in corpore est dupliciter 221.2
 animus humanus quo modo suo corpori praesse & imperare dicatur 9.2
 animi in corpus imperium Arist. quale 11.2
 animus quo modo per se dicatur vitam dare 8.2
 animus sentiens an Platonicis sit immortalis 65.2
 animus vinculum mentis cum corpore 240.2
 animi humani functiones quaedam corpori addictae, aliae ab eodem separatae 33.2
 animus ratione corporis multis mutationibus obnoxius 63.2
 animi & corporis sympathia 67.2
 animi immortalitas in Arist. doctrina dubia 385.1
 animi maxime principes facultates quae faciunt distincta genera rerum animatarum 471.1
 animus humanus quo modo dicatur quinta essentia constare 368.1
 animi humani è divina mente decerpti 368.1

animus quousque ab ipsis astris patiatur 369.1
 animus Platoni suo corpore est antiquior 373.1
 animi distinctio secundum sedes, confirmatur 450.1
 animus dicitur à Platone suum corpus amare & odio habere 374.1
 animus in nobis substantia esse unicum mine exornatur 375.1
 animi conditionem post vitam hanc, nusquam Arist. aperte explicat 385.1
 animi humani stellis numero respondens 367.1
 animus propinquus rei indissolubili 5.2
 animus, numerus seipsum mouens 19.2
 animi motus ex Platone quales 18.2
 animorum triplex conditio post vitam hanc 376.1
 animi facultates in conformatione hominis comparantur inter se 25.2
 animi immortalitas cur Aristoteli non satis definita 14.1
 animi partes quo modo distinctae 464.1
 animi partes cum partibus rerump. comparantur ex Plat. 160.2
 animi in corpore & extra corpus, cognoscendi modus quo differat 35.1
 animus quo modo passio fato retineat suam libertatem 71.2
 animus uniuersi cum nostro eiusdem conditionis in immortalitate 3.2
 animi partes quae traducantur cum semine, & quae extrinsecus adueniant 453.1
 animi & corporis in nobis idem initium ex Gregorio Nysseno 460.1
 animorum immortalitas à quibus philosophis posita 5.2
 animus cur in corpus descenderit 368.1



INDEX.

- animi duplicis, ad corpus duplex quoque habitudo 68.2
animus quibus gradibus sibi paret ascensum in calum 36.1
animus quibus gradibus ad ideas ascendat 201.1
animi ala 35.1
animi motio etiam Aristoteli, quanam sit 273.1
animi cognitio quo modo comparetur, agendone an patiendone 34.1
anima mundi à Platonicis posita, videtur esse pro diuino spiritu 235.1
animi impetus in hominibus, & in belluis quo differant 88.2
animus non potest dici corporis temperatio 5.2
animus mente inferior 35.1
animus Deum cognoscens efficitur quodammodo Deus 233.1
animos singulis hominibus proprios à prima mente distinctos, immortales esse 32.1
animi ala dua 375.1
animi à corpore separatio philosophica duplex 4.1
animi à corpore auersio qualis 4.1
animus humanus transit aliquando in vitam belluam 384.1
animi partes sedibus distincta 449.1
animus Aristoteli tabula nuda 35.1
animi cum corpore comparatio duplex 374.1
animus Platoni tabula rasa 35.1
animus substantia vnus & simplex an moueri possit contrariis motibus, in impotentibus & intemperantibus 466.1
animi nostri nulla pars fuit ante corpus Aristoteli 29.2
animi partes quo modo distinctis corporis partibus attributa 454.1
animi ascendunt per Capricornum, descendunt per cancerum 368.1
animi operationes triplices 33.2
animi doctrina physica debet etiam habere rationem corporis 68.2
animi immortalitatem quibus rationibus Platonicis confirmant 1.2
annus magnus iubilus quis 322.1
animi nostri pars superior non est subiecta fato 76.2
animi conditio secundum tria tempora theologis nostris non est omnino definita 371.1
animi immortalitas quo modo contrariis argumentis veniat in dubitationem apud Arist. 26.2
animorum immortalitas octo rationibus Platonicis confirmatur 7.2
animos mortales qui asseruerint 6.2
animorum immortalitas difficile persuaderi potest 6.2
animi definitio qualis apud Aristotelem 25.2
animi purgatio philosophica, antecedit contemplationem 4.1
anima mundi quo ordine explicanda 310.1
animus cere similis 33.1
animus supra factum, in fato & subfatio 76.2
animi partes sedibus distincta 579.1
animi soluti corporibus quibus rebus soleant delectari 109.2
animos immortales migrare in varia corpora, etiam belluarum 3.2
animi partes Plato non videtur re & substantia distinxisse 453.1

INDEX.

- animi ratiocinantis origo qualis, veteribus philosophis & Theologis 458.1
animi facultates inferiores non sunt proprie in eius essentia 456.1
animus essentia vnus, an possit in se habere aliquid mortale, aliud immortale 456.1
animi partes variae vnde habent suam originem 449.1
animi partes omnes cur non eodem tempore videantur inesse fetui 469.1
animus an totus in toto corpore, & totus in qualibet eius parte 472.1
animus qualis post vitam hanc 375
anima mala quae seruit corpori 269.1
anima plantarum nonnullis etiam immortalis 66.2
anima Platoni harmonia quadam constat, non tamen ea quae corporis 314.1
anima mundi quomodo sit in toto mundo 263.1
anima Platoni orta, & ortus expers, sine vlla inconstantia 315.1
anima potius propter similitudinem quam dissimilitudinem, res cognoscit 315.1
anima partes & facultates accommodantur eiusdem compositioni 312.1
anima quomodo preparanda ad caelestes influxus 364.1
anima mundi situs & distinctio 308.1
animam in suis partibus vel facultatibus, quid habeat idem, quid alterum 319.1
anima compositio ex numeris 313.1
anima origo apud Platonem, rationis tantum non rei 315.1
anima quomodo insita vis cognoscendi omnia 311.1
animarum omnium an sit vnica idea 290.1
anima quid habeat in se dextrum, quid sinistrum 319.1
anima Platoni orta secundum relationem ad corpus 315.1
anima, vita ipsa aliquando dicitur 8.2
anima mundi quomodo in huius medio esse dicatur 317.1
anima concentus qualis 320.1
anima compositio Platonica ex eodem & altero 311.1
anima in mundo cur prius explicetur, quam corpus 30.1
anima mundi à prima mente quo differat 316.1
animalia mortalia à diis minoribus procreata 328.1
animalia ratione videntia quaedam in omnibus 326.1
animal commune quomodo singularibus profertur 27.1
animalia quaedam quomodo dicantur temperamento frigida 441.1
animal vniuersale quomodo sit post singularia 55.1
animal vniuersale quomodo post singularia animalia 210.1
Annus magnus Platonis qualis 309.1
Angulus Pythagoreis qualis & quae eius vs in rebus ipsis 306.1
angulus rebus consecratus diis puris 306.1
ἀποβάλλει, an significet repudiare 258.1
αἰσθητὸν aptè dici latine, sensibile, contra Logodadalum 193.2
Apollonij Tyanci peregrinatio p.
Apollonij Tyanci admiranda opera qualia 339.1
ἀνταποδοτικὸν quid 273.2
Aqua calorem fusum continet, sine aere tamen 433.
aquarum in caelo, & sub caelo distinctio 295.1
aqua figura cur icosaedra 303.1
Argumentationum fallaciarum diuisio ex Aristotele 21.1




I N D E X.

argumenti & methodi potest esse commune nomen	124.1	aristoteli animus tabula nuda	35.1
argumentandi modi in hypotheticis	16.1	aristotelis disputatio contra summum bonum Platonium	106.2
Aristotelis doctrina consentiens cum Christianorum libero arbitrio	94.2	aristoteli opinio de intellectu agente cur vs que adeo obscura	5.2
Aristotelis loci quibus declarat quid de mente sentiat	22.2	aristoteles cognouit animi quandam functionem non communicantem cu corpore	56.2
Aristotelis propria ratio unica ad immortalitatem expenditur	23.2	aristotelis sententia de immortalitate est dubia	25.2
Aristoteles nonnullis videtur mortalitatis animorum assertor	20.2	aristotelis rationes contra eos qui animi ponunt in harmonia corporis	10.2
Aristoteles in quaestione de immortalitate obscurus & varius	20.2	aristoteles non est ausus demones aperte improbare	338.1
Aristotelica rationis ad immortalitatem difficultas est in assumptione, non in propositione	25.2	aristotelis locus de mente extrinsecus adueniente, male expositus a Simone Portia	52.2
Aristotelis contra Platonem disputatio de peccatis & vitiis, an sint inuoluntaria	138.2	aristotelis rationes contra Platonem de vnioune ciuitatis	163.2
aristotelis sententia de ratione paranda virtutis & felicitatis	112.2	aristoteles videtur demones irrisisse	316.1
aristoteles videtur ipsam naturam appellare fatum	83.2	aristotelis sententia de respiratione	431.1
aristoteles libertatem voluntatis nostrae tueri voluit	81.2	aristoteles repudiat ideas	181.1
arist. opera acroamatica & exoterica	67.1	aristoteles & plato circa materiam in quo consentiant & differant	181.1
aristotelis obiectiones contra octauam rationem Platonis ad immortalitatem	19.2	aristoteli Deus vnicus	240.1
aristotelis opera vnde distincta in acroamatica & exoterica	106.2	aristoteles cur non egerit de syllogismis hypotheticis	164.1
aristotelis cum Platone comparatio difficilis p.		aristoteles quo animo Platonem exagitet in philosophando	p.
aristotelis & Platonis in philosophando consueudo	p.	aristoteles cur non satis definit de animi immortalitate loquatur	14.1
aristotelis cum Platone comparatio in Ethicis	p.	aristotelis sententia de mundi aternitate	283.1
aristoteles certat cu Platone de philosophiae principatu	p.	aristoteles contra Galenum defenditur de modo videndi	403.1
aristotelis cum Platone comparatio philosophis necessaria	p.	aristot ingenium in philosophando	337.1
aristoteles in Logicis quo modo a Platone dissentiat, vel cum eodem consentiat	p.	aristotelis cum Platone conciliatio de modo videndi	405.1
		aristoteles de somni causis contra Galenum defenditur	41.1
		aristoteles contra Cardanum defenditur de modo videndi	407.1

I N D E X.

aristotelis cum Platone comparatio de natura oculorum	398.1	re mascula	159.2
aristotelis cum Plat. comparatio in distinctione principii facultatis animi	470.1	aristotelis rationes contra recordationem vitae superioris a Platone positam	14.2
aristoteles vsus est sati nomine, sed fatum non declarauit	82.2	aristotelis cum Platone comparatio in phisicis	p.
aristotelis cu Platone comparatio in quaestione de numero principiorum	181.1	aristoteles methodus in philosophia	p.
aristoteli pleraque a veteribus Theologis attributa, quae ab eius doctrina aliena	84.2	aristoteles damnatur a Tertulliano, laudatus a D. Hieronymo	p.
aristotelis rationes contra Platonem de modo videndi	402.1	aristoteles singularis methodi artifex	66.1
aristoteles non vult somnia immitti a diis	364.1	Aristotelis Ethica quomodo sint distincta	3.1
aristoteles multa vsurpat ex Hippocrate, quem tamen nusquam nominat	477.1	aristoteles nullo loco videtur aperte exposuisse suam sententiam de demonibus	335.1
aristoteles respirationem distinxit ab oculata perspiratione: in quo a Galeno falso reprehenditur	430.1	aristoteles animum ponit in corde	472.1
aristotelis comparatio cum Pythagora & Platone in doctrina de principii elementorum	305.1	aristotelis materia prima ab Aristot. quomodo differat	182.1
aristotelis cum Galen. comparatio in quaestione de medulla	384.1	aristotelis & Platonis rationes de mundo cur vnus examinantur	287.1
aristoteles non videtur animum humanum ponere priorem corpore	384.1	aristoteli vitrum sedes primi sensus sit in corde	390.1
aristotelis sententia melior quam Platonis de natura oculorum	401.1	aristoteles a Plinio reprehensus de piscium respiratione	433.1
aristotelis sententia de mentis humana origine	458.1	aristotelis rationes contra Platonem de natura oculorum	400.1
aristotelis & Galeni comparatio in brachiarum vsu	432.1	aristoteli qui motus simplices	297.1
aristoteli videre nos partim recipiendo partim emittendo	405.1	aristotelis locus de anima compositione Platonica	311.1
aristoteles sensus sedem non ponit in cerebro, contra Seb. Foxtium	392.1	aristotelis, Platonis & Galeni comparatio in distinctione saporum	420.1
aristot. sententia de metempsychosi	386.1	aristoteli caelum animatum	325.1
aristotelis sententia contra Pythagoreorum figuras	302.1	aristoteles excusandus in quaestione de respiratione piscium	434.1
aristotelis & Platonis sententia de Venere		aristotelis sententia de Dei nominibus variis	266.1
		aristotelis varia testimonia de Deo	240.1
		aristoteli & Platoni quorum sit Scientia	29.1
		aristoteles Dei essentiam, & actionem ponit in contemplatione	247
		aristoteles de opinione Platonem reprehendit	31.1



I N D E X.

aristoteles an ideas approbaverit 222.1
 aristoteles de Deo pie loquitur 239.1
 aristotelis unica ratio ad immortalitatem
 in lumine natura omnium optima 65.2
 aristotelis in moralibus explicandis ingenium quale 104.2
 aristoteli Deus mouet quidem, non tamen mouetur 272.1
 aristoteles ideas separatas in Platone, quomodo exagiret 203.1
 aristoteli quid imaginatio, contra Platonem 32.1
 aristoteles Platone superior philosophandi methodo p.
 aristoteles in physicis Platone superior p.
 aristotelis acumen in distinguendis elementorum primis qualitibus 293.1
 aristoteli Deus vnus 175.1
 aristotelis & Platonis comparatio in questione de ideis & vniuersalibus 204.1
 aristoteles quomodo possit in Scholis tractari commodius 214.1
 aristotelica rationis ad immortalitatem, fundamentum 24.2
 aristotelis sententia de diuina prouidentia 175.1
 aristoteles in ideis quid potissimum soleat reprehendere 203.1
 aristoteles Deum cognouit, sed in principis physicis, non posuit, & quare 181.1
 aristoteles Platonem reprehendit, quod virtutes omnes dixerit particulas prudentie 125.2
 aristotelis sententia de Deo 237.1
 aristoteli quantum tribuendum 196.1
 aristotelis qualis distributio artis differendi 45.1
 aristotelis sententia de fato 82.2
 aristotelis cum Platone comparatio, in rationibus quibus probatur distinctio partium animi 473.1

aristotelis explicatio 1. cap. libr. 1. physic. 146.1.
 aristoteles duplicem methodum explicat in Analyticis & Topicis 140.1
 aristoteles cur a Platone dissentiat in questione de mundi origine 282.1
 aristoteli & Galeno pisces quidam manifeste respirant 432.1
 aristotelis explicatio in conciliatione locorum de sede primi sensus 392.1
 aristoteli celi natura qualis 322.1
 aristoteles quomodo naturam dei vix dicat 336.1
 Arbitrij libertas an possit cum fato consistere 95.2
 Arithmetica & Geometria cur magis proprie numerentur in Mathematicis, quam Musica & Astrologia 176.1
 arteria venarum nomine continentur apud veteres 387.1
 artium compendia an debeant semper a definitione incipere 155.1
 artium duo prima genera Platoni 116.2
 artis differendi apud Aristotelem distributio 45.1
 artes quomodo per analysin inueniantur 142.1
 artium compendia qua methodo soleant explicari 73.1
 ascensus ad Deum quomodo parandus 6.1
 ascensus ad summum bonum quomodo sit parandus 105.2
 aspectus radius quomodo reflecti dicatur cum non sit corporeus 416.1
 aspectus medium debeat ne esse plenum a liquo corpore, an inane 411.1
 aspectus reliquis sensibus diuiniior 401.1
 aspectus natura igneae sit an aquea 398.1
 aspectus & tactus duo primi sensus, sed ratione diuersa 291.1
 aspectus & tactus quales sunt inter ipsos sensus

I N D E X.

sensus 291.1
 aspectus radius quam varie corporibus obiectis excipiatur 416.1
 aspectus natura aquea potius quam ignea 399.1
 Astra sunt in Deorum numero 297.1
 astra habent sensum quendam, & intelligentiam 297.1
 astra Platoni animata 325.1
 astris etiam sensum inesse 325.1
 astronomia vsus 170.1
 astronomia cum musica comparatio 177.1
 Athanasius rationem Platoniam ad immortalitatem magna ex parte probauit 17.2
 Athanasii ratio, Deum esse vnicum, quia mundus vnicum 290.1
 Attica terra quare videtur Platoni prima hominem procreasse 367.1
 auditus in nobis qualis 395.1
 Auerois contra Galenum opinio de respiratione 436.1
 auerroes Galeno obiicit ignorationem logicarum artium 436.1
 auerrois opinio de Deo quo modo cognoscatur 258.1
 auerroes non tribuit caelo materia 195.1
 auerrois opinio de intellectu agente 44.2
 augures Romae quales 366.1
 Augustinus male Platonem arguit inconstantia 315.1
 augustinus fatetur deceptum se Platonis lectione in questione de mundo 283.1
 augustinus Platonem reprehendit in questione de animo 34.1
 augustinus recordationem vite superioris probauit aliquando cum Platone 12.2
 augustini opinio de metempsychosi 371.1
 augustini questiones de animi humani origine 459.1
 augustinus de animalium procreatione pla-

tonem reprehendit 360.1
 augustino demones sunt aerei 343.1
 augustinus assertor liberi arbitrij 92.2
 augustinus de astris dubitauit an essent animata 326.1
 augustinus probat ideas 193.1
 augustini testimonio homines quidam magis artibus in iumenta conuersi 377.1
 augustini rationes contra recordationem vite superioris a Platone positam 13.2
 augustini sententia de animi sede 472.1
 Augustus Caesar aram extruxit primogenito Deo 340.1
 Auicennae opinio ad metempsychosin pertinens 376.1
 Auratus felicissimus in restituendis libris veterum 189.2

B

Beatus-ne quis in vita hac 107.2
 Belluarum & hominis iudicium quod differat 27.1
 belluarum an sermo quidam sit 66.2
 Bernardi ratio ad immortalitatem, cum Platonica consentiens 7.2
 Bessarj Cardinalis opinio improbat 14.2
 Bessarionis sententia de idearum separatione 104.1
 Bessario de comparatione Platonis cum Aristotele in materia 183.1
 Bonum summum in quo a Platone positum 100.2
 bonum ipsum cur pulchro superius 274.1
 bonum summum non facile potest inueniri, nec tunc cum omnibus communicari 100.2
 bonum & pulchrum quomodo se habeant ad inuicem 274.1
 bonum summum Platoni in idea est po-




INDEX.

- sita* 105.2
Bonorum gradus & genera quàm variè à
Platonis distinguantur 108.2
boni filius Sol quomodo dicatur 105.2
bonum absolutè quid 100.2
bonum quomodo omnia appetant 139.2
bonum quodammodo appetere etiam eos
qui sua sponte laqueo vitam finiunt
139.2
bonum summum cur non est communi-
candum cum omnibus 106.2
boni summi explicatio quomodo tentanda
105.2
bonum summum non assequimur viribus
nostri ingenij 105.2
boni ipsius cum lumine comparatio
264.1
Branchiarum usus in piscibus 432.1
- C
- K**ausa quomodo quid, & unde dicta
103.2
Caloris & frigoris natura & causa pla-
toni 396.1
Calor homini natiuus, igneusne sit an ce-
lestis 380.1
calor non est anima, sed tantum primum
animi instrumentum 382.1
calor natiuus resistit putredini, externus
eamdem inducit 442.1
calor natiuus quomodo diuinus ab Ari-
stotele dicatur 21.1
Causa efficiens duplex 280.1
causa exemplaris qualis 280.1
causa idealis non est ab ipsa forma sepa-
randa 280.1
causa metaphysica quales 174.1
causa organica an nouam speciem faciat
ab aliis distinctam 280.1
causae quales in partibus animalium cõ-
- sideranda* 380.1
Cardanus parum piè videtur explicare
Christi genesin 75.2
Cardano morbi demones quidam sunt
349.1
Cardani rationes contra Aristotelem de
modo videndi 407.1
cardani opinio de intellectu agente, perni-
ciosa 54.1
cardano animus noster secundum Platonem
substantia vnicus 465.1
cardani maxima licentia in quaestione de
demonibus 340.1
cardanus de metempsycho reprehenditur
386.1
cardani rationes contra Aristotelem de
modo videndi 402.1
cardani parum pius animus in religionem
Christianam 341.1
cardanus demoniacorum causam retulit
ad humorem 349.1
Carnis nomen quomodo sit accipiendum
in Timæo Platonis 246.2
Cari à veterno distincti 240.2
καρπος quid 239.2
Calum Platonis sit ne natura simplex an
mixtum 294.1
calum Auerrois non componitur ex ma-
teria & forma 185.1
calum quomodo dicatur quatuor elemen-
ta continere 295.1
cali nomen pro mundo, Platonis & Arist.
frequens 292.1
calum præter animam informantem in-
diget intelligentia assistente 325.1
calum Aristoteli animatum 325.1
calum Origeni animal 326.1
cali motus à qua anima facultate
325.1
cali in mundo & partium eius motus
308.1

INDEX.

- calum in suis partibus quid habeat idem,
quid alterum 319.1
calum an constet portione quadam terre-
na 294.1
calo primo constantia, septem inferioribus
diuersitas & mutatio quomodo tribua-
tur 319.1
calum in suo motu non admittit raptum
322.1
cali natura Aristoteli qualis 322.1
cali concentus 319.1
cali corpus quomodo particeps eiusdem &
alterius 312.1
cali motus circularis à quo & quomodo
excitetur 298.1
calum Platonis Deus quidam 326.1
cali pars dextra & sinistra qua 318.1
Caestia corpora an materiam habeant,
& qualem 184.1
caelestibus corporibus inest materia vt &
subiectum 185.1
caelestium orbium forma motrices duæ
283.1
caelestis regionis cum elementari compara-
tio 323.1
caelestis motus cur in orbem 297.1
caelestium orbium quis numerus 323.1
caelestes sphaera octo quomodo se habeant in
toto corpore caelesti 322.1
caelestium & horum inferiorum mate-
ria quomodo eadem & diuersa
185.1
Cerebri usus ex Aristotele ad temperan-
dum cor 475.1
cerebrum Aristoteli expers sensus
393.1
cerebrum quem usum in corpore habeat se-
cundum Aristotelem 382.1
cerebrum an neruorum origo apud Plato-
nem 389.1
cerebri præparatio ad excipiendam par-
tem animi principem 382.1
Christiani contra demones armandi cru-
cis imagine 342.1
Christianis nefas dubitare de demonibus
an sint 339.1
Christi & demonum admiranda opera
quo differant 339.1
Christus an Platonem legerit p.
Christo nato demones consulti, non respon-
dent 340.1
Christo cesserunt demones 340.1
Chrysippus à Galeno reprehenditur de na-
tura perturbationum 146.2
Cibi ad coctionem præparatio qualis
387.1
Cicero malè Platonem reprehendit 13.1
Ciceronis locus prima Tusculana de ani-
mi quinta essentia, explicatur 368.1
Cicero malè Peripateticos de ira rephren-
dit 124.2
Cicero in Planetarũ ordine sequitur Chal-
daos, potius quàm Platonem 324.1
Ciceronis ratio contra Peripateticos de per-
turbationibus 133.2
Ciceronis locus alius defensio contra Logo-
dadalum 233.2
Ciceronis locus contra Logodadali temeri-
tatem defensio 232.2
Cicero reprehenditur in comparatione vi-
tae actiua cum contemplatiua 13.1
Ciceronis sententia de connexionione virtutis
omnium 125.2
circulus interior & exterior in calo, quo-
modo debent intelligi 318.1
ciuitas natura prior domo, quomodo dica-
tur ab Aristotele 228.2
ciuitas optima Platonis ea qua maximè est
vna 163.2
coctionis differentia & gradus 386.8




INDEX.

Cogitatio humana ala est animi, & recordatio vitæ superioris	25.1	Consistere philosophis quid sit	212.1
cogitatio ad sermonem quomodo se habeat	32.1	Contareus Cardinalis male platonem reprehendit	292.1
cogitatio quid	24.1	Contemplatio philosophorum omnium beatissima	12.1
Cognitionis nostræ obiecta quomodo à Platone dividantur	29.1	contemplationem antecedit animi purgatio	4.1
cognitionis nostræ distinctio in gradus tres ex Platone	177.1	contemplationem in natura omnia quodammodo appetunt	10.1
cognitionis nostræ gradus & ordo	29.1	contemplationis obiectum Deus	10.1
cognitionis nostræ duo obiecta	205.1	Continens causa Stoicis & veriparicis qualis	381.1
cognitionis modus in demone bono & malo quo differat	358.1	Contingentis & possibilis natura qualis sit	71.2
Colores natura sua lucidi	399.1	contingentia quomodo consentire possint cum diuina providentia	77.2
colores quomodo à lumine suum actum recipiant	410.1	Contraria oriuntur ex se inuicem, tantum aduentura quadam vi	2.2
coloris natura arguit radium aspectus esse igneum	399.1	contraria prima Aristoteli qualia	182.1
colorum ratio & varietas ex Platone	406.1	Cordis varia temperatio an pariat memorie differentias	33.1
Plato vult aliquid de corporibus coloratis efferi ad oculum	407.1	cordis diastole & sistole, qualis sit actio	435.1
Comparatio platonis cum Aristotele difficilis	p.	Cornelij Celsi medicina non satis cognita aut illustrata	300.2
comparatio platonis cum Aristotele omnes philosophos exercuit	p.	Corpus animi sepulchrum	374.1
comparatio platonis cum Aristotele philosophis necessaria	p.	corporis & animi sympathia	67.2
comparatio platonis cum Aristot. à quibus authoribus tractata	p.	corpus nullum est omnis mutationis expertum	297.1
comparationis in Platone & Aristotele necessitas	p.	corpus animi carcer, & amicium domiciliū à Platonis appellatur	68.2
comparatio platonis cum Aristotele in elementorum proportione	293.1	corpora multa solida, sunt etiam pellucida	250.2
Compendia artium seruant aliquando coniuncti in duplicem methodum	155.1	Crucis imagine armandi contra demones	342.1
compendia artium qua methodo soleant explicari	73.1	crucis aduentu repressæ sunt demonis præstigia	342.1
Constatia qua dicantur	270.2	crucis signum quantam vim habeat contra demones	341.1
Concretio quibus ex causis efficiatur	385.1	κρητων quid	27.1
		Cubica figura, cur terra	303.1

INDEX.

δαιμόνια natura quomodo ab Arist. esse dicatur	336.1	demonum quidam ex hominibus facti	331.1
Demon inuadit aliquando corpora virorum non omnino improbarum	356.1	demonum sex genera	330.1
Demoni boni & mali cognitionis modus quo differat	358.1	demonum natura veteribus non satum cognita	333.1
demonibus subiecta quæ infra Lunam & terrena omnia	327.1	demonum malorum potestas in hoc mundo inferiore	353.1
demonum sunt Aerei, D. Augustino	343.1	demonum ministri Deorum qui præsumunt singulis prouinciis	361.1
demonum qui Facio Cardano apparuerunt, quales	354.1	demonum quo modo spiritus dicantur	343.1
demonum mali an aliquid possint in celestia corpora	353.1	demonum post Christum natum, consulti non respondent	340.1
demon offenditur Diui Michaelis imagine	347.1	demon malus quodam modo est ipsa falsitas, & malitia	355.1
demonum puriores Deorum apud nos interpretes	331.1	demon Plotini qualis	339.1
demonum aulore Psello non sine corpore	346.1	demonis nomen multiplex	330.1
demonum Diu quidam sunt intelligentia participes	327.1	demonum malorum diuisio	331.1
demonum allicientia verba qualia esse soleant	355.1	demonum vitæ periodus qualis sit Plutarcho	344.1
demonum subterranei quidam, quorum historia explicatur ex Georgio Agricola	345.1	demon malus subit humana corpora dupliciter	356.1
demon malus diuinitatis est amulus	355.1	demonum aliquando semen emittere	346.1
demonum quo modo aspectabiles sint & inaspectabiles	344.1	demonum quo modo aërem agitent	344.1
demonum mali multum possunt in hominis imaginationem	354.1	demonum variarum artium professores	334.1
demonibus non videtur opus Aristoteli ad explicationem naturæ	338.1	demonum diuisio ex Arrippa	334.1
demonum esse, omnes consentiunt	335.1	demonum an mortales	344.1
demonum cum hominibus communicatio	338.1	demonum cum Platonis familiaris communicatio	339.1
demonum quam variè cum hominibus versentur	352.1	demonum ementiuntur Dei naturæque opera	351.1
demon malus Dei naturæque est inimicus	35.1	demonum & Christi admiranda opera quo differant	339.1
		demon humore melancholico delectatur cum eodemque plerumque expellitur	349.1
		demonum an incorporei	343.1
		demonum præsentia nulla pars mundi destituta	334.1




INDEX.

- Demonibus terrori sunt martyrum sepulchra* 341.1
demon qualibus in rebus homines superstitione impleat 352.1
demonēs quantum potestatis habeant in hominem 352.1
demonēs mali Christo cesserunt 340. & 341.1
demon bonus in sua cognitione non errat malus autem plerūque: idque quamobrem 358.1
demonēs Deorum & hominum sunt interpretes 334.1
demonēs Christo cēssisse etiam Porphyrius testatur 341.1
demon bonus semper est Dei minister 351.1
demonēs infinitorum morborum causa 347.1
demon intelligit sine discursu 358.1
demonēs boni non possunt ledere 332.1
demonum duo prima genera 332.1
demonēs consent ne corpore assumpto tantum an informato 343.1
demonis inconstantia non est miranda 349.1
demonēs an possint cognoscere nostras cogitationes 359.1
demon quo modo incorporatus dicatur 279.2
demonēs an cognoscant futura 359.1
demon quid sit & qualis 342.1
demonēs qualem rerum cognitionem habeant 357.1
demon malus magna ex parte inuocatur per ea quae de nostra religione desumpta 356.1
demonum cum caelestibus intelligentiis comparatio 359.1
demonēs boni circa ea quae ignorant nō dicuntur proprie falli 358.
- demone correpta loquitur harmenice, quae nunquam viderat harmenios* 347.1
demonibus terrori crucis signum 341.1
demō vitae nostrae comes & director 114.2
demoniaca mulieris in agro Laudunensi historia 348.1
demoniacorum causam qui philosophi & medici ad humores referre conati 349.1
demoniaci loquuntur plerūque lingua immota 350.1
Deus an res singulas cognoscat, & quo modo 256.1
Deus quo modo in caelo esse dicatur 316.1
Dij minores quo modo intelligant secundū Plotinum 256.1
Deus solus est omnino indissolubilis 5.2
Deus & natura quo modo nihil frustra facere dicantur 361.1
Dei actus intelligendi idem cum obiecto 220.2
Deus quo modo res singulas cognoscat 217.1
Dei cōmunicatio non est cum omnibus eodem modo faciendā 230.1
Deus an irascatur 69.2
deificatio hominis quid 274.1
Deus immemorabilis an pie dici possit 221.2
Deus & homo in quibus cōmunicent, & differant 4.2
Deo primogenito ara exstructa ab Augusto Casare 340.1
Dei & hominis quae similitudo & dissimilitudo ex Gregorio Nysseno 7.2
Dei cum homine cognatio in summa lege 8.2
Deus & Dei filius quo modo à Mercurio explicetur 291.1
Deus quo modo intelligat & intelligatur 223.2

INDEX.

- Deus quia ipsum bonum, malorum causa esse non potest* 269.1
Deus quo impulsus ad procreationem mundi 283.1
Deus unicus, quia mundus unicus, Athanasij ratio 290.1
Deus mundum procreando an in se receperit perfectionem nouam 284.1
Deus est paucorum causa, quae bona sunt 81.2
Deus an nihil potuerit procreare nisi ex subiecta materia 285.1
Deus obiectum contemplationis 10.1
Dei nomina quaedam cōcreta, alia abstracta 267.1
Dei cum centro comparatio 267.1
Deus cognoscitur ex operibus 232.1
Deus cognoscitur à nobis partim per affirmationes, partim per negationes 266.1
Dei cognitionem qualem, & quo modo assequimur 107.2
Deum extra se nihil intelligere Aristoteli cōmune cum aliis philosophis 254.1
Deus primum intelligens, & primū intelligibile 261.1
Deus cur omnis cōpositionis expers 271.1
Deus quare moueri aut mutari nō possit 252.1
Dei nomen Platonici quid significet, & quibus accomodetur 360.1
Deus quid intelligat & quo modo, difficile est explicare 254.1
Deus quo modo esse dicatur actus purus omnis potentiae expers 243.1
Deusne melius an priuatio dicatur materiam mouere ad formam 214.1
Deus quacunque immediatē procreat huius dat immortalitatem secundum Platonem 361.1
Deo verius negationes quam affirmationes conueniunt 270.1
- Deus quare physico motu moueri nō possit* 273.1
Deus quo modo probetur à Platonici corporis omnino expers 226.1
Dei & solis dissimilitudo 265.1
Dei cognitio difficillima 230.1
Deus & materia duo quasi extrema in uniuerso 245.1
Deus melius explicatur negationibus quā affirmationibus 266.1
Deus quo modo pater cognominetur 268.1
Dij an quidam dici possint nō participes intelligentia 243.2
Deus nō est obiectum nostro intellectui accommodatum 262.1
Deus cognoscit omnia antequā fiant eaq; in se 257.1
Deus quare ineffabilis 225.1
Deo quicquid inest deus est 258.1
Deus quare dicatur ipsum bonum & pulchrum 224.1
Deus cur se ipsum tantum dicatur intelligere 251.1
Deus in caelo vel potius supra caeli secundum Arist. 241.1
Deus superior omni necessitate 78.2
Dei praescientia etiam singularium 85.2
Deus quo modo spiritus dicatur 276.1
Dei actus in sempiterna cōtemplatione 247.1
Deus quousque Aristoteli cognitus 237.1
Deus quo naturam superet in rerum procreatione 285.1
Deus à quibus positus corporeus 276.1
Deo nō fuit materia necessaria ad procreationem 286.1
Deum maximè latere & eundem maximè patere 231.1



Deus quomodo mala cognoscat	260.1
Dei actus agit sine organis	50.1
Deus Platoni neque mouet neque mouetur Aristoteli autem mouet quidem, sed non mouetur	272.1
Deus quam variè à nobis intelligatur	225.1
Deo quanam attribuuntur	224.1
Deus quo argumento intelligatur simpli- cissimus, & maximè incorporeus	275.1
Deum neque intelligi, neque intelligere quo modo dictū sit à Platonis	107.2
Deus quo modo se cōtemplatur semper ni- hil extra se	251.1
Deus ut intelligit, sic intelligitur	261.1
Deus nullo entium genere potest propriè contineri	271.1
Dei cum primatione Aristotelica compara- tio	213.1
Deus Platoni & Arist. mundum regit per intermedias causas secundas	361.1
Deus qualis Mercurio Trismegisto	246.1
Dei comparatio cum materia	244.1
Deo qui effectus tribuantur à naturalibus distincti	362.1
Deus non est malorum causa	215.1
Deus cur difficile cognoscatur	270.1
Deus Theologorum sententia qualis actus sit	247.1
Deus in intelligendo ipse sibi est pro obie- cto	224.1
Dei cognitio quatenus cadere possit in hu- manum intellectum, vel non possit	233.1
Deus quo modo omnipotens, & tamen ex- pers potentia omnis ad materiam perti- nentis	248.1
Deus sic supra calum ut etiam sit in celo, & in omnibus quæ huius ambitu con- tinentur	258.1

I N D E X.

Deus summus in intelligendi modo quo differat à diis minoribus	262.1
Dei actus, rerum procreatio & formatio	247.1
Deus cognoscit omnia in se, quia ipse est in omnibus	260.1
Dei actio & essentia Aristoteli est in con- templatione	241.1
deorū multitudinem quo modo Plato ali- quando ponat	235.1
Deus quomodo res intelligat & procreet	268.1
Deo tribuere aliquid potentia ad materiā pertinentis, impium	245.1
Dei cum Sole similitudo	225.1
Deus summus Plotino, neque intelligit ne- que intelligitur	254.1
Deus Aristoteli animal idē, quo modo ex- cusari possit	242.1
Dei nomina varia quo modo sint intelli- genda	265.1
Dei à natura distinctio ex Arist.	242.1
Dei iustitia in rebus procreandis & dispo- nendis	268.1
Deus pater Platoni non est propriè intelli- gentia particeps	243.2
Democritus sapores distinguit per figuras	421.1
definitio rei cur primo loco ponenda	46.1
definitio quo modo per proximum genus, & per remotius assignanda	47.1
definitio quando iuitis artium ponenda, & quando non	74.1
definiendi rationem Socrates primus exci- tauit	166.1
demonstrandi ars cur Analytica	51.1
dextrum & sinistrū quo modo in celo di- cantur	318.1
demonstratio ab Analyti quo differat	51.1


demōstrati

I N D E X.

demōstratio à probabili ratiocinatione quo differat ex Plat.	21.1
definiendi ratio tēporibus Platonis obscu- ra	166.1
definitio an in cōpendiis artium initio sit ponenda	155.1
Dialectica seminarium naturale quo mo- do se habeat ad Deum, hominem & belluas	26.1
dialectica partes Platoni	38.1
dialectica Platonis quatuor potissima ca- pita continet	46.1
dialectica Platoni est metaphysica, eaque qualis	177.1
dialectica explicatio quare repetita ex questione de naturali iudicio	28.1
dialectica Academicorum veterum qua- lis	28.1
dialectica subiecta ratio	45.1
dialecticum iudicium ex natura repetitū & quid contineat	23.1
dialectici cuius nomina rebus ipsis impo- nere	168.1
dialectica methodus Platoni superior ma- thematicis	171.1
dialectica nomine quo modo Aristoteles utatur	18.1
dialectica Platonica qualis	17.1
dialectica Platoni omnibus scientiis ante- ponenda	178.1
deorum quid	216.2
dialectica nomen quo modo ab authore vsurpatum in compendio artis differen- di	157.1
dialectica apud Arist. an semper probabi- litati addita	18.1
dialectica partes apud Platonicos	20.1
dialectica Ciceroni quid	205.2
dialectica Ciceroni quid	166.1
dialectica nomine an etiam ars Analytica comprehendatur	18.1

dialogorum apud Plato, tria genera	165.1
dicere, quid significet	204.2
didymus nimium delectatus Platonis p. didymus quū, & quæ scripserit	p.
dies magnus iudicij, quis	322.1
dies magnus, mille annorum	321.1
Dionysij sententia de Deo, quo modo co- gnoscat	256.1
difficultas redeundi à vicio ad virtutem in quo posita	131.2
discursus, vocabulum philosophicum: est non placeat Logodadalo	211.2
disciplina nostra vita superioris recorda- tio	34.1
disputatio de methodo contra Thessalum quæ capita contineat	158.1
diuina persona tres videntur à Platonis adumbrata	235.1
diuinationi per sortem quando locus	363.1
diuinationi à demonibus	327.1
diuinationis modi arte constantes, quam varij	366.1
diuinandi duo genera	366.1
diuinationis diuisio	363.1
diuina non docentur, sed mentis intuitu comprehenduntur	211.2
diuinum quid appellari soleat	119.2
diuisione generis ad quid utendum	39.1
diuisio ad partitionem quo modo se ha- beat	46.1
docendi via familiaris, alia à directa	216.2
diuisio quo modo ad definitionem utilis	47.1
diuisionis modi	39.1
dodecaedri figura cur accommodata uni- uerso	300.1
dubitationis occasio in Arist. doctrina de mentis immortalitate	28.2

C



I N D E X.

dubitatio de conciliatione providentiae cum arbitrij libertate 96.2
 dubitationes contra D. Thomam de animi humani origine 463.1
 dubitationes contra immortalitatem, in Aristotelis doctrina 62.1
 dubitatio contra Arist. de differentiis situs in universo 425.1
 dubitationes contra secundam rationem Plat. ad immortalitatem 5.2
 dubitatio contra primam rationem Platonis ad immortalitatem 8.1
 dulce apud Arist. pro extremo est, non pro medio 420.1
 dulcis saporis cum pingui comparatio 421.1
 dulcis sapor quo modo reliquis sit contrarius 420.1
 durum & molle quid, horumque causa 422.1

E

Elementorum quatuor primae qualitates sunt pro eorundem formis 301.1
 elementorum quid 216.
 elementorum secundum molem corpoream comparatio 294.1
 elementorum quae proportio 293.1
 elementa unde emanarint secundum Mercurium 291.1
 elementorum qualitates Aristoteles non est conatus ad priores causas reuocare 423.
 elementorum distinctio penes primas qualitates, commodior apud Arist. quam apud Galenum 293.1
 elementorum mediocrium cum extremis comparatio ex Platone 292.1
 elementaris regionis cum caelesti comparatio 323.1
 elementorum qualitates non substantiae

sunt in caelo 295.1
 elementa ante mundi originem quo modo se haberent in materia confusa 277.1
 elementorum explicatio Hippocratica, & Platonica quo differat 423.1
 elementa nonnullis animata 325.1
 elementorum proportio penes figuras regulares quae illis insunt 303.1
 elementorum in animatis corporibus proportio 440.1
 Empedocles cur igni reliqua tria elementa opponat 381.1
 enthymema quid 21.1
 entium apud Plat. duo genera 4.1
 ens quot modis dicitur, totidem non ens 283.2
 epelex quid 220.2
 epilepsia cur morbus sacer 445.1
 Epicherema quid 21.1
 epelex quid 220.2
 Epicuri obiectio contra tertiam rationem ad immortalitatem 7.2
 epilepsia & melancholia familiariter inter se permutantur 446.1
 error unde cadat in iudicium rationis 202.2
 Erasmus assertor liberi arbitrij 91.2
 Essei, antiquissimi assertores immortalitatis animorum 5.2
 Ethica Arist. quo modo distincta 3.1
 eudaimonia quid & unde dicta 103.1
 Eusebij obiectio contra Platoniam animae compositionem, & eiusdem solutio 313.1
 Eusebij de Aegyptiorum & Hebraeorum philosophia p.
 exemplaris causa Platoni qualis 280.1

F

Faber Stapulensis Aristotelis illustrator, & defensor 87.1

I N D E X.

fabula Platonica de voluptatibus, & doloris connexione 11.1
 facultatis distinctio 98.2
 fati nomen quam varie à veteribus usurpatum 73.2
 fato quae subsint, & utrum hac vitari possint 75.2
 fatum ponere quo modo Christianis liceat 73.2
 fatum quid, Marsilio Ficino 80.2
 fato, ut significant diuinam providentiam, quae sint subiecta 76.2
 fatum ad providentiam, & praescientiam quo modo se habeat 85.2
 fatum ad naturae ordinem quo modo se habeat 80.2
 fatum quale à Platonis positum 71.2
 fatum positum à nonnullis in virtute ab astris influente 74.2
 fatum & natura an omnino inter se consentiant 80.2
 fati necessitas quam facile possit oppugnari 75.2
 fatum poetarum quale 78.2
 fatum quod in astrorum virtute positum, oppugnatur 75.2
 Fanni & Satyri quales. D. Hieronimo cogniti 345.1
 fatales leges humanae quae 328.1
 fatale idem ne Aristoteli quod naturale 83.2
 febrim putridarum intermissiones unde 447.1
 febrim putridarum secundum quatuor elementa, distinctio Platonica 427.1
 felicitas bonum diuinum non humanum 101.2
 Fernelij medici nobilis historia de quodam demoniaco 347.1
 felicitas humana opinione Averrois, in quo posita 46.2

Fernelij, & Bleselij iudicium de Thessalio 87.
 Felicitas quo modo comparatur 122.2
 felicitas humana in perfectione contemplationis 11.1
 felicitas in sapientia à Platone est posita 112.2
 finis maximi momenti in vita, & moribus 104.2
 figurarum quinque regularium cum primis corporibus comparatio 302.1
 finis cur prior medio, Thessali ratio ridicula 62.1
 figura non potest esse causa qualitatum aeternarum in elementis 423.1
 figura cubica, cur terra 303.1
 formae naturales quare impurae 174.1
 formae cum materia in ordine duplex comparatio 310.1
 forma duplex 280.1
 formae naturales quo ordine dicantur emanare à diuinis 263.1
 formae naturales omnes ex se diuinae, imitabiles & caelestes 21.2
 formarum differentiae 243.1
 forma omnis praestit sua materia 9.2
 formarum physicarum, & metaphysicarum distinctio 24.2
 formae quae possint intelligere, & intelligi 251.1
 formarum distinctio 457.1
 forma humana inter omnes media 457.1 & 463.
 formae naturales quales actus sint 64.2
 formae cum materia communicantes, sunt intelligibiles tantum, non etiam intelligentes 59.2
 forma in natura rationem habet causae finalis 382.
 formae naturales ut non possunt agere sine



I N D E X

materia, ita neque sine ea esse
formae physicae à metaphysicis quo differant
fortitudo quid
fortitudo quo modo posita in observatione
praecepti legitimi
Francisci Catanei opinio de mundo cur
Platoni unicus
furor poetarum qualis

G

Galeni error in reprehensione Arist.
de modo videndi
Galenus censor eorum qua à Platone scripta de venarum distributione
Galenus errasse videtur in Platonica animi distinctione
Galenus dubitatio de respiratione
Galenus Platonem reprehendit in quaestione de respiratione
Galenus de nervorum substantia non satis definitam sententiam habet
Galeno concedendum ut partes animae distinguat substantia
Galenus non satis tribuit providentiae
Galenus nihil potuit recte dicere de animi humani origine
Galenus Platoni magis quam Aristoteli favere solet
Galeno pisces manifeste in aquis non respirant
Galenus cum Arist. comparatio in quaestione de medulla
Galenus arguit Arist. inconstantiae in quaestione de modo videndi
Galenus levis rationes contra Arist. de rebus principatus
Genesis quid
Genesis & analysis non possunt includi eadem speciemethodi

Geometriae usus
Germanorum & Italorum sententia de Ramo
graviorum & levium natura inter Platonem & Aristotelem controversa
Graecorum philosophorum peregrinandi studium
Graeci ex Aegyptii philosophiam didicerunt
Graecia septem sapientes
Gregorij Nysseni sententia de distinctione partium animi
Gregorij Nysseni opinio de Pythagorica metempsychosi
Gregorij Nysseni sententia de animi humani origine
Gregorij Nysseni sententia de mente corpore soluta
Gruchium philosophus magni nominis
Gustatus in nobis qualis

H

Hebraei antiquissimi assertores immortalitatis animorum
Hebraica lingua an prima in natura
Hecticarum febrium calor quomodo agat in nostra corpora
Homerus reprehenditur quod Deum malorum causam fecerit
Homeri catena aurea qualis
Homo à mundo accipit animam & corpus
hominis desiccatio quid
homo quomodo dicatur factus ad imaginem Dei
homo quomodo Deo debeat liberum arbitrium & gratiam

I N D E X.

homo non intelligit sine cogitationis discursu
homo quomodo se habeat ad prima intelligibilia
homines conversi in iumenta D. Augustini testimonio
hominis cum mundo comparatio
homo liber à fato, vel huic obnoxius quomodo dies possit
hominis alimenta ab animo mundi, & ab ipsa terra
homo qui liberos non procreat, est infelix
homo quomodo mediis est inter Deum & malum demonem
hominis felicitas in perfectione contemplationis
hominis procreatio ex Timaeo
homo quomodo servus peccati
hominis duo data ad cognitionem rerum
hominis corpus, in vestra religione, cur prius ortum dicatur quam anima
hominis felicitas in similitudine cum Deo
homini peccanti obest animi immortalitas
homo minor mundus
homo duplicis naturae
hominis primi procreatio an à Deo solo
hominis & Dei qua similitudo & dissimilitudo ex Gregorio Nysseno
hominis per mortem dissolutio qualis
hominis & belluarum iudicium quo differat
homo in suo animo & corpore quid ab unoquoque extrinsecus accipiat
Hieremia an auditor Plato
Hieronymus assertor liberi arbitrij

Hieronymus in quaestione de perturbationibus assentitur potius veripatericis quam Stoicis
Hieronymi variae opiniones de animi humani origine
Hippocrates sedem mensis ponit in corde
Hippocrates motus animalis causam tribuit venis
Hippocrates & Plato in explicandis elementis quo differant
Hippocratisne sit liber de morbo sacro
Hypostasis quid
hypothesis in Rerump. formis quid
hypotheticae enunciationes qua & quam varia
honestum solum esse bonum
humani corporis temperamentum quam variè spectari possit
humanae leges fatales quae
humani corporis compositio qualis
humana ratio quo modo se habeat ad actionem & contemplationem
humorum quatuor in massa sanguinis explicatio ex Galeno

I

Iacobi Schegkij sententia de Ramo
Iamblicij opinio de deorum multitudine
idea sit ne in Deo actus intelligendi an obiectum
idea quo modo se habeat ad formas physicas, materiae communicatas
idea & univ. salia quo differant in modo consistendi vel existendi
idea mensurae materiae & modus




I N D E X.

idea quare non sunt à platonis posita rerum arte constantium	214.1	Idea posita, rerum essentia videntur à rebus separari	203.1
idea ne sint numerorum	221.1	idea qua potissimum ratione ab Aristotele impugnetur	203.1
ideas assequi in vita hac difficile	201.1	idea probata à Christianis	193.1
idea boni & pulchri quomodo se habeant ad inuicem	274.1	idea corporeane sint an incorporeae	212.1
idearum quis vsus	194.1	idee quare non sint partium	221.1
idearum officinam ponere ridiculum	196.1	idee sint relatorum	220.1
idea quare non sint relatorum	223.1	idea separata possunt dupliciter intelligi	204.1
idearum cum vniuersalibus Arist. comparatio	210.1	idee quomodo dici possint separata secundum Platonem	198.1
idea an sint singularium	217.1	idea Mineruæ nomine à Poëtis est significata	198.1
idea in secundo ordine entium cur à Platone posita	263.1	Idem & alterum quomodo se habeant in anima	312.1
idearum cognitio quibus concedatur in vita hac	201.1	Iecoris vsus	449.1
idea non est inuentum platonis, sed eo antiquior	190.1	Iecori quorsum amaritudo & dulcedo à Platone tribuitur	476.1
idea quomodo esse dicatur eorum tantum quæ secundum naturam	223.1	Iecur non est sedes animæ sentientis apud Platonem	417.1
idea sint ne rerum vilium	219.1	Ignis ad videndum erumpens ex oculis	394.1
idea an à Deo separata	196.1	igni cur Empedocles reliqua tria elementa opponat	381.1
idea quomodo in Deo sint, & in eodem vniantur	199.1	ignis lucens, non adurens Platoni qualis	292.1
idea quarum rerum non sint à Platone posita	186.1	ignis Platoni duplex	295.1
idea ubi à Platone posita	196.1	ignis Platoni quid	294.1
idea in Deo, Deus est	202.1	ignis Platoni ipsum celum	290.1
idea cur imago tantum, non perfectio, in rebus materiatis	184.1	ignis oculorum Platoni qualis	397.1
idea quid	186.1	Ignorantia duplex quomodo se habeat ad excusationem peccati	141.2
idee quare non sint rerum quæ præter naturam	215.1	Imaginatio non est sensus, neque opinio	32.1
idee quomodo se habeant ad Aristotelis vniuersalia	204.1	Imaginatio quid Aristoteli contra Platonem	32.1
idea nomen aliquando à natura ad artem transfertur	200.1	imaginationis magna vis in nostris corporibus efficiendis	350.1
idea probare à D. Augustino	193.1	imaginatio Aristoteli est aliquid corporis, sed interius	57.2
idea esse quomodo probent Platonici	186.1 & 192		

I N D E X.

Imaginatio in animo duæ differentia	210.1	intellectus agens an vnicus	41.2
Immortabile quid significet	221.2	intellectum vnicū agentē solum immortalem esse, quā pernicioſa sit opinio	35.2
Immortalitatis animorum assertores antiquissimi	5.2	intellectui agentis indiuidua ea quæ intellectui potentia subeunt diuisione	37.2
immortalitatis spe sublata homo miserrimus	27.2	intellectum separatum non recordari, quomodo accipiendum sit	61.2
immortalitas animi non probatur ex eo quod hunc Aristoteles dicat diuinum & impatibilem	21.2	intellectus primus illustrat nostrum intellectum in intelligendo	264.1
immortalitatis oſores negant animum esse simplicem	5.2	intellectus materialis quis Auerroi	46.2
Imperia philosophorum crudelia	8.1	intellectus agentis quis sit in intelligendo	37.2
Improbi actiones sunt inuoluntariae	135.2	intellectus potentie proprie dicitur esse in nobis	38.2
Incorporeum aliquid quā varie dicatur	275.1	intellectum non communicare necessario cum imaginatione variis rationibus declaratur	28.2
Inductio quid	40.1	intellectus vnus agens communis, siue prima mens, à quibus philosophis ponatur	29.2
Inductiones Socratica & Aristotelica quo differant	163.1	intellectus agentis ordo ad eum qui potentie	37.2
Infinittum actū sequaturne apud Aristotelem posita animorum nostrorum immortalitate	62.2	intellectu primo semper agente, cur nos nō semper intelligamus	34.2
Iniuria ferenda, potius quā inferenda	136.2	intellectus agens Auerroi est spiritus sanctus	47.2
iniuriam facere an grauius malum sit, quā pati	141.2	intellectus quomodo se habeat ad phantasiam, & quatenus ea indigeat	27.2
Intellectio quid	24.1	intellectus agentis essentia extra nos qualis	43.2
Intellectus agens ad patientem se habet vt ars ad materiam	36.2	intellectus potentia non habet à se intelligendi actum	38.2
intellectus siue propria quedam functio in qua ille nihil omnino cum corpore comunicet	26.2	intellectus nisi separatus secundum Aristotelem maneret, frustra hic quereret an post vitam amet, vel recordetur	58.2
Intelligibilia prima & secunda quomodo cognoscamus in vita hac & in altera	36.1	intellectus agens quomodo se habeat ad eū qui potentia dicitur	36.2
intellectus an ab intelligendo necessario indigeat imaginatione	26.2	intellectu agente vno communi posito, quid in eo boni notari possit	29.2
intellectus agentis cum lumine comparatio ex Themistio	36.2	intellectus agens semper intelligit	37.2
intellectus non habet in se substantias vniuersas, sed harum imagines tantum	210.1		



INDEX.

intelligentia vocabulum Logodadalus v-
surpat nimum inconstanter 203.2
intelligentia caelestes cur assistentes forma
296.1
intellectus triplex Averroi 44.2
intellectus agens an vnus communis om-
nium hominum 29.2
intellectio animi separati & corpore con-
clasi quo differat 209.2
intelligentia & opinio apud Platonem,
quorum sint, & quo differant 178.1
intelligentiam caelestium cum demombus
comparatio 359.1
intelligendi vis in rebus quas informat,
tribus gradibus distincta 342.1
intellectio duplex, animi separati & in
corpore habitantis 25.1
intelligibile primum, quale 261.1
intelligibile primum ad nostrum intellectum
quomodo se habeat 36.1
intelligibile primum, mundus idealis 26.1
intelligibile primum a quo cognoscatur
29.1
intelligibilia Platoni vtrum sint in intel-
lectu, an extra 212.1
intelligibilia prima & secunda 25.1
intelligimus quotiescumque volumus non
item sentimus, & quare 205.1
intelligibilia prima & secunda quomodo
cognoscantur 26.1
intelligendi vis quomodo in nobis marce-
scat extrema senectute 16.2
intelligentia caelestes sunt a materia sepa-
rata 33.2
intelligendi modo quo differant Deus sum-
mus, & Dij minores 262.1
intelligentia caelestes Platonis sunt dij
minores, & dij Deorum 359.1
Iniusta actio deterior iniustitia habitu
139.2

iniuste agere cur magis inuoluntarium
quam iniustitia habitus 139.2
Inscriptio libri huius qualis p.
Inspiratio priorne sit expiratione 431.1
Inuoluntarij causa in quo posita 135.2
involuntaria actionis causa in quo sunt
posita 140.2
Io. Grammatici rationes contra materia
eternitatem 285.1
Io. Grammatici error in questione de ma-
teria prima 182.1
Ira an cadat in Deum 69.2
ira Peripateticis qualis 68.2
ira quomodo definienda, & de eius defini-
tione qua inter veteres controuersa
148.2
Iracundia non recte ponitur a Logodada-
lo in sello 264.2
Isoplicurus cur a Pythagoreis non usurpe-
tur in primis priuatis 304.1
Italorum & Germanorum Philisophorum
sententia de Ramo 101.1
Iubileus annus magnus, quis 322.1
iudicium Dialecticum repetitum ex ipse
natura 23.1
iudicandi vis qualis in homine & belluis
27.1
Iulianus apostata sectatus est pythagori-
cam metempsychosin 373.1
Iulij Scaligeri sententia de comparatione
Platonis cum Aristotele p.
Iustinus martyr Platonem arguit incon-
stantie 279.1
Iustini Martyris sententia de distinctione
partium animi 470.1
Iustitia generalis in quo posita 370.1
Iustitia duplex quomodo intelligenda
124.2
Iustitia originalis in quo posita 90.2
Iustitia specialis que 370.1
Laetantio

INDEX.

L

Laetantio mundus factus est propter
hominem 284.1
Laetantius quomodo Platonem excuset in
octaua ratione ad immortalitatem
18.2
Legitimum preceptum quale sit 224.2
Leodegarij a Quercu sententia de Ramo
97.1
Leargus & Carus quo differant 240.2
Lene & asperum quid, horumque causa
422.1
Leuini Lemnij error in questione de de-
monibus 348.1
Lex naturalis quid, & in quo posita
124.2
Libero arbitrio posito non imminuitur Dei
beneficium erga nos 89.2
Libertas in homine qualis ante ipsum pec-
catum 90.2
libertatis distinctio 89.2
libertatis modi varij 87.2
Liberos non procreare, infelicitatis 268.1
Libri huius inscriptio qualis p.
libri huius distributio & ordo p.
libri Magici quibus auctoribus falso ascri-
pti 357.1
Lienis vsus 449.1, 477
Litigiosi qui proprie 165.1
Logicum organum Aristotelis non est vnu
opus continuatum 149.1
logici organi distinctio accommodata ad le-
ges methodi 71.1
logica an versetur in consideratione ser-
monis & orationis 204.2
logica partes qua 16.1
logica artes rationis sunt & orationis p.
logica apud Platonem quid significet 16.1
logici organi distinctio an facienda secun-
dum inuentionem & iudicium 148

Logodadalus quis & qualis 293.2
Logodadalus errat in comparatione pla-
tonis cum Aristotele de conexione vir-
tutum 274.2
Logodadalus errat in medio definiendo
257.2
Logodadalus errat in eo quod ait contraria
immediata non esse contraria, nisi ad-
uentitia quadam vi 267.2
Logodadalus Alcinoi sententiam de fato,
peruertit 269.2
Logodadalus monstrosam assignat bonoru
diuisionem 271.2
Logodadalus ineptie comparat Platonem cum
Epicuro in questione de eo quod sursum
aut deorsum 256.2
Logodadali temeritas in statuendo de respi-
ratione piscium 267.2
Logodadalus errorem suum reicit in Ty-
pographum 233.2
logodadalus peccat in primam diuidendi
legem 210.2
logodadalus deprauauit locum Ciceronis
Academica prima 232.2
logodadalus peccat ignoracione artis diui-
dendi 208.2
logodadali inscitia in definiendo rigore
255.2
logodadali temeritas in addendo contex-
tui 281.2
logodadali solacisimi 224.2 271.2
logodadalus ineptit in comparacione par-
tium cum toto 227.2
logodadali singularis impudentia in fa-
dandis bonis auctoribus 233.2
logodadalus omnino peruertit Alcinoi sen-
tentiam de virtutibus inuoluntariis 275.2
logodadalus cur suo nomine in hoc opere,
non est expressus 292.2
logodadalo opranda est maior rerum Philo-
sophicarum cognitio 299.2



INDEX.

- Logodadalus nescit in Philosophia quid sit agere & pati 208.2
Logodadalus errat in explicanda carnis origine 246.2
logodadalus notatur etiam in artificio orationis 270.2
logodadalus impudenter platonem vult corrigere, in quaestione de somniis 265.2
logodadalus impudenter in quaestione de speculis Platonem reprehendit 249.2
logodadalus errat in differentiis diuinationis exponendis 265.2
logodadalus ineptit in definiendo Scaleno 236.2
logodadali error in ponenda triplici materia ex Platone 233.2
logodadalus non rectè ait facultatem ratiocinandi solis hominibus inesse 266.2
logodadalo plagium in Aemilio Probo obicit Gifanius 233.2
logodadali error multiplex in Cari explanatione 240.2
logodadalus in plerisque sutor ultra crepidam 192.2
logodadalus errat in citando loco Platonis 272
logodadalus falsò ait, non hominem, nihil esse 282.2
logodadali peccatum in artificio orationis 274.2
logodadalus errat in comparatione affirmationis attributi infiniti cum negatione attributi finiti 284.2
logodadalus de verbis nugatur relicta sententia 269.2
logodadalus non potuit bene iudicare de Alcinoi obscuritate 199.2
logodadalus ignarus rationis diuidendi 280.2
logodadalus ignarus artis ratiocinandi 250.2
- Logodadali error in distinctione febrium 260.2
logodadali error in distinguendis sedibus facultatum animi 261.2
logodadali inscitia in compositione quadranguli 237.2
logodadali inconstantia in distinguendis saporum differentiis 253.2
Lucretio multa in orationis genere familiaria, qua Philosophus & oratoribus non concederentur 194.2
Lumen quid 226.2 410.1
lumen Platonis quid 292.1
lumen imago boni 264.1
luminis praestantia, eiusque argumenta 412.1
luminis motus qualis 411.1
lumen quomodo se habeat in aspectu 410.1
luminis & caloris differentia in agendi modo 411.1
lumen quomodo dicatur dare coloribus suis actum 410.1
luminum sine permixtio, an concursus 412.1
Luna, terra altera huic nostrae opposita 367.1
Luna vis in hac inferiora 323.1
Luna an medium mundi, in quo eiusdem anima 317.1
Luna motus qualis 309.1
Lux & lumen quo differant 410.1
- M
- Magica artes videntur adumbrare & imitari pythagoricam metaphysicam 377.1
Magorum sententia de animi imperio in corpore 11.2
Magici libri quibus authoribus falsò ascri-

INDEX.

- pti 357
Mala quae, & unde 216.1
malum passio sequens materiam 216.1
malus sua sponte nemo 370.1
malorum distinctio 215.1
malorum distinctio, & qua horum sit causa 270.1
mala unde, si à Deo non sunt 269.1
malum quomodo cognoscatur 217.1
Malitia cum sapientia valde perniciose 8.1
malorum an Deus causa sit 215.1
Mantica, sine praesagiendi ratio quas species complectatur 363.1
Marfilij Ficini sententia de comparatione Platonis cum Aristotele P.
Marfilio Ficino animus noster apud Platonem substantia vnicus 465.1
Marfilij Ficini sententia ideae sunt in Deo 197
Marfilij Ficini error in lenienda Platonis sententia de recordatione vitae superioris 34.1
Martyrum sepulchra vim habuerunt contra demones 341.1
Materia prima an intelligenda sub ratione corporeitatis 182.1
materia quid Mercurio 247.1
materia à quo moueatur ad formam quam appetit 214.1
materia formam appetens, videtur ideam appetere 222.1
materia malorum causa 269.1
materia siue in corporibus caelestibus, & qualis 184.1
materia neque corpus neque quid re ipsa corporeum 180.1
materia prima cur adulterino modo à nobis cognoscatur 183.1
materia Platonis qualis, & quomodo cognoscatur 180.1
- materia Aristoteli qualis 181.1
materia & Deus duo extrema in vniuersitate 245.1
materia prima quomodo affecta ad potestatem 183.1
materiae potentia cur cum quadam imperfectione 248.1
materia à subiecto distinctio 184.1
materia qualem formam appetat 215.1
materia duplex 183.1
materia cur aeterna à Platone & Aristotele posita 285.1
materia caelestium & horum inferiorum quomodo eadem & diuersa 185.1
materia prima Platonica quo differat ab Aristotelica 182.1
materiam ante mundum confusam, quomodo Plato posuerit 285.1
materia non fuit Deo necessaria ad rerum procreationem 286.1
materia prima cur neque sentiri possit neque intelligi 183.1
materia dici non potest Deo coaeterna 286.1
materia in ortu rerum quomodo ad formam preparatur 382.1
materia prima cur difficile à nobis cognoscatur 182.1
materia cum forma in ordine comparatio duplex 310.1
materia omnium formarum experis 180.1
materia cum Deo comparatio 244.1
Mathematica nullum habent externum finem 172.1
mathematici studij summa Platonica, & eiusdem subdiviso 169.1
mathematica quo animo discenda 170.1
mathematica media inter scientiam & opinionem 171.1
mathematica quem ordinem habeant ad physica 173.1



INDEX.

Mathematicarum artium ex Pythagoreis distinctio	176.1	memoria differentia ex cordis varia temperatione	33.1
mathematicarum artium finis an sit, & qualis	171.1	memoria differentia à Platone repetita ex temperamento cordis	390.1
mathematica omnium maximè accommodata ad discendum	173.1	Mens prima ab anima mundi quo distinguatur.	316.1
mathematica abstractiones continent partem futuram Philosophi	7.1	Mens cur non recordetur à corpore separata	22.2
mathemata non versantur circa entia, sed vno gradu inferiora sunt	202.2	mens Aristoteli animi instrumentum, ut manus corporis	27.2
mathematica viam parant ad summam contemplationem	172	mens sola quomodo dicatur ab Aristotele extrinsecus aduenire	21.2
mathematicarum artium numerus & ordo ex Platone	176.1	mens soluta corpore redit ad Deum	65.2
Medicorum quorundam error in tribuendo humoribus ea quae sunt demonum	346.1	mens humana ea quae contraria sunt quodammodo in se unit	467.1
Medicus à Philosopho quo differat in morborum causis explicandis	439.1	mens animo superior	35.1
Medicamentorum simplicium vires occulta, unde	362.1	mens qualis sit, non satis aperte ab Aristotele definitum	28.2
Medium in aspectu debeant esse corporis	411.1	mentis sedem videtur Hippocrates in corde posuisse	391.1
Medulla Platoni qualis	382.1	mentis raptus à corpore qualis	353.1
medulla aliarum partium elementum	383.1	mentis prima radij qui	30.2
medulla est ante semen, contra Sebastianum Forcium	385.1	mentis prima à Deo distinctionem Aristoteles non agnouit	31.2
medulla cur genitalis dicatur à Platone	385.1	mentis raptus magnam habet significationem immortalitatis	64.2
medulla triplex	384.1	mentis qui participes sint, & quomodo	30.2
Melanchthon assertor liberi arbitrij	92.2	mentem immortalem esse, Aristoteles voluit, sed qualem hanc mentem putauerit, controuersum	21.2
Melancholici an ad ridendum caeteris sint propensiores	264.2	mentis non omnes homines participes sunt idque quamobrem	29.2
Memoria cum cerea tabula comparatio	24.1	mentis nomen substantiam significare, contra Simonem Portium	53.2
memoria qui valeant qui non	33.1	mens quam Aristoteles dixit immortalē & separabilem, an reuera sit in nobis	28.2
memoria quare non maneat in animo nostro post mortem	39.2	mentis instrumentum scientia	27.2
memoria videri potest à Platone posita in corde	390.1	mens prima sola seipsam comprehendit, eaque Deus est in ipsis hominibus	30.2

INDEX.

Mens prima quid Platoni	30.2	Methodus non debet deducere ad confusa, sed ad enodata, contra Thessalū	65.1
Mercurij Trismegisti sententia de origine animi humani	458.1	Methodus in inueniendo, analytica contraria secundum Thessalum	54.1
Mercurij Trismegisti opinio de metempsychosi	367.	Methodus Thessalo iudicij pars	138.1
Mercurij locus de mundi origine, & natura	291.1	Methodus inuestigandi quo modo eadem videri possit cum altera	59.1
Mercurij Trismegisti sententia de elementorum origine	291.1	Methodus Thessalo praestat omnia	80.1
Mercurius Trismegistus ante platonem posuit ideas	190.1	Methodus quaedam in inuestigando, sicut in explicandis inuentis	54.1
Mercurius Trismegistus ante Pherecidem dixit animos immortales	5.2	Methodus inuestigandi an, ut vult Thessalus, ad inductionem possit referri	123.1
Mercurio Trismegisto Deus qualis	246.1	Methodus analytica nō progreditur à prioribus natura, ut putat Thessalus	117.1
Mercurius Trismegistus cognouit ipsum Verbum Dei filium	236.1	Methodus accurata quarenda est in philosophis, non in poetis aut oratoribus	139.1
Methodus quid	53.1	Methodo eadem contineri non possunt analysis, & genesis	ibidem.
Methodus doctrinae non est vnica	60.1	Methodus aliqua reū inuestigandarum ponenda, & haec in arte differendi explicanda	123.1
Methodus vnica esse non potest, etiam secundum definitionem Thessali	54.1	Methodus à iudicio an recte separetur	66.1
Methodi duae primae differentiae	120.1	Methodus traditur ab Arist. in analyticis, & Topicis eaque duplex	140.1
Methodus inuestigandi non potest referri ad priorem partem artis differendi	58.1	Methodus ascendendi ad generalia nō potest referri ad inuentionem	124.1
Methodus doctrinae instituenda quo modo intelligenda	120.1	Methodus ascendendi ad generalia ineptè à Thessalo refertur ad distributionis locum	124.1
Methodus in inuestigando debuit explicari in arte differendi	56.1	Methodus artium inueniendarū an Thessalo praetermittenda	121.1
Methodicus descensus à generalibus, auctori non incognitus	158.1	Methodi & argumenti potest esse commune nomen	124.1
Methodus poetarum, & philosophorum in quo differat	138.1	Methodus in inuestigando non debuit à Thessalo praetermitti	55.1
Methodus quo modo varianda	67.1	Methodus quaedam à principiis alia ad principia secundum platonem	55.1
Methodus Analytica qualis in tribus extremis scientiarum	117.1		
Methodi explicatio partim facilis partim difficilis	139.1		
Methodus duplex	66.1		
Methodus exacta nō est quarenda in poetis, & oratoribus	65.1		

INDEX.

metaphysica cum physicis coniuncta apud Platonicas	180.1	Moralium ad Nichomachum distributio, & ordo	104.2
metaphysica Platoni est dialectica	177.1	Mores animi qui & quo modo dicatur se- qui corporis temperationem	370.1
metaphysica qualem principatū obtineat in omnes scientias	177.1	Mosis cum mercurio coniunctio de mundi origine	291.1
metaphysica quales causas contempletur	174.1	Moses Atticus Plata	p.
metaphysica humorum in Platone quid significet	44.1	Mosis scripta Platoni perspecta	29.1
metempsychosis habet aliquid consentiens cum sententia de resurrectione	374.1	Motus substantificus à Platone tribuitur animo	20.2
Metempsychosis videtur habere adiun- ctam diuinam providentiam iustitiam	368.1	Motus animi qui toto genere, & omnino sint vitiosi	132.2
Metempsychosis quid comoditatis habere possit in nostra religione	373.1	motuum animi distinctio	132.2
metempsychosis allegoricè explicata variè à Platonis	368.1	motus quidam non physici, quibus anima Platoni mouetur	273.1
metempsychosis Pythagoreorum fabula ab Arist. appellatur	386.1	motus simplices qui Aristoteli	297.1
Minerva poësis quid significet	194.1	motus animi an cadant in hunc à corpore separatum	69.2
mixtionem naturalem nulla ars potest assequi	381.1	motus simplicis duæ tantum species Platoni	p.
Modi tres quibus idem vel diuersum dicitur, quo modo apud Aristotelem accipiendi	132.1	motus animalis causam Hippocrates tribuit venis	392.1
morborum diuisio ex Galeno, comparata cum Platonica	440.1	moueri à se quid propriè dicatur	18.2
morborum cause secundum plato.	427.1	moueri à se quam variè apud Arist. dicitur	19.2
morbi simularium partium an quidam re- tte dicantur pertinere ad formam	440.1	mundus duplex	37.1
morborum tria genera Platoni	439.1	mundi cur plures esse non possint, ratio- nes Platonis & Arist. examinantur	287.1
morborum animi origo, & distinctio	369.1	mundi originis ratio ab Arist. reprehendi- tur in Platone	280.1
moralis philosophiæ subdiuisio	22.1	mundus intelligibilis Platoni Dei filius	37.1
mortis meditatio qualis in philosophia	3.1	mundi exemplar æternum	222.1
morales virtutes Dei maiestate sunt indi- gne	13.1	mundi æternitas ex Arist.	283.1
		mundi medium cur duplex	293.1
		mundi principia cur per figuras à Plat. ex- posita	301.1
		mundi principia tum insita tum assisten- tia, quo modo Platonis soleant distin- guere	262.1

INDEX

Mundus magnum animal constans ani- mo & corpore	278.1	quodammodo hunc procreare dicatur	307.1
mundus hic quare senii expers	278.1	mundus Platoni Deus est	279.1
mundus an pati possit à causis internis	296.1	mundus duplex	276.1
mundus intelligibilis Platoni quid	283.1	modo hoc totam materiã absumptam an rectè Arist. ponat	288.1
mundū generatum quomodo Plato dicere soleat	307.1	mundus quanquã Aristoteli æternus a- gnoscit tamen sua æternitatis causam superiorem	283.1
mundum alium ante hunc fuisse, & post hunc futurū, Origenis error	285.1	multitudo rerum sub eadem specie, vnde proficiscatur	289.1
mundi æternitas natura lumine quo mo- do probabilis	250.1	mundi cause tres	278.1
mundus non potuit habere mentē nisi per intermediam animam	308.1	mundus Theologis an aliquando sit inte- riturus	282.1
mundos duos dixisse se. D. Augustinus dolet	283.1	mundi consummatio post sex millia anno- rum	321.1
mundus corpore finitus, an possit suis vi- ribus æternus esse	296.1	mundi mediū quale, & quo modo sit ac- cipiendum	317.1
mundi, vt animalis, qualis motus, & sen- sus	279.1	modo cur Platonis non audeant attri- buere veram originem, sed rationis tan- tum	316.1
mundi origo, & natura ex Mercurio Tri- smegisto	291.1	mundus idealis, intelligibile primum	26.1
mundi anima an duplex? vna quæ boni causa, altera quæ mali	280.1	mundus Deus quidam, idemque animal	242.1
mundus quare vnicus	278.1	mundi æternitas Platoni non continetur legibus natura	282.1
mundorum multitudo quibus rationibus probetur à Plutarcho	289.1	mundi anima non est Deus summus sed eo longè inferior	280.1
mundi figura qualis	278.1	mundi origo qualis Platoni	280.1
mundus quare expers morbi, & senectu- tis	295.1	mundū esse vnicum quia eius vnica idea an rectè Arist. probet	288.1
mundus propter hominem factus Lactã- tio	284.1	mundi anima vbi sit, & quo modo distin- guatur	ibidem.
mundus præditus est sensu interno nõ ex- terno	297.1	mundi corpus quibus figuris sit informa- tum	299.1
mundi corpori cur nulla insint sensuum instrumenta	296.1	Musica cum Astronomia comparatio	177.1
mundi anima spiritui diuino responderet	255.1	Musica & Astrologia	176.1
mundus animal intelligens	308.1	Musica vsus,	170.1
Mundi animum Deus non procreat etiã si			



N

Naturalia mouentur à principio partim insito, partim assistente

325.1

Natura quo modo δαυωνα ab Arist. esse dicatur 336.1

natura cuiusque proprietates cadit semper commoditati natura uniuersa 438.1

natura in quo posita, & qua secundum naturam esse dicantur 223.1

natura quasi deliberans an dici possit, & quo modo 145.1

naturales forma cur impura 184.1

natura duplicis in ordine distinctio Arist. familiaris 143.1

naturalium cōtemplationem Socrates, & Plato parum probauerunt p.

natura à Deo distinctio ex Arist. 242.1

natura quanta vis ad virtutem, & sapientiam consequendam 116.2

natura priora etiam si semper primo loco ponenda sint, nō potest hoc ad unicum methodum pertinere 159.1

natura nihil frustra facit, neque unum ad duos usus 296.1

natura ordo duplex 143.1

natura ordo duplex 68.1

necessitas veteribus physicis qualis 83.2

necessitas quo modo spectanda in natura 382.1

neruorum nomine à veteribus significari ligamenta 386.1

neruorum usus 385.1

νόσος quid 207. & 220.2

νόσος quam variè latine dici possit 221.1

nomina significant ne natura 167.1

nomina sacra non temere in quauis linguam vertenda 167.1

nomina in ueneficiis, & carminibus ha-

INDEX.

bent aliquid naturale 167.1

nominum pronunciantorum ratio habet aliquid singulis nationibus familiare 167.1

nominis cum radio textoris comparatio ex Platone 168.1

non ens quo modo intelligatur ex ratione ad ens 284.2

notio & notitia quid significant 220.2

numerorum utrum idea 221.1

numeri certi quibus animus cum suo corpore coniungitur 67.2

numerum explere quid sit 67.2

O

Obiecta cognitionis nostrae quo modo à Plat. diuidantur 29.1

Occasio disputationis de methodo 114.1

Oculorum ignis qualis 397.1

Oculum videndo aliquid recipere etiam Galeno 405.1

Oder quid 395.1

Odoratus cōparatio in homine, & in alijs animantibus 420.1

Odoratus imbecillitas quanta sit in nobis 419.1

Odoratus in nobis qualis 395.1

Odores cur non percipimus nisi spiritu a ducendo 435.1

Opinio Platoni videtur imaginatio 31.1

Opinio Aristoteli quid 30.1

Opinio quid & quo modo se habeat ad sensum, & memoriam 24.1

Opinio & intelligentia apud Plat. quoru sunt & quo differant 178.1

Opticorum neruorum substantia qualis 409.1

Ossatus pro Thessalo quis 81.1

Ossa quibus ex causis concreta 385.1

δυστορας

INDEX.

P

ivortus de Deo quo modo dicitur 225.2

Ouidij metamorphosis ex Pythagorica metempsychosi 377.1

Oraculorum varietas 365.1

Oracula in diuinationis genere, quo differant à furore 365.1

Oracula Christo nato defecerunt 341.1

Orationis partes duae 163.1

Orationis duae species tantum Platoni 163.1

Oratio consentiens cum cogitatione, dissentiens à re, utrum vera vel falsa 32.1

Oratores & poeta non obseruant exactam methodum 65.1

Oratori quae ex philosophia petenda 163.1

Ordo natura duplex 143.1

ὀρεξιόν quid 224.2

Origenis opinio de duplici animi purgatione 372.1

Origenis error de cōditione animi post vitam hanc 371.1

Origenis error de metempsychosi 375.1

Origeni calum animal 326.1

Origenis error in quaestione de mundo duplici 283.1

Originem rationis in mundo Aristot. exagitat 280.1

Origenis error de restitutione demonum 373.1

Origenes nimium multa tribuit Platonis 322.1

Origenis error in quaestione de mundi origine 284.1

Organica causa an prima causarum diuisione comprehendenda, contra Scaligerum 280.1

Origo quo modo attribuitur aeternae, & caducis, ex lo. Grammatico 316.1

PAn magnus quando mortuus 344.1

partes natura priores toto, & totum partibus 310.1

partes & species quo modo ad inuicem se habeant 46.1

pars quo modo toto natura prior, & posterior 272.1

participationis modus alius in ideis, & uniuersalibus 211.1

partitio ad a. n. s. n. e. m. quo modo se habeat 46.1

partium quare non sint idea 221.1

paradoxa Stoicorum unde profecta 111.2

Paulus Foxius nostrae philosophiae fautor 241.2

Paulus Foxius literatissimus, & litteratorum amantissimus 292.2

Paulus Foxius philosophiae Platonicae, & Peripateticae amantissimus 190.2

Paulus Foxius philosophiae cognitione clarissimus 265.2

Paulus Scalichius Io. Mirandulae Simius praef.

Paulus Scalichius pollicetur se scripturum de cōparatione Plat. cum Arist. hosque in omnibus minimo negotio conciliari posse

patiendi ratio duplex 296.1

peccatis quamquam inuoluntariis, poena tamen debetur 135.2

peccata cur Platoni cum inuoluntaria sint, legibus tamen punienda 140.2

peccatum nō est in voluntate nisi defectus sit in ratione 137.2

peccata omnia ab inscitia, vel imprudentia proficiscuntur 119.2

E

INDEX.

peccatum non potest ad Deum tanquam ad causam referri	77.2	ferre conatus est ad humorem melan- cholicum	349.1
peccata an aliqua ex parte cum diuina providentia consentiant	76.2	P. Gallandij sententia de Ramo	97.1
peccata non sunt paria	128.2	philosophia quid	1.1
pellucidum quid significet	252.2	philosophia definitiones varia, unde du- cta	3.1
pœna prodest ei qui iniuriã intulit	136.2	philosophia definitio quos in errorem im- pulerit	4.1
πεπαιωγὴν quid significet	201.2	philosophia paucorum approbatione con- tenta	287.2
Peripateticorum cum Stoicis comparatio in questione de perturbationibus	148.2	philosophia diuisio	15.1
Peripateticorum, & Stoicorum dissensio de virtutibus an sint ingenita, pertinet ad verba magis quam ad sententiam	129.2	philosophia diuisio ridicula ratioẽ à The- salo exagitur	16.1
Peripateticorum cum Platonici comparatio in diuisione bonorum	112.2	philosophia ad sapiam quo modo se ha- beat	6.1
Peripateticorum, & Stoicorum comparatio in questione de perturbationibus	133.2	philosophia contemplantis subdiuisio	169.1. & 16
perspiratio occulta à manifesta respiratio- ne quo differat	430.1	philosophorum vita Platonis qualis	107.2
perturbationum generalis diuisio & ori- go	146.2	philosophi cum ad Remp. regendam cogit- tur, an in eo patiantur iniuriã	12.1
perturbationes non sunt iudicia animi	143.2	philosophus orationis ornatum non debet affectare sicut neque puritatem respicere	288.2
perturbatio animi quid	143.2	philosophia moralis subdiuisio	22.1
perturbationum moderatio optima	129.2	philosophia quo modo sit mortis medita- tio	3.1
perturbationes omnes quo modo oriãtur ex opinionẽ boni vel mali	143.2	philosophia contemplantis particulae tres	22.1
perturbationes animi non sunt volunta- ria	143.2	philosophos quid perturbet in questione de demonibus	351.1
perturbatio an animi morbus	146.2	philosophica animi separatio à corpore du- plex	4.1
perturbationes an sint nostra opera	277.2	Pherecides Syrus Cicero videtur primus dixisse animos immortales	5.2
perturbationes animi oriri à corpore	369.1	philosophi excellentia in quo	3.1
perturbationes quae simplices sunt, & quae mixtae	144.2	philosophus quo modo Deo similis efficia- tur	114.2
perturbationis nomine quo modo Stoici, & Peripatetici utantur	133.2	philosophi viuunt extra corpus potius quã in corpore	107.2
perturbatorum & violentorum peccata an eodem loco habenda	141.2	philosophi potius metuent ne nimium multos quã ne paucos habeant auditores	288.2
Petri Montauerei de Ramo sententia	96.1		
Petrus de Apono demoniacorum causam re-			

INDEX.

philosophorum veterum cõsuetudo in suis mysteriis continendis	106.2	philosophorum graecorum peregrinãdi stu- dium	p.
philosophus à medico quo differat in mor- borum causis explicandis	439.	philosophi quo modo descendant ad actio- nem	12.1
philosophi pãdia in mathematicis abstra- ctionibus	7.1	philosophi omnes in comparatione Plato- nis cũ Arist. laborauerunt	p.
philosophi debent esse Rerump. principes	160.2	philosophi non fastulerunt voluntatis, & arbitry libertatem	87.2
philosophus à sophista quo differat	170.2	philosophari rectẽ, Platonis quid	376.1
philosophorum felicitas	101.2	physicorum contemplatio qualis à Plato- ne laudetur	174.1
philosophia & amor animo parant redi- tum in caelum	368.1	physica ad mathematica quem ordinem habeant	173.1
philosophus à contemplatione ad actionem quando descendat	10.1	physica contemplatio quae in se completa- tur	169.1
philosophi perfectio in quo posita	2.1	physici an sit de omni animi parte dispu- tare	56.2
philosophus quis	1.1	Platonis rationes cõtra eos qui volunt ani- mum esse harmoniam corporis	9.2
philosophus in rep. quid sibi retineat	14.1	Plato in philosophando cum omnibus non eodem modo loquitur	206.2
philosophi in imperando crudeles	8.1	Platonis cum Arist. comparatio in eo cir- ca quod sophista versari dicitur	172.
philosophi reprehenduntur qui nunquam volunt ad Remp. accedere	13.1	Platonis rationes octo ad confirmandam immortalitatem	7.2
Philoludens vult Platonis mundum reue- ra ortum	280.1	Plato an menti à corpore separata tribuat recordationem	23.2
φπὸνοῖς pro sapientia ab Alcinoo usur- pata	203.2	Platoni etiam videre nos aliquid recipiẽ- do	406.1
philosophi res abstractas populariter expli- cant per concretas	206.2	Platonis, Galeni & Arist. comparatio in sa- porum distinctione	420.1
philosophorum contemplatio omnium bea- tissima	12.1	Plato in physicis quos sequatur	175.1
philosophi nomen quo modo modestum, & arrogans	6.1	Platonis dialectica qualis	17.1
philosophi ad summam felicitatem pra- paratio in quo posita	103.2	Platonis peregrinatio	p.
Philosophi quid natura lumine de Deo vi- derint	234.1	Platonis cum Theophrasto comparatio in questione de saporibus	421.1
philosophica animi purgatio antecedit cõ- templationem	4.1	Platonis cum Arist. comparatio in ratio- nibus quibus probatur distinctio partium animi	473.1
philosophi vita quo modo gradibus etatis distinguenda ex Platone	179.1	Platonis reprehensio in explicãda genera- tione phlegmatis	444.1
philosophus à mendacio debet abhorre- re: mendacium tamen in eodem aliquando utile	7.1		



INDEX.

- plato in principis anima conciliat veterum sententias 314.1
plato videtur sensus sedem ponere in cerebro 389.1
plato cur mundi principia per figuras explicet 301.1
plato à D. Augustino reprehenditur de animalium procreatione 360.1
plato à Galeno reprehensus in distinctione febrium putridarum 446.1
plato quo impulsus ad ponendas ideas 191.1
platonis astra animata 325.1
platonis cum Arist. conciliatio in questione de natura oculorum 400.1
plato quale physiologiam in suo philosopho probet 174.1
platonis loci ad probandum illum ideas in Deo posuisse 198.1
platonis varia forma agendi in variis Dialogis 164.1
plato non posuit ideas ab ipso Deo separatas 196.1
platonis videri cognitum Dei filium, & spiritum sanctum 235.1
plato & Arist. quo differant in philosophandi modo p.
platonis cum Arist. comparatio in ethicis p.
plato cum Socrate rerum naturalium contemplationem parum probavit p.
plato reprehenditur à Galeno in explanatione humorum 443.1
platonis sententia de Deo 234.1
plato circa Deum somniat magis quam illum intelligat 236.1
platonis temporibus definiendi ratio adhuc obscura 166.1
platonis & Arist. comparatio in questione de ideis, & universalibus 204.1
platonis metaphisica, dialectica est 177.1
plato vilium rerum generationem non bene explicat 219.1
platonis cum Arist. comparatio difficilis p.
platonis, quae dialectica partes 38.1
platonis Deus neque mouet proprie, neque mouetur 272.1
plato quo modo ponat mundum aeternum 282.1
plato qualem originem mundo tribuat 280.1
platonis inconstantia notata à Theodoro in questione de mundo 282.1
platonis perfecta Moses scripta 290.1
platonis & Arist. dissensio in viis per quas fertur potus 387.1
plato & Hippocrates in explicandis elementis quo differant 423.1
platonis inconstantia nota à Iustino martyre 279.1
platonis diuinitas plerumque abit in superstitionem p.
platonis logica qualis 16.1
platonis & Arist. in philosophando consuetudo p.
plato quid diuinitus de Deo cognouerit & scripserit 233.1
plato ab Augustino reprehensus in questione de animo 34.1
platonis animus tabula rasa 35.1
plato in iis quae ad anatumen pertinent, non satis exercitatus 245.2
plato in moralibus Arist. diuiniore 104.2
plato unde hausserit quae de Deo scripsit 236.1
plato contra D. Augustinum defensus 34.1
plato in diuinis Aristotele superior p.
platonis cum Arist. comparatio in questionibus physicis p.

INDEX.

- plato vult Aegyptiis credi sine ratione fenditur 292.1
p.
platonis & Aristotelis rationes de mundo, cur unus, examinantur 287
platonis mentem de natura oculorum, ab Aristotele non oppugnari 400.1
platonis cum Aristotele comparatio in questione de numero principiorum 181.1
plato & Aristoteles circa materiam quo differant & consentiant 181.1
platonis Dialectica quatuor potissima capita continet 46.1
plato quomodo ponat aliquando Deorum multitudinem 235.1
platonis cum Aristotele comparatio Philosophis necessaria p.
platonis cum Aristotele comparatio de natura oculorum 398.1
platonis philosophia quomodo imperfecta videri possit p.
platonis dua tantum motus simplicis species p.
plato an Hieremia fuerit auditor p.
plato Atticus Moses p.
platonem an Christus legerit p.
platonis materia prima ab Aristotele quo differat 182.1
plato quantum Aegyptiis tribuat in philosophando p.
plato non videtur animi partes re & substantia distinxisse 453.1
platonis prima sentiendi instrumenta non videntur esse in nervis 389.1
plato ignorant quae ad corporum anatumen pertinent 388.1
plato de opinione ab Aristotele reprehenditur 31.1
platonis & Aristotelis sententia de Venere mascula 159.2
plato contra Contarenum Cardinalem de-
- platonis cum Aristotele comparatio in questione de vitius, voluntariis sint an inuoluntaria 137.2
platonis sententia de fato aliqua ex parte consentit cum nostra religione 78.2
platonis opinio videtur imaginatio 31.1
plato ab Aristotele reprehensus in questione de respiratione 431.1
plato à Galeno reprehenditur, de tremore & rigore 423.1
platonis cum Aristotele comparatio in distinctione principum facultatum animi 470.1
plato à D. Augustino male arguitur inconstantia 315.1
platonis cum Aristotele conciliatio de modo videndi 405.1
platonis & Aristotelis dissensio de eo quod sursum & deorsum 424.1
platonis de fato sententia 81.2
platonis cum Aristotele comparatio in distinctione formarum Reip. 167.2
plato ab Aristotele reprehenditur de reuocatione virtutum omnium ad prudentiam 125.2
platonis τὰ ὄντα dupliciter dicuntur 206.2
platonis inconstantia notata à Theodoro 376
platonis & Aristoteli quorum sit scientia 29.1
plato non idem habuit pro scopo libris de Legibus, & de Rep. 163.2
platonis doctrina consentit cum Christianorum libero arbitrio 94.2
platonis dialogorum diuisio p.
platonis sententia reprehenditur de mali origine ex materia 270.1
platonis physica cum metaphisicis sunt coniuncta 180.1



I N D E X.

Platonica ratio scribendi per dialogos p.
 Platonici Timaei summa, & eiusdem di-
 stinctio 175.1
 Platonica Solis cum Deo comparatio
 263.1
 Platonica ratio octava ad immortalitatem
 omnium praestantissima 17.2
 Platonici an recte Physici cognominentur
 264.2
 Platoniorum variae opiniones de Pythago-
 rica metempsychosi 367.1
 Platonica ratio septima ad immortalita-
 tem 15.2
 Platonica vxorum communitas qualis
 p.
 Platonici cur non audeant attribuire mū-
 do veram originem, sed rationis tan-
 tum 316.1
 Platonici familiaris communicatio cum
 demonibus 339.1
 Platoniorum cum Peripateticis compara-
 tio in diuisione bonorum 112.2
 Platonica ratio tertia ad confirmandam
 immortalitatem 5.2
 Planetarum ordo in calo quis 323.1
 Plinius ponit animos mortales 6.2
 Plinius contra Aristotelem de respiratio-
 ne 433.1
 Plotini demon 339.1
 Plotini sententia de ideis 193.1
 Plotini argumentum contra Aristotelem
 de modo videndi 411.1
 Plotini sententia de metempsychosi
 367.1
 Plotinus non vult animi partes à Platone
 substantia distinctas 453.1
 Plutarchus conciliator Platonis in qua-
 stione de animae immortalitate 315.1
 Plutarchus contra Aristotelem de mundo
 cur vnicus 287.1
 Plutarchi opinio de vniōe virtutum o-

mnium 125.2
 Plutarchi locus de animi compositione
 312.1
 Plutarchus quomodo probet mundorum
 multitudinem 289.1
 Ricardorum nobilia exempla inter litera-
 tos 85.1
 Pisces non respirant Aristoteli 431.1
 Pituita Platonis quid 427.1
 Pituita putrescens, in nobis quos affectus
 pariat 446.1
 Pythagorica distinctio Mathematicarum
 artium 176.1
 Pythagoreorum reprehensio in distinguē-
 dū differentis situs in calo 319.1
 Pythagorae peregrinatio & communicatio
 cum iudais p.
 Pythagoreus cur par in ordine infinitorū
 impar in ordine finitorum 314.1
 Pythagoriorum cum Democrito & Leu-
 cippo comparatio 302.1
 Pyramidis figura, cur ignis 302.1
 Poetae & Oratores non sunt artifices exa-
 mta methodi 65.1
 Poetarum methodus habet nonnihil artis
 139.1
 Poetarum carminibus quid debeat celebra-
 ri in optima Rep. 111.2
 Poetarum furor qualis 365.1
 Poetae de Deo quid cognouerint 233.1
 Pomponatij impia licentia in quaestione de
 demonibus 340.1
 Pomponatij cur multi in quaestione de im-
 mortalitate sint infectati 49.2
 Pomponatij opinio de immortalitate ani-
 morum perniciofa 48.2
 Pomponatius demoniacorum causam re-
 tulit ad humorem 349.1
 Porphyrij testimonium de demonibus Chri-
 sto cedentibus 341.1
 Porphyrij locus illustratus de accidentis se-

I N D E X.

paratione 258.2
 Porphyrij quaestiones tres explicatae in i-
 deis & vniuersalibus 211.1
 Porphyrij quaestiones tres Platonica p.
 possibilis & contingentis natura qualis
 sit 71.2
 potentia actiua, qua forma, est duplex
 249.1
 potentia duplex Aristoteli 245.1
 potentia passiuā semper cum aliqua im-
 perfectione coniuncta 245.1
 potestatis & actus distinctio 273.1
 potentia materiae cur cum quadam imper-
 fectione 248.1
 principia rationis duplicia 24.1
 priora sublati posterioribus manent ad-
 huc sinonimōs 229.2
 prima intelligibilia non cognoscuntur per-
 fectē per discursum 37.1
 priuationis Aristotelica cum Deo compa-
 ratio 213.1
 πορφυριουσα qua 205.2
 probabilis ratiocinatio à demonstratione
 quo differat ex Plat. 21.1
 Procli obseruationes de iis in quibus Ari-
 stoteles Platonis contradicit p.
 Proclus à Io. Grammatico reprehensus in
 quaestione de tempore 316.1
 Procli sententia de intellectu agente
 47.2
 proportionis tres differentiae 293.1
 proportionem geometricam cur Plato as-
 sumpserit ad mundi originem 293.1
 propositionum diuisio & subdiuisio
 41.1
 prouidentia Dei quomodo se habeat ad res
 futuras 77.2
 prouidentiae diuinae gradus 175.1
 prouidentia triplex 79.2
 prouidentia diuina qualis ab Aristotele

posita 175.1
 prouidentia qua officia 85.2
 prouidentia quomodo possit aliqua ex par-
 te mutari, aut non possit 79.2
 prudentia quid 118.2
 pulchrorum ordo, & per hunc ascensus
 ad Deum 162.1
 pulchritudinis gradus quomodo nos eue-
 hant ad Deum 274.1
 pulchritudo quomodo gradibus distingua-
 tur in his quibus inest 273.1
 pulchrum & bonum quomodo se habeant
 ad inuicem 274.1
 pulmonis conformatio & usus 449.1
 pulmonum usus ex Platone 429.1

Q

Qualitates quomodo intendi possint
 aut non possint 129.2
 Qualitates etiam corporum, sunt incor-
 poreae 227.1
 Qualitas media est inter formam & ma-
 teriam 275.1
 Qualitatum intentio & remissio ex qua
 causa proprie pendeat 130.2
 Qualitatum tactilium gradus
 422.1
 Qualitas incorporea quā variē dicatur
 274.1
 Quaestio de methodo magna 66.1
 Qualitas tantum actionis instrumentum
 275.1

R

Rami schola philosophiam querit in
 poetis & Oratoribus: eoque dam-
 nata ab Academia 92.1



INDEX.

- Ramus cur Theſſalus methodicus ab an-
thore ſoleat appellari 53.1
Ramus omnibus ordinibus Academiae o-
diſus 110.1
Ramus lunoni infernae ſacer 85.1
Rami doctrina damnata à Rege Franciſco
90.1
Ramus in Grecis parum exercitatus 111.1
Ramus inconstans in patria aſſerenda
86.1
Ramus damnatus à Senatu 92.1
Rami doctrina damnata à iudicibus à Re-
ge delectis, horumque ſententia 96.1
Rami impudentia in Senatu contra Aca-
demiã Pariſienſem 93.1
Ramus cur Theſſalus nominetur 82.1
Rami in Ariſtotelem conuicia 106.1
Rami doctrina damnata ab uniuerſa A-
cademiã Pariſienſi 89.1
Ramus viam aperit ad inſcitiam 85.1
Radij affectus qui fracti vel inflexi eſſe di-
cantur 248.2
Radiorum affectus differentia 248.2
Rationis duplicis principia 24.1
Ratio in homine duplex 207.2
Ratio humana quo modo ſe habeat in a-
ctione & contemplatione 38.1
Rationis motus cur ſimilis motui in or-
bem 298.1
Rationis quinta ad immortalitatẽ exa-
men 11.2
Ratio quo differat in deo & in homine.
27.1
ratio in iudicando quàm variè ſe habeat
207.2
ratio in hominibus & demonibus qualis
& quomodo diſtincta 357.1
ratio in Deo & in homine quo differat
207.2
rationis quartæ ad immortalitatem cum
tertia comparatio 9.2
Recordatio vite ſuperioris in animo quid
371.1
recordatio vite ſuperioris qualis à plato-
ne poſita 12.2
recordationem vite ſuperioris in nobis eſſe
ponendam, quibus argumentis platonici
probent 2.2
Reginaldi Odonis pernicioſa ſententia de
intellectus ſeparatione 45.2
Rhetorica artes, ſunt etiam logica 295.2
rhetorica Dialectica & philoſophia mo-
ralis propago 166.1
Relatorum ſintne ideæ 220.1
Res præter naturam quæ à platoniciſ eſſe
dicantur 215.1
Reipublica adminiſtratio quibus paribus
conſtet 14.1
Reipublica partes cum partibus animi cõ-
parantur ex platone 160.2
Reipublica due forma prima apud ipſum
platonem 160.2
Reipublica adminiſtrande forme quinque
ex platone 160.2
Reipublica prima & ſecunda differentia
apud platonem 169.2
Repudiandi verbum non eſſe barbarum,
vt putat Logodadalo 258.2
Reſpirationis uſus qualis 428.1
reſpirationem Ariſtoteles non vult ani-
malem eſſe actionem, ſed naturalem
437.1
reſpiratio manifeſta cuius facultatis ſit a-
ctio 436.1
reſpiratio à perſpiratione occulta quo diſ-
ferat 430.1
reſpiratio ſecundum platonem quomodo
fiat in nobis 427.1
Rigoris vocabulum inter philoſophos tole-
rabile 255.2
Rigor quid platonem & unde 396.1
Riſus à Logodadalo non rectè ponitur in
ſplene

INDEX.


- ſplene 264.2
Roſadeletij ſententia de reſpiratione piſcium
reprehenditur 434.1
S
Sancitas in quo poſita 114.2
Sanguinis temperamentũ quale 381.1
ſapientiam cur Dij dicantur ab Ariſt.
inuidere 6.1
ſapientia quid 1.1
ſapientia cum malitia valde pernicioſa
8.1
ſapientia quàm variè à Platone deſiſſa
5.1
ſapienti quali honor 113.1
ſapientia amor qualis in philoſopho 6.1
ſapientes ſeptem Græcia 6.1
ſapientis ſua ſponte, non propter præmia vir-
tutem ſequitur 113.2
ſapor quid, & quæ eius differentia
395.1
ſaporum prima differentia, ſeptemne an
octo ponenda 421.1
ſaporum differentia à Platone quomodo
diſtinguantur 420.1
ſapor dulcis quomodo ſe habeat ad pingue
421.1
ſaporum differentia quæ naturæ rerum re-
ſpondeant 421.1
Satyri & Fauni quales D. Hieronymo co-
gniti 345.1
ſaturnus quomodo concitatiſſimus & tar-
diſſimus 324.1
Sebaſtiani Foxij error in explicanda ori-
gine ſemini 384.1
Sebaſtiani Foxij error de ſede anime ſen-
tientis 417.1
Sebaſtiani Foxij error in quaſtione de ner-
uis 385.1
Sebaſtiani Foxij error 292.1
Sebaſtiani Foxij error in conciliatione Pla-
tonis cum Ariſt. 425.1
Sebaſtiani Foxij error in comparatione Pla-
tonis cum Ariſt. de ſede primi ſenſus.
391.1
Sebaſtiani Foxij error circa nomen carnis
442.1
Sebaſtiani Foxij error in comparatione Pla-
tonis cum Ariſt. 183.1
ſeculum magnum platonis quale & quot
millibus annorum conſtet 320.1
ſemini origo ex medulla qualis 384.1
Senatus decretum contra Ramum 94.1
Seneca ponit animos mortales 6.2
ſenſus quid, & quomodo fiat 24.1
ſenſus explicatio à platone 30.1
ſenſus an efformatio imaginum in animo
33.1
ſenſus primi ſedes vtrum Ariſtoteleſi ſit in
carde 390.1
ſenſus ſedem Ariſtoteles non ponit in ca-
rebro contra Seb. Foxium 392.1
Scaligeri ſententia, quod ac nullus in a-
qua 432.1
Scaliger parum philoſophicè ſentire vide-
tur de animi noſtri origine 465.1
Scaligeri error in reprehendendis Plat. i-
deis 200.1
Scaligeri ratio contra ideas à Plat. poſitas
199.1
Scaligeri error in plat. reprehendendo
292
Scaleni inepta deſinitio à Logodadalo aſſi-
gnata 236.2
ſcientia vix datur homini in vita hac
202.1
ſcientia quorum ſit apud plat. & Ariſt.
29.1
ſenſus vtrum diuidendus in agentem &
patientem 31.1
ſenſus perfectio debeatũr in anime an ob-

I N D E X.

iecto	31.1	syluij iudicium de Thessalo	87.1
sensus quinque externi quomodo doriphori rationis, & intelligentia appellentur	247.2	similia similibus, & dissimilibus dissimilia cognosci	311.1
sensuum instrumenta cum quatuor elementis comparantur	311.1	singularum rerum an idea	217.1
sensus instrumentum ad obiectum quomodo se habeat	312.1	singula quomodo sint in fato	84.2
sensus virum actio an passio	30.1	Socrates solem contemplans, Deum contemplatur	265.1
sensus quomodo se habeat ad ipsius animi facultatem	208.2	Socrates definiendi rationem primum exhibitavit	166.1
sensus quomodo se habeat ad corpus	208.2	socrates cum Platone rerum naturalium contemplationem parvam probavit	P.
sensus quomodo fiat in nobis	406.1	socratis demon qualis	339.1
Senfile, significetne quod sentire potest, an potius quod sentire	193.2	socratis votum	7.1
sensilia prima & secunda	25.1	sol quomodo à Platone dicatur Dei filius	265.1
sentienti actus an extrinsecus adueniat, contra Simonem partium	53.2	sol & homo quomodo dicantur hominem	317.1
Sepulchra Martyrum terrori sunt demonibus	341.1	sol & Luna magni dii	323.1
Sepulveda reprehenditur de metempsychosi	386.1	solis & Dei dissimilitudo	265.1
Sermo quid	24.1	solis cum Deo comparatio	263.1.225.1
sermo homini incognitus non potest excitari vi humoris melancholici	348.1	sol boni filius	264.1
sermo an insit belluis	66.1	sol an medium mundi, in quo eiusdem anima	317.1
sermo ad cogitationem quomodo se habeat	32.1	Somniorum Hippocratica observatio ad sanitatem accommodata	477.1
sermo nullus homini ingenuus	348.1	somniorum diuisio ex possessione	364.1
Seruus quis esse dicatur	87.2	somnia quomodo contingant in somnis ex Platone	413.1
sigilla insculpta ad cali aspectum qualia sint	352.1	somnia quomodo cadant in viros bonos & pios	355.1
Simonis Magi erronea opinio ex metempsychosi quodammodo deriuata	373.1	somnia diuinitus immissa, qualia	414.1
Simonis portij de humana mente perniciofa opinio	49.2	somnia qualia à Deo vel demone	336.1
Simon Portius dicit non satis consentanea	50.2	Σῶμα quasi οὐρα dicitur	374.1
Simoni Portio intellectus agens quis	50.2	somnia qua dicantur in se habere aliquid diuini	477.1
Simonis Simonij sententia de Ramo	103.1	somnia quid à demonibus accipiant, & quomodo	364.1
similares partes ex sanguine	383.1	somniorum diuinitatem Aristoteles non probat	364.1
		somnia cur non cadant in pueros	414.1
		somnia quid requirant, ut possint habere	

I N D E X.

aliquid diuinitatis	365.1	spadones cur calui non efficiantur	384.1
somniorum interpretatio	415.1	species & partes quomodo ad inuicem se habeant	46.1
somnia vnde & quam varia	394.1	species suo genere notior & obscurior diuerso modo	57.1
somnia non omnia quae ex hepate nascuntur, habet aliquid diuinationis	248.2	speculorum ratio qualis, & quae eorum varietas	394.1
somnia quam variè in nobis excitentur et quid in eisdem diuinum	363.1	speculorum imagines quam varia appareant	416.1
somniorum differentia ex humoribus in corporibus animalium	476.1	speculorum dua differentia	249.2
somniorum diuisio non intellecta à Logodadalo	247.2	specula non omnia oportere esse densa	249.2
somniorum differentiae declarant differentias humorum in nostris corporibus dominantium	414.1	specula an nulla pellucida, contra Logodadalum disputatio	249.2
somnia quomodo quaedam sedata, alia turbulenta	414.1	speculorum explicatio duplex	416.1
somnia diuina à quo dicantur immitti	477.1	speculorum ratio ex Plat.	415.1
somnia solent respondere vigiliarum cogitationibus	414.1	spiritus visuius Galeno non satis perfectus	408.1
somni conciliatio vnde	394.1	spiritus in aspectu qualis	408.1
somno cur tentamur potius noctu quam interdii, & in tenebris quam media luce	412	spiritus animo pro vehiculo	261.2
sonorum quanta vis in afficiendis animis nostris	417.1	spiritum animale Platone vult ferri etiam per arterias	419.1
soni cur per auditum deferri dicantur vsque ad iecur	417.1	spiritus quam varij, & quam naturam habeant	337.1
sophia ad philosophiam quomodo se habeat	6.1	spiritus animalis quomodo per nervos feratur, dubitatio contra Galenum	419.1
sophista à philosopho quo differat	170.2	spiritus animalis natura qualis	401.1
sophista quomodo dicatur versari circa non ens	172.1	stellis singulis animi humani numero respondent	367.1
sophista quis & vnde nomen habeat	171.2	stella quomodo agant in hac inferiora, & maxime in hominem	369.1
sophistarum mos in laudandis suis mercibus	288.2	stella Aristoteli quid	295.1
sophismata non faciunt vllam partem logicarum artificij, sed eius vitia tantum sunt	205.2	stella ex ignea substantia	309.1
Σωφιστικὴ quid	273.2	stella an animalia ratione praedita	324.1
		stella non solum habent intelligentiam assistentem, sed & informantem	324.1
		stellarum & astrorum in mundo qualis vsus	308.1
		stellarum errantium in calo qualis ordo	309.1




I N D E X.

- Stoicorum & Peripateticorum comparatio in questione de perturbationibus 133.2
Stoicorum & Peripateticorum dissensio de virtute an ingen. ea sit, magis ad nomē pertinet quā ad rem 129.2
Stoici quomodo dixerint peccata esse paria 130.2
Στοικηδισται. v. quid 211.2
Strebei error circa ideas 200.1
Substantiæ universales sunt, non tamen separatae 206.1
Substantiæ non sunt per se contrariæ 276.1
Subiecti à materia distinctio 184.1
Suppositio in principis Reipub. quæ à Platone dicatur 162.2
Supposita Reip. forma quæ dicatur à Platone 161.2
Sudor Galeno quid 445.1
Sudor & lachryma Plat. quid 427.1
Sardi facti non necessario muti 168.1
Sardi omnes nati, cur muti 167.1
Sursum & deorsum an natura distinguatur in uniuerso 424.1
Sursum & deorsum nihil in uniuerso 396.1
- T
- Taxō apud Platonem in Timæo quid significet 443.1
Tactus an sensus vnus 422.1
Tactus & aspectus quales sint inter ipsos sensus 291.1
Tactus in nobis qualis 396.1
Tactiles qualitates quomodo gradibus distinguantur 422.1
Tempus quid 308.1
Temperamentum sanguinis Hipp. & Aristoteli quale 381.1
Temperamentum in humano corpore quā varietate possit exquiri 380.1
Temperantia, quæ Cicero duplex, quomodo sit intelligenda 124.2
Temperantia quid 118.2
Tempus ad atornitatem quomodo se habeat 320.1
Terra figura cur cubica 303.1
Terra totius maior quantitas, quā aqua 294.1
terra atrix omnium & magna mater 366.1
terra an mundi medium in quo eiusdem anima dicatur residere 314.1
terra portio aliqua an sit in corpore celesti 294.1
terra deorum antiquissima 327.1
terra diei & noctis effectrix 366.1
terrae in reliqua elementa permutatio ex Platone 305.1
Tertullianus de metempsychosis 370.1
Tertulliani argumenta contra Plat. 15.2
Tertulliani opinio de conditione animi post vitam hanc 371
Tertulliani rationes contra recordationem vite superioris à Plat. positam 13.2
Tertullianus assentitur Aristoteli de animi sede in corde 473.1
Thales ab ancilla reprehensus 13.1
Themistij error notatur in examinanda ratione Arist. ad immortalitatem 24.2
Themistius obscurus in questione de nostro intellectu 43.2
Themistij doctrina de intellectu agente & potentia, non omni ex parte consentiens 42.2
Theodoretus Platonem arguit inconstantiam in questione de mundo 282.1
Theodoretus Platonem arguit inconstantiam in comparatione animi cum corpore 374.1

I N D E X.

- Theodoti Cyrensis de animi humani origine, dubitatio 459.1
Theologorum sententia de Deo, qualis actus sit 247.1
Theologia finis 169.1
theologorum variae sententiae de futuro mundi interitu 282.1
theologi Christiani de perturbationibus assentiuntur Peripateticis potius quam Stoicis 134.2
Theophrasti sententia de prima mente secundum Arist. 34.2
theologorum sententia quo modo Deus res singulas cognoscat 219.1
thessali maiestas quibus titulis ornata 78.1
thessali error circa nomē dialectica 17.1
thessali in Arist. furor 253.1
thessalus Aristoteli imponit 251.1
thessali in philosophia nihil propriū prater fucum 248.1
thessali vniuersa sapientia in quaestione de methodo 78.1
thessalus methodi ignarus 118.1
thessalo, finis prior mediæ ratione ridicula 62.1
thessali error in intelligendo loco Arist. de methodo 122.1
thessalus suo iure dicere potuit omnium ratiocinationum figuram unicā 72.1
thessali error in ponenda analytica methodo ad confusa deducente 145.1
thessalus in excusanda suorum scriptorum inconstantia 136.1
thessali scripta in quorum manibus versentur 136.1
thessali error in explicanda potentia passiva 249.1
thessali errores varij ex ignorata distinctione logici organi 150.1
thessalus vult analysin deducere à confusis, & ad confusa 146.1
thessali inconstantia in methodo modo ad inuentionem modo ad iudicium referenda 138.1
thessalus inepte docere vult Aristotelem quo modo sit utendum analysi 125.1
thessalus mathematica faciat ea referendo ad mechanica 172.1
thessali error circa tempora Zenonis Citraei 150.1
thessalus rerum physicarum, & mathematicarum ignarus 129.1
thessalo vnica methodus inueniendi artes, & explicandi 126.1
thessali error in ponenda contrarietate substantiarum 276.1
thessalus multa à Laurentio Valla est mutatus 72.1
thessalus sibi contrarius in distinctione duplicis ordinis naturæ 144.1
thessali error in quaestione de ordine naturæ 310.1
thessali error in tribus quaestionibus Porphirij 212.1
thessalus à Galeno descriptus quā apte cum Ramo consentiat 83.1
thessalus magis laborat in scedando Arist. quā in intelligendo 243.1
thessali error, & inconstantia circa formas argumentandi in Hippotheticis 164.1
thessali error in cōparatione generalium cum specialibus 62.1
thessalus an debuerit pratermittere methodum artiū inueniendarum 121.1
thessali opinio puerilis de ideis 210.1
thessalus ad disputationem prouocatur 160.1
thessalus odit omnem distinctionem 116.1
thessali de dialectica dignitate fallax ratiocinatio 17.1
thessali in physica methodo inconstantia 130.1



INDEX.

<i>Theſſalus male interpretatur Galeni Syn- theſin</i>	129.1	<i>Thoma ſententia de animi humani ori- gine</i>	462.1
<i>theſſali error in referendo aſcenſu ad gene- ralia, ad diſtributionis locum</i>	124.1	<i>Thoma ſententia improbat de origine, & diſtinctione partium animi</i>	468.1
<i>theſſali error in explicando primo capite lib. x. phyſic.</i>	146.1	<i>timæi platonici ſumma, & eiſdem di- ſtinctio</i>	175.1
<i>theſſali excuſatio quod multa unica me- thodo complectatur</i>	131.1	<i>timæi platonici diſtributio</i>	379.1
<i>theſſalus falſo Ariſtotelem inſimulat a- theiſmi</i>	238.1	<i>timæi opinio de metempsychofi</i>	370.1
<i>Theophrasti ſententia de ſaporibus</i>	421.1	<i>Topica & Analytica Ariſt. non ſunt ad vnam artem reuocanda</i>	149.1
<i>theſſali inconstantia in quaſtione de indu- ſtione, & exemplo</i>	123.1	<i>Topica cum Elenchis apud Ariſt. faciunt vnum opus</i>	150.1
<i>theſſalus ſibi repugnat in quaſtione de me- thodo</i>	56.1	<i>Topica ad Analytica quo ordine ſe ha- beant</i>	154.1
<i>theſſalus dicendo potentiſſimus, ſed im- pudentia loqe omnibus ſuperior</i>	289.2	<i>totum dupliciter dicitur</i>	52.1
<i>theſſalo materia, & forma corporis natu- ralis partes</i>	130.1	<i>totum quo modo partibus natura prius & poſterius</i>	272.1
<i>theſſalus in quaſtione de methodo, adhuc hæret</i>	139.1	<i>totum prius natura partibus, & partes toto</i>	310.1
<i>theſſali error in quaſtione de fine mathe- maticorum</i>	171.1	<i>tractabile nihil ſine terra</i>	292.1
<i>theſſali in ſcriptis inconstantia</i>	133.1	<i>tremoris & Rigoris que cauſe ſint plato- ni</i>	423.1
<i>theſſali eloquentia qualis</i>	79.1	<i>Trianguli angulus diis quatuor eſt confe- cratus</i>	302.1
<i>theſſali error in confundenda metaphyſi- ca cum dialectica</i>	179.1	<i>Trianguli præſtantia in rerum omnium generatione</i>	302.1
<i>theſſalus ridiculus in exagitanda philoſo- phia diuiſione</i>	16.1	<i>Triangulus pythagoreis principium om- nis ortus</i>	302.1
<i>theſſali impudentia, in ridenda mathe- maticorum abſtractione</i>	172.1	<i>Triangulorum rectilincorū diuiſio</i>	304.1
<i>theſſali tautologia</i>	120.1	<i>Turnebi ſententia de Ramo</i>	98.1
<i>theſſalus methodicus cur Ramus ab autho- re ſoleat appellari</i>	53.1		
<i>theſſali in ſuis ſcriptis inconstantia</i>	127.1		
<i>theſſali contra Ariſt. calomnia & impo- ſtura, in quaſtione de Deo</i>	246.1		
<i>Thomæ ſententia de cōciliatione liberi ar- bitrij cum diuina prouidentia</i>	95.2		
<i>Thomæ ſententia de Deo, quo modo cogno- ſcat</i>	257.1		

V

<i>Vaticiniorum qualis ratio</i>	363.1
<i>videre ſit ne agere an pati</i>	227.2
<i>venæ nomine arteria continetur</i>	388.1
<i>verborum & orationis examen non debet repeti ex poetis</i>	194.2
<i>Venus mascula qualis viſa platonī, & Ariſtotelei</i>	159.2
<i>verborum ſapientia inanis, quādo de re- bus ipſis queritur</i>	299.2

INDEX.

<i>Verbum Dei, pro eiſdem filio, cognitum Mercurio Trimegiſto</i>	236.1	<i>te animi inferiore quā ſuperiore</i>	123.2
<i>verba demones allicientia qualia eſſe ſo- leant</i>	355.1	<i>virtutes morum doceri nō poſſunt</i>	127.2
<i>verborum affectatum ſtudium, in philoſo- phando vana ſuperſtitio</i>	194.2	<i>virtutes rerum occulta, vnde</i>	362.1
<i>veſtigia elementorū que dicantur</i>	237.2	<i>virtutes morales Dei maiestate ſunt indi- gna</i>	13.1
<i>Vicomercati ſententia de Ramo</i>	97.1	<i>virtus quia voluntaria, vitium platonī eſt inuoluntarium</i>	135.2
<i>vincula occulta formæ cum materia que- nam ſint</i>	382.1	<i>virtutis diuiſio</i>	118.2
<i>videmus partim emittendo partim reci- piendo</i>	405.1	<i>virtutis igniculi, & ſeminaria in quo cō- ſiſtant</i>	136.2
<i>videamus ne recipiendo an emittendo</i>	401.1	<i>virtus quo modo circa animi affectū ver- ſari dicatur</i>	134.2
<i>vilium rerum generatio non bene explica- tur à Platone</i>	219.1	<i>virtus in nobis ſita eſt, nec alterius impe- rio tenetur</i>	135.2
<i>vilium rerum an ſint idea</i>	219.1	<i>virtutes veripateticis ſunt etiam quodam- modo ingentæ</i>	129.2
<i>vinolentos cur duplex pœna ſequatur</i>	138.2	<i>virtutum diuiſio ſecundum partes animi in quibus ſpectantur</i>	127.2
<i>vinolentorum & perturbatorum peccata an eodem loco habenda</i>	141.2	<i>virtus quo modo res diuina dicatur</i>	119.2
<i>virorum proborum filij cur vt plurimum ſint improbi</i>	121.2	<i>virtutes ſunt quedam extremitates, & mediocritates</i>	128.2
<i>virtus quid</i>	118.2	<i>virtutes omnes an poſſint ad vnam reuo- cari</i>	124.2
<i>virtutis nomen quid ſignificet</i>	123.2	<i>virtus moralis quid homini præſtet</i>	123.2
<i>virtutis nomen quo modo accommodatum ſeminariis nature</i>	127.2	<i>virtutis & vitij medium quoddam</i>	127.2
<i>virtutis diuiſio</i>	9.1	<i>virtutes omnes ſunt inter ſe connexæ</i>	119.2
<i>virtus ſit ne aliqua in regendis cupidita- ribus naturalibus</i>	123.2	<i>virtus an doceri poſſit</i>	120.2
<i>virtutis laus in actione</i>	122.2	<i>virtus ex platonē, nō comparatur huma- nis viribus ſed à Deo datur</i>	119.2
<i>virtutum diuiſio platonica</i>	110.2	<i>virtutes in cuius mediij obſervatione ſunt poſitæ</i>	132.2
<i>virtus morum quid accipiat à parte ani- mi ſuperiore, quid ab inferiore</i>	123.2	<i>virtus quo modo in nobis eſſe dicatur</i>	136.2
<i>virtutum parandarum varia ratio, prout ipſæ ſunt varia</i>	122.2	<i>virtutis à vitio, an vitij à vitio cōtrario, vtra maior diſtantis</i>	132.2
<i>virtutes an omnes ſint poſitæ in mediij ob- ſervatione</i>	132.2	<i>virtus quo modo ſit extremitas, & me- diocritas</i>	132.2
<i>virtutes perfectæ neque intenduntur ne- que remittuntur</i>	127.2	<i>virtus diuina ſorte quo modo dicatur cō- tingere</i>	136.2
<i>virtus morū cur potius dicatur eſſe in par-</i>			



INDEX.

vitiliginis species qua	445.1	telliguntur	209.1
vitia omnia nō possunt simul in eodem ho-		uniuersalia & idea quo differant in mo-	
mine reperiri	127.2	do consistendi vel existendi	212.1
vitia non se consequuntur, sicut virtutes		uniuersalia quo modo sint in intellectu,	
127.2		& in communiōe rerum singularum	
vitia Aristoteli melius voluntaria quam		208.1	
Platoni inuoluntaria	137.2	uniuersales notiones in intellectu, reuera	
vitia cur intendantur, & remittantur		non sunt substantiæ	205.1
virtutes non item	130.2	uniuersalia in intellectu non sunt sub-	
vitium nemo sequitur sua spē	135.2	stantiæ	206.1
vitia qua arte in nobis emendata	131.2	uniuersalia sunt aliquid, nō nomina tan-	
vitium in virtutem non facile potest com-		tum communiæ	206.1
mutari	127.2	voluntas quid	147.2
vitium cur homini in vita facile, virtus		voluntatis humana in agendo libertatem	
difficilis	130.2	veteres philosophi agnouerunt	369.1
vitioso non licet, etiam si velis, ad virtu-		voluntas nostra non esset voluntas nisi es-	
tem redire	131.2	set libera, ex. D. Augustino	95.2
vita duplicis comparatio	9.1	voluntas quid Arist. & Platoni	137.2
vnitas Pythagoreis cur par impar	314.1	voluntatis humanæ comparatio cum ea qua	
uniuersalia Arist. quo modo se habeant ad		demonum & angelorum	88.2
Platonicas ideas	204.1	voluntas humana qualis	88.2
uniuersalia ubi sint	205.1	voluptas pura que	150.2
uniuersalia reuera sunt in ipsis rebus sin-		voluptates que pura vel impura	147.2
gulis	205.1	voluptatis & doloris fabulosa connexio	
uniuersalia quo modo se habeant ad na-		ex Platone	11.1
strum intellectum, & ad res singulas		voluptatum & cupiditatum genera	8.1
205.1		voluptatis & doloris causa	149.2
uniuersum habere in se distinctas omnes		voluptas & dolor an admittat medium,	
differentias situs	424.1	& quale	150.2
uniuersalia aliquid esse, quibus ex locis		voluptatis & doloris vis in vita huma-	
Arist. probari possit	207.1	na	149.2
uniuersalia Aristotelis ad ideas Platonis		voluptatum natura & diuisio	145.2
quo modo se habeant	210.1	uotum Socratis	7.1
uniuersalia Aristotelis quem usum ha-		Vxorū communitas Platonica qualis p-	
beant	104.1	Z	
uniuersales substantiæ sunt quidem, non		Zeno quo modo perturbationem definiat	
tamen separate	206.1	146.2	
uniuersalia & idea corpora ne sint an		Zenonis opinio de perturbationibus	133.2
corporis expertia	212.1	Zenoni Cittiæ quo modo virtutes omnes	
uniuersalia non sunt tantum quando in-		sunt connexæ	125.2

FINIS.



PRAEFATIO IN COM-
PARATIONEM ARISTOTELIS CVM
PLATONE.

QVÆ IN TRIBVS PHILOSOPHIÆ
partibus, explicatur commentario in Alcinoi
institutionem ad doctrinam Platonis.

PER IACOBVM CARPENTARIVM, CLARO-
MONTANVM BELLOVACVM.



MAGNUM opus & arduum, Candide lector, co-
namur hoc tempore, cum in eam comparationem
incumbimus in qua non Aeserninus cum Paci-
diano, verum Aristoteles, non spurcus homo (si-
cut de Aesernino ait Lucilius) sed doctus & acer,
cum Platone componitur, philosopho optimo
longe post homines natos. Nec enim in vniuersa
philosophia horum scriptis vlla ætas quicquam vidit perfectius. Ut
in ea quanquam mihi nihil difficile esse possit tua studia amanti, lon-
ge tamen promptior sit experiundi voluntas, quam spes perficiun-
di. Prefertim cum vetera memoria repetens animaduertā neminem
in philosophis nomen suū olim esse professum, qui non idem in hu-
ius comparationis explicatione, suam industriam posteritati pro-
bari voluerit & quod ea esset assequutus, quasi Mineruam Phidiae
in arce ponere. Atque de nostris nonnullos audiam qui se in hoc stu-
dij genere digito cælum putant contingere, in eodem argumento
multarum vigiliarum opus iam pridem meditari: cum quo si quan-
do hoc nostrum conferatur.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatus?

Quare cum de eo mecum cogitarem & ante annos septē in Alci-
noi publica interpretatione, ductis huius conatus rudibus lineis,
quod animo conceperam meis confidenter satis indicassem, amicē

A



IAC. CARPENTARII

nonnulli & hi fortasse qui in rebus meis plus sapiunt quam egomet mihi, sic obiurgabant, nunquam ne cogitabis, in quem ordinem veneris? aut quam Spartam, ut aiunt, in hac vniuersi schola sis nactus? Sicine ad has tuas philosophorum delicias (sic enim ego ipse aliorum spinas soleo appellare) adherescas, ut de reliquo vitæ cursu in studiis, ciuium tuorum opinione grauioribus, constituendo, nunquam cogites? Addebant etiam alij hique non nihil meo genio indulgentes, si in philosophia non modo consensescere, sed mori certum sit, in hac alia esse permulta quæ & argumenti nouitate placere possent magis & minore cum labore nobis gloriam parare. Hæc enim, ut illi aiebant, non modo abunde tractata sunt à veteribus philosophis, sed à recentioribus quibusdam magnificis pollicitationibus occupata. Cum illis autem paria facere nemo nostrum fortasse possit: & ut in iis scelicius nobis omnia succedant quam sperare audeamus, at certe Thessalicæ turbæ & nescio cui Logodædalo, qui se huic addixit, istud erit inuidiosum. Qui quia ut in philosophia aliqui esse videantur, idem genus argumenti se delegisse dicunt, nihil putabunt in eo nobis esse relictum. Sed mihi crede, Candide lector, istiusmodi rationibus sic afficiebar ut idem in me sentirem quod his accidere solet qui de eo deliberare se fingunt, quod iam cupidissimè sunt amplexi. Ut enim se ab iis inuitari putant quæ aliis maxime aduersa videntur: ita quibus hi me à preclarissimo opere reuocare conabantur, iisdem commouebatur magis, atque adeo inflammabar ut hoc mihi iam curis aliis omnibus anteuertendum esse putarem: & illis consultoribus fructuosam fortasse magis, sed hoc tempore minus gratam studij formam præscribentibus, iam illud respondere auderem.

Mihi sic vsus est: tibi ut opus facto, face.

Qui enim his parere possemus qui omnino ab ea doctrina nos auocant cuius scilicet inchoatum studium coerceri reprimique nullo modo potest? Siue enim veteris philosophiæ cognitio in promptu est: non paranda nobis ea solum, sed etiam fruenda. Siue hæc potius tantas difficultates habet, ut frustra sperari videatur: eius inuestigandæ modus nullus esse debet: & querendi defatigatio turpis est, cum id in ea queratur quod est pulcherrimum, & nostra professione dignissimum. Nam si delectamur, cum ista philosophica meditamur, aut scribimus, quis est tam inuidus qui ab iis nos abducatur? Sin laboramus, & aliorum studia fortasse magis quam nostra promouemus, quis est qui alienæ eique tam liberali modum statuat industriæ? Quanquam enim Terentianus Chremes non inhumanus est qui nouum vicinum non vult,

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.

(Non enim cum ab industria, sed ab illiberali labore deterret) isti tamen valde curiosi fore videntur, quos offendet hic noster labor qui nobis minimè est iniucundus. Aliis autem satisfacere erit ut opinor, facilius: qui istum laborè inutilem fore censerent, quod de hac conparatione permultorum scriptis abundemus, & ea à nonnullis adhuc expectemus, quibus, si præiudicatæ authoritati credendum est, nihil debeat in hoc genere esse perfectius. Ego quidem memineram scriptas à Proclo obseruationes eorum in quibus Aristoteles Platoni contradicit in Timæo, quarum apud Io. Grammaticum in disputatione de mundi æternitate frequentissima est mentio. Legeram quod Boëtius Commentario 2. in lib. Arist. de interpretatione, scripturum se de hac conparatione in omnibus philosophiæ partibus pollicetur. In eadem videbam extare contrarias & grauibus odiis, sicut prima fronte apparet, inflammatas Georgij Trapezuntij & Bessarionis Cardinalis contentiones, in eisque illum Aristoteli, hunc Platoni nimum tribuere. Itaque iusto arbitrio inter eos locum esse existimabam: quo in tanta sententiarum dissidentium varietate, neque secundum Aristotelem, neque secundum Platonem omnino iudicaretur. Mirabar à Io. Pico Mirandula in conclusionibus ita positum, nullum esse quesitum naturale, aut diuinum, in quo Aristoteles & Plato sensu & re non conueniant, quamuis verbis dissentire videantur. Idemque audiebam aliquando esse conatum Franciscum Cataneum Marsilij Ficini auditorem, cuius scripta de ea re ad nos non peruenerunt. Legeram etiam Symphoriani Camperij Medici Symphoniam Platonis cum Aristotele, Galeni cum Hippocrate. Incideram ante annos duodecim in sermonem cum Paulo Scalichio, quem Io. Mirandula simium, meo iudicio, possis appellare: qui profitebatur nihil esse facilius quam in omnibus illos conciliare, idque se minimo labore posse perficere. Audax negotium, dicerem impudens, nisi illius tentatum esse viderem. Sed cum ille tum certis rationibus inter nos nomen suum occultaret, nec eius consuetudine diutius frui potuissem: quid in eo viua voce effecturus esset, facile postea intellexi ex ea, quam paulo quidem ante ediderat, sed tamen adhuc in nostras manus non venerat, Encyclopedia. In qua inter illos dissidij causam potius explicare conatur, quam quod tum pollicebatur, perficere. Cum vero etiam penè eodem tempore extare cepisset Sebastiani Foxij liber de consensione Platonis & Arist. in ea philosophiæ parte quæ de natura est, in eo facile conicere potui quam esset grata philosophiæ studiosis huius conparationis explicatio. Quod omnes



IAC. CARPENTARII

librum illum arriperent quasi diurnam sitim explere cupientes, eumque laudibus in cælum efferrent: minimè quidem repugnante me, sed hoc potius admirante, quod in plerisque neque Platonis, neque Aristotelis sententiam esset assequutus. Omitto Georgij Acanthij libros tres de Platonis doctrina: aut Bernardini Donati libellum de Platonica & Aristotelica philosophia differentia. Quo quamquam in paucissimis capitibus illorum cõparationem explicet, tantam tamen apud nostros iactationem habet, ut iam multorum hominũ commendatione ornatus, cum maximis scriptoribus certare posse videatur. Cur igitur mihi non liceat in eo ingenij vires periclitari quod sentio omnibus semper fuisse gratissimum, & esse cognitione dignissimum? In quo ut nihil amplius consequar quam ut prodam vel in aggrediendo meam confidentiam, vel in abditis quæstionibus explicandis crassam ignorantiam: at hoc certe rei literariæ maximum adiumentum afferet, quod qui hac in parte philosophiam à nobis contaminatam dolebunt, meliora conabuntur: & ea cum philosophia studiosis communicabunt, quibus eadem opera nostris fortasse tenebras offundent, Aristoteli & Platoni clarissimam lucem afferent. Sic enim mihi vel perire certum est dum modo rei literariæ prosum: imo nulla poterit in eo videri mei nominis offensio, quod erit cum solida aliorum laudè & publica utilitate coniunctum. Ergo quoniam id iam facere certum est, dicam primum de huius comparationis necessitate: deinde de Platonis & Aristotelis in Philosophando consuetudine: ut intelligatur quo modo hic in magistrum fuerit animatus: postremo de iis quæ Alcino, quem nunc habemus in manibus, sunt propria. Comparationis vero necessitas facile ab eo intelligetur qui animaduertet in singulis philosophiæ partibus explicandis Aristotelem sic in Platonem esse affectum, ut cum eo tanquam cum hoste, de doctrinæ philosophicæ imperio certare videatur. In quo dici non potest quam frequenter eius rei ignorance, in illo interpretando aberremus, aut in earum disputationum, quas contra alios solet instituere, consiliis exquirendis cæcutiamus. Cum alij nimium intelligendo nihil intelligant & in plerisque Platonem exagitari arbitrentur, in quibus de illo Aristoteles nihil cogitat: aut etiam eius doctrinam omnino amplexatur: vel certe perpauca mutatis pro sua venditat. Vis, ut hoc amplius intelligatur, potissima philosophiæ capita breuiter percurramus & in illis Aristotelis distributionem seruemus? Omitto quod à Porphyrio de vniuersis quæstiones tres initio positæ, quæ Thessalo de hac comparatione multarum vigiliarum opus iam multos annos meditati, & in Platone multum exercitato, scilicet: pueriles esse videntur, nobilissimæ inter

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

illos controuersia de ideis summam continent, quæ à nobis postea pluribus explicabitur. Nunc de Aristotele tantum dicam. In cuius Categoriis cum substantia in primam & secundam distribuitur, eaque quæ in aspectum cadit, prima dicitur & esse maxime propriè ac præcipuè, hoc loquendi genere, quemadmodum & capite. lib. 12. Metaph. Platonis sententia de comparatione idearum cum rebus singulis, meo quidem iudicio, reprehenditur. In qua ille ideas non modo maxime, sed solas esse dicere solet: singula vero ne esse quidem, quia in perpetua mutatione versantur. Idem sequutus in postrema substantiæ proprietate, dixisse videtur contra Heraclitum, substantiam eandem numero permanere quando vicissim contraria recipit: in eoque corporeæ potius quam eius quæ intelligentia percipitur, rationem habuisse. Quum Plato contra, in philosophando intelligentiæ omnia, sensui nihil tribuat & Heracliti opinionem approbans, ad ponendas ideas impellatur, ut Aristoteles docet cap. 6. lib. 1. Metaph. Atque cum ille in Parmenide duas tantum simplicis motus species esse velit, vnam qua res loco mouentur, alteram qua suis affectionibus commutantur, reliquas vero ortum scilicet, interitum, accretionem & decretionem, mixtas esse & semper habere aliquam commutationem adiunctam (in quo etiam eius sententiam laudat Galenus capite. 1. lib. 1. de naturalibus facultatibus) Aristoteles contra, in iis quæ Categorias sequuntur, quadratum circumposita regula crescere ait, neque tamen commutari. Hoc autem quam rectè Platoni opponat, isto loco non disputo, sed aliquando fortasse in eo opere exquiretur in quo præcipuorum capitum quæ ad communem differendi artem pertinent, explicationem meditamur. Pretermitto quod in relatorum priore descriptione interpretes arbitrantur Platonem exagitari. Quoniam nec illi Platonis locum indicant: nec ipse satis video quid in ea quæstione inter Platonem & Aristotelem possit interesse. Iam ut ad librum de interpretatione veniamus, quis de iis quorum scripta aliqua in illum extant, non obseruat in nominis & verbi definitionibus hunc Platoni esse contrarium, quod hæc ille ex hominis placito & arbitrio, Plato vero natura significare velit? Atqui si rectè iudicamus, de eo potius inter illos summa est consensus: quæ suo loco hoc nostro commentario postea explicabitur. Sed illud iidem interpretes non obseruant, Aristoteli orationis genera multa esse quæ neque verum neque falsum significant: Platonem vero lib. 2. de Rep. & 3. itemque in Sophista, duas tantum eius species facere, vnam veram, alteram falsam. Alia quoque permulta sunt quæ si tum in posterioribus Parmenidis suppositionibus, tum in Sophista considerentur paulo attentius, ad Arist. illustrandum magnum



I A C. C A R P E N T A R I I

afferent adiuumentum. Topicae artis pauca fortasse praecipua sunt quae aut Platoni contraria, aut ex eo deriuata videri possint. At locorum exempla penè infinita, in quibus Platonem rarissimè sequitur, frequentissimè verò exagitat. Quae quia quibus ex fontibus deducta sunt, ignoramus, ea interpretado contaminamus: atque eo abuti cogimur quod iam in Peripateticorum schola tritum est, exemplorum veritatem in ipsis praecipis non esse exquirendam. In Analytica arte, demonstrationis philosophicae, à populari argumentatione distinctio apud Platonem extat in Menone: vbi agitur de statuis Dedali volitanti- bus. Omninòq; distinctio duplicis Methodi, exacte scilicet & popularis, ab eodem expressa cū aliis locis multis tum maximè in Timæo: cum eam pro natura rerum quae in sermonem incidunt, docet esse variandam. Et cum vterque ea quae opinione comprehenduntur, distinguat ab iis quae in scientiam cadunt: hoc tamen differunt quod Plato illa suapte natura & re ipsa ita distincta esse vult, vt scientia idearum sit, opinio eorum quae pertinent ad res singulas in sensum cadentes. Aristoteles autem eorundem vniuersalium scientiam & opinionem esse docet cap. 26. lib. 1. Analyt. post. Sed ita tamen vt pro varietate mediocum per quae eiusmodi cognitio duplex comparatur, hanc ab illa velit esse distinctam. In eadem etiam arte cum pars ea quae de demonstrando est, ducit initium ex eo in quo agitur de doctrina & disciplina nostra ex aliqua antecedente cognitione parata, hoc ad ambiguitatem Menonis pertinet, & ad euertendam recordationem superioris vitae, quam Socrates apud Platonem inducit, vt illam explicet. Quamquam haud scio an ei ambiguitati Aristoteles illo loco omnino satisfaciatur. In ipsa vero Physiologia non erit facile exitum reperire, si vel indicare tantum volumus omnia in quibus Aristoteles sine hac comparatione non potest intelligi, vel ea in quibus ille Platonem interpretari, aut illustrare videtur: longe verò plura in quibus eidem studiose aduersatur. Nam in numero primorum principiorum inter se consentiunt (si quidem vterque tria ponit) sed in illo, iis maximè differunt: quod Plato priuationem à materia non distinguit, in qua Aristoteles inuentum suum multis verbis cōmendat lib. 1. Physic. De forma omnino contrariae illorum sententiae esse videntur. Exemplarem enim, quam Plato ideam appellat & vnius principij rationem habere vult, Aristoteles quibus potest rationibus labefactare conatur: eamque solam quae in rebus singulis est & cum materia communicat, in principiis numerat: quam Plato quidem agnoscat, sed principij vim habere negat. Atque cum Aristoteli illa interior sit & prima summæque rei cuiusque naturalis perfectio: eadem Platoni secunda tantum est & inchoata. Quia ipsius ideæ est i-

P R A E F A T I O I N A L C I M O V M .

mago, in materia fluente adumbrata. Plato diuinus, opificem rerum omnium deum, primam efficientem causam externam, in primis principijs statuit. Aristoteles naturæ genius, ea tantum pro efficientibus, in principiis physicis retinet, quae in ipsis rebus sunt & in iis alterius naturæ, id est formæ, rationem obtinent. In materia magis consentire videntur. Sed hoc in Platone Aristoteles improbat, quod in illa formarum omnium absentiam & ad has excipiendas potestatem non satis explicet: quodque eum locum & receptaculum formarum appellet. Hoc vero quamquam Aristoteles parum candidè exagitet, quasi sine similitudine dictum, illud tamen acutè, quod eam non tam formas continere ait, quam ipsis formis contineri. Denique circa questionem de principiis eo etiam differunt, quod in materia prima nullas formas Aristoteles inesse vult, sed absolutam quandam ad eas excipiendas potestatem: in eoque alios multis locis reprehendit, qui in illa ponunt rerum omnium confusas formas, quas in ortu volunt esse distinctas & in eum ordinem adductas quem nunc in vniuersitate obtinent. Quae Platonis est in Timæo non obscura sententia. Adde etiam in primorum principiorum contrarietate hunc ab illo notari, quod solus inter veteres philosophos eam materiae tribuat, magnòque & paruo exprimat: Quorum tamen vtrunque cum maxima probabilitate ab illo videtur esse positum. Quis vero in Arist. aut Platone interpretando, horum omnium obseruationem iucundissimam non sentiat? Neque de corporibus quae ex illis principiis oriuntur & constant, minor est inter illos dissensio. Nam Aristoteles praeter nota elementa quatuor, vult quintum esse corpus simplex caeleste cap. 2. lib. 1. de Caelo, hocque simplici motu in orbem ferri, quod aethereum elementum nominat cap. 3. lib. 2. de animalium ortu. Platoni autem idem ex quatuor simplicium corporum purioribus portionibus mixtum esse videtur: sed in quo plus ignis sit (lucentis tamen non adurentis) quam reliquorum elementorum: ex quo etiam igneum ab eodem Platone appellatur. De duabus rationibus quibus Plato mundum vnicum esse confirmat, Aristoteles lib. 1. de Caelo, eam quae à forma ducitur, acutissimè videtur inuerrere. Cum in altera, quae ad materiam pertinet, eundem sequutus, statuat fieri non posse vt plures mundi sint. Quia in vniuerso hoc omnia, sicut ipsum nomen indicat, in se complexo, tota materia absumpta est, nec eius vlla pars relicta ex qua mundus alter potuerit exoriri. In questionibus aliis de mundi aeternitate, aut de huius origine atque interitu: de eiusdem figura & elementorum quorum coagmentatione constat, vel de horum principijs quae in figuratum proprietate à Platone ponuntur: de natura grauium & leuium, itémque de distinctione diffe-



IAC. CARPENTARII

rentiarum situs, tam in vniuerso, quam in varietate locorum ad quæ ipsa elementa suapte natura mouentur, permulta sunt in quibus Aristotelis doctrinam nemo vnquam assequetur, nisi qui istam comparationem tam habet in promptu, quam quod familiare est vel maxime. In Meteoris pauciora sunt in quibus Aristoteles à Platone adiutus videri possit: plura verò quæ suo ingenio contra veteres magna probabilitate disputat. Nam in comparatione meteororum quæ aquæ naturæ in media regione oriuntur, cum iis quæ in ima existunt, quod pluuiæ rorem, nui pruinam respondere ait, in eo assentitur magistro Platoni in Timæo. Quod autem circum terram negat quicquam grandini esse simile, eidem aduersatur. Quoniam hic glaciem in ima regione vult esse quasi quandam grandinem. In explicanda origine fluminum illius sententiam in Phedone, nominatim exagitat ca. 2. lib. 2. Meteor. Sicut & in disputatione de causis falsi saporis in mari cap. 3. At cap. 14. lib. 1. in ea vicissitudine quam per multorum annorum circuitus in res naturales cadere ait huiusque obseruationem vnus hominis ætatem superare, Platonem ad verbum sequitur initio Timæi: vt & magna ex parte in metallorum natura explicanda, extrema pagina lib. 3. In posteriore autem physiologiæ parte quæ specialior est, quæque res animatas magis attingit, in quæstionibus de Animo & rerum animatarum partibus ac affectionibus, cum permulta sint obseruatione dignissima, ex huius comparationis perpetuitate penè sunt omnia repetenda. Nam in quæstione de animo Platonis sententiam de numero se ipsum mouente, deque variis animi motibus lib. 4. de Rep. ille multis rationibus exagitat lib. 1. de animo. Sicut & illud quod ex principiis rerum omnium idem animû fabricatus est, vt docere posset quo modo per naturæ similitudinem omnia cognosceret. Atque cap. 3. Pythagoreorum fabulam appellare audet eam opinionem quam in multis dialogis Plato laudauit de animis humanis noua corpora ingredientibus etiam ea quæ belluarum sunt abiectissimarum. At in eo magistrum omnino sequitur quod cum Socrate in Phedone in eos multis rationibus disputat qui animam non aliam esse putant à corporis harmonia & eorum quibus hoc constat, apta temperatione. Amplius etiam de partibus animi earumque sedibus & de semine vtrum animatum sit aut quomodo, nobilissima est inter eosdem controuersia, nec ea satis adhuc interpretum sententiis definita. Sicut nec in his quæ de sanguinis officina, de arteriarum, venarum & neruorum origine à medicis disputari solent. In quibus Galenus cum aliis locis multis tum maximè libris de decretis Hipp. & Platonis, damnato Aristotele, confirmare conatur Platonem cum Hippocrate idem omnino sentire. In quo nescio

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

nescio an huic debeam omnino assentiri. Neque verò illud pleribus explicabo quod tamen fortasse omnium est maximum, ex eadem comparatione posse intelligi in quæstione de animi immortalitate Aristotelis rationem vnicam suo pondere cum iis certare posse quæ apud Platonem sunt varia. Sed hoc vno verbo dicam quod sentio, sicut in philosophando omnino cæcutiunt qui hanc comparationem non obseruant: sic alios qui in ea cæteris acutiores sunt, facile videre quod est cognitione dignissimum & à nobis postea pluribus locis obseruatum, Aristotelem naturæ genium in Physicis diuino Platone tanto superiorem esse, quanto in Metaphysicis, eodem, meo quidem iudicio, inferior est. Neque verò in aliis quæ ad vitam & mores pertinent, minor est huius comparationis necessitas. Nam in constituendo sine honorum, ideam quam Plato amplexatur, alter quibus potest rationibus reprehendit cap. 6. lib. 1. Ethic. Sed si liberè iudicandum est, in illis pleræque tam leues sunt, vt potius ideas confirmare quàm euertere videantur. Quis autem hoc intelliget nisi qui in eiusmodi comparatione maximè erit exercitatus! Rationem virtutis paranda omnino esse in nostra potestate Aristoteli velle videtur initio lib. 2. Quod apud Platonem Socrates improbauerat in Theage. Nos nostra voluntate peccare, sicut & recte agere, idem pluribus locis repetit. At peccatum esse voluntarium passim apud Platonem Socrates pernegat. Et tamen hæc quæ contradictionis quandam speciem præ se ferunt, sunt eiusmodi vt facile possint ab iis conciliari qui in vtriusque doctrina sunt versati. Socrates morum virtutes prudentiæ particulas esse arbitratur. Hoc Aristoteli improbat cap. vlt. lib. 6. Ethic. Toto vero lib. 10. illum in eo sequitur quod contemplationi & voluptati quam ille habet adiunctam, multum tribuit. Quod autem voluptatem motum esse idem arbitratur, illum in eo reprehendit. Neque in Oeconomicis & Politicis sententiarum inter illos minor est dissensio. Nam Platonem duobus locis reprehendit quod in Politico æconomicam disciplinam à politica differre dicat, non imperij specie, sed eorum tantum qui parent multitudine & paucitate. In quo tamen non modo tolerari potuit illius sententia, sed etiam ab eo laudabitur qui animaduertit in dialogo de Philosophia, omnium imperiorum communem rationem in duabus virtutibus poni: in prudentia, scilicet per quam cognoscitur quod rectum est, & iustitia, in qua inest constans & perpetua voluntas obseruandi, quod per prudentiam rectum esse cognoueris. Quæque hæc comparabit cum eo quod Aristoteles ipse scribit lib. 5. Ethic. de regula Lesbica, quæ re vna, diuersis operibus accommodata, ab iis magnam figuræ varietatem capit. Hæc enim non malè poni videtur in duabus



IAC. CARPENTARII

illis Platonis virtutibus quibus instructus esse debet quicumque humanæ societati recte præesse vult: sed earundem officia variare pro varietate eorum quibus præest. Simile est quod cum non sine ratione Socrates in Manone Gorgiam reprehendat, quod virtutem diuidat pro varietate sexus, ætatis & conditionis: aliamque esse velit viri, aliam fœminæ, aliam pueri, aliam eius qui iam grauis ætate, aliam denique hominis liberi, aliam serui: & lib. 5. de Rep. idem constituat nullum inter eos qui ciuitatem custodiunt esse debere officium mulieris proprium, qua mulier est, aut viri, qua vir, sed æquè dispersas in animantibus vtrisque naturas, & omnium quidem operum natura compotem esse fœminam, omnium & virum, in omnibus tamen esse imbecilliolem fœminam: in priore repudiata Socratis sententia, Gorgiæ commentum Aristoteli placet cap. 8. lib. 1. Politic. Palam est, inquit, omnium quos diximus moralè esse virtutem, neque eandem esse mulieris & viri temperantiam, neque fortitudinem, neque iustitiam, vt Socrates existimabat. Alia fortitudo ad imperandum, alia ad subministrandum. Similis est in aliis differentia. Aperte videtur istud ab his qui particulatim diligentius virtutes inspicunt. Qui verò in vniuerso genere loquuntur & inquit virtutem esse animum bene habere, aut agere rectè, aut tale quippiam, se ipsi decipiunt. Qui autem virtutes numerant, vt Gorgias, longè melius dicunt quam qui sic definiunt in vniuersum. In posteriore vero, cap. 3. lib. 2. Platonis similitudinem reprehendit, qua ex belluarum obseruatione vult efficere, in ciuitate eadem studia viros & mulieres decere. Longè vero plura sunt quæ in vtraque Reipub. formâ Platone descripta (eam dico quæ in libris de legibus & alteram quæ Dialogis de Repub. instituitur) idem exagitat. In quibus vt Aristoteli cadant Platonici in iis quæ ad communionem bonorum, maximè vero vxorum & liberorum, pertinent (quanquam etiam in illis quædam habent quibus magistri sententiam tueri conantur) quis in horum Philosophorum comparatione exercitatus, in reliquis non videt esse permulta in quibus Aristoteles à Platone verbis magis dissideat quam sententiâ: aut etiam parum candidè magistri verba in rem alienam detorqueat? Quæ omnia cum ab annis quatuor & viginti in Aristotele interpretando obseruare cœpisssem, & tentata sæpius pro ingenij facultate, illorum inter se comparatione, ad philosophiæ cognitionem explicationemque magnum adiumentum percepisssem me ipse sentirem: in eaque cum antea Alcinoium haberem in manibus, nostram opellam non solum rudibus, sed aliquantum doctis, iucundissimam fuisse recorderer: faciendum putauim vt illa quasi acroamatica quæ tum inter docendum viua voce nostris

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

explicabantur, in lucem prodirent & externorū iudicium subirent. Nimum confidenter, fortasse: sed non fit sine periculo facinus magnum & memorabile: atque par est omnes omnia experiri qui res magnas & magnopere expetendas concupiscunt. Sed de huius comparationis necessitate satis: nunc, vt erat propositum, de Platonis & Aristotelis in philosophando consuetudine tantum dicamus, quantum ad institutam comparationem intelligendam videtur esse necessarium. Existimauisse veteres, in philosophiæ studio Aegyptios omnium excellentissimos, græcos vero rudes, testis est Porphyrius in libro de electis philosophis, quem frequenter citat Theodoretus libris de curatione græcarum affectionū. Via quæ ad deos perducit, inquit ille, ardua nita est, arduaque eadè & asperrima; Cuius quidem calbertarunt: & qui eam tenebant, tandè corruperunt demolitūq; sunt. Cuius inventores Deus fuisse testatur Aegyptios, Phœnices, Chaldeos, Lydios & Hebræos. Idemque in epistola ad Anebonem Aegyptium, Auspicabor, inquit, meam erga te amicitiam ab ipsis diis, bonisque dæmonibus & à philosophicis rebus, quæ sunt diis dæmonibusque cognatæ. De quibus sanè quamplurima dicta sunt, sed potius ex coniectura dicta, quæque habeant fidei solius principia. Atque paucis interiectis hæc idem subiicit. Apud nos magna quædam verborum est disceptatio, vt pote qui in boni coniecturam ex humanis rationibus ducamur. Quibus vero machinis quod melius est assequamur, semper nobis indagandum relinquatur. Quam de Aegyptiis & græcis sententiam Plato confirmare videtur, primum his quæ ab Aegyptio sacerdote Soloni dicta commemorant initio Timæi. O Solo, Solo, dicebat ille sacerdos, vos bræci pueri semper estis, nec quisquam in græcia senex. Cur istud diceret percontante Solone, respondisse sacerdotem Plato ait, quia iuuenis vobis est animus: in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio: nulla cana scientia. Deinde etiam quod eodem dialogo, Aegyptiis vt antiquissimis sine ratione credendum esse ait: præsertim cum de diis quærant. Fieri autem non potest vt deorum filiis fides non habeatur: licet nec necessariis, nec verisimilibus rationibus fides non habeatur: licet firmetur. Itaque illis credendum est, quasi lege addicti simus ea credere quæ ipsi tanquam sibi propria & domestica renunciare se testantur. Quæ apud græcos de externis opinio, in philosophis peperisse videtur incredibile peregrinandi studium ad veritatis cognitionem, & in ipso Platone effecisse quod ait Theodoretus Cyrensis lib. 1. de curatione græcarum affectionum, vt scilicet perlustrarit Aegyptum,

IAC. CARPENTARII

deinde Italiam & Siciliam: & vt in Aegypto non ab ipsis solum Aegyptiis, sed & ab Hebraeis quoque praeceptoribus, veram Dei doctrinam magna ex parte perceperit. Quo nomine, D. Augustinus cap. 4. lib. 8. de Dei Ciuitate, in magna varietate philosophorum inter se & Christianis dissidentium, arbitratur solos veteres Academicos, qui à Platone initium acceperunt, dignos esse cum quibus de veritate religionis disputet. Quod illi soli in ea aliquid videantur assequuti. Illam verò peregrinationem Plato fortasse instituit Anaxagoræ & Pythagoræ imitatione: quos idem Theodoretus lib. 2. ait, in Aegyptum esse profectos & cum Aegyptiorum Hebræorumque sapientibus diu familiariter versatos. Eademque opinione Pythagoram cum Iudæis sua studia comunicasse ex Erippo commemorat Origenes lib. 1. contra Celsum. Ferunt etiam, inquit, & pro indubitato affirmant Erippum in primo de legumlatoribus libro, memoriæ prodidisse Pythagoram suam philosophiam à Iudæis acceptam, ad græcos transtulisse & Hecatei cuiusdam historici de Iudæis librum extare, in quo & illud adiecit, sapientia tantopere Iudæorum gentem præstare, vt vel Herennius Philo in eo opere quod de Iudæis conscripsit, primo ambigat vtrum Hecatei historici illud sit opus nec ne: deinde si Hecatei sit, dicat non iniquum esse existimare hunc captum ea persuasionem quæ apud Iudæos valet plurimum, in hæc descendisse. Idem de Apollonio Tyaneo, cuius vita à Philostrato descripta est, refert D. Hieronymus in epistola ad Paulinum. Intrauit Persas, inquit, pertransiuit Caucaſum, Albanos, Schitas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit: & ad extremum latissimo Phison amne transmissio, peruenit ad Brachmanas: vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantalii fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum ac dierum cursu docentem audiret. Inde per Elamitas, Babilonios Chaldeos Medos, Assirios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Palestinos reuersus Alexandriam, perrexit Æthiopiã: vt Gymnosophistas & famosissimã solis mēsam videret in sabulo. Hoc etiã de nostro Platone testatur Xenophō Grylli filius, in iis quæ ad Socraticum scripsit Æschinem eidemque vitio vertit. Adamarunt, inquit, hi duo philosophi (Platonem autem & Aristippum intelligit) Ægyptum, monstruosam Pythagoræ sapientiã. Quos luxuriosos fuisse, nec satis stabiles sub Socratis disciplina amor ille Tyrannidis indicauit: próque frugali ac tenui victu, petita Syculæ dapes, ventri voracissimo congruentes. Ex quibus effectum est vt ille in Cratylo in quæstione de diis, Ægyptios, quos barbaros appellat, potius sequatur quam græcos. Mihi quidem, inquit, videntur primi illi homines in græcia solos eos esse Deos putasse, quos

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

nunc barbari plurimi opinantur Solem videlicet, Lunam, Terram, Stellas Cælumque ipsum. Videntes itaque hæc velut cunctia motu quodam atque currentia de natura cursus illius quem videbant ab eoque quod est ^{Dei} id est currere, ^{Deos} id est Deos, quasi ^{clorras}, nominauerunt. Quod de eodem Platone scribit quoque Eusebius cap. 3. lib. 9. de præparatione Euangelica: vbi ex Porphyrio de antiquitate philosophiæ apud Ægyptios & Hebræos, hoc Apollinis oraculum commemorat.

*Dura via illa nimis, aratis clausaque portis,
Que vitam nobis apperit, donatque beatam,
Nec vero verbis facile enarrarier vllis,
Exponique queat, illo quo semita ducit
Quam primi ante omnes ceperunt tradere, pulchras
Qui Nili epotant lymphas: Phenicibus inde,
Proximaque Assyriis ea cura. Sed inchoata longè
Gens Hebræa illam nouit notamque recepit.*

Quare Numenius Pythagoreus, in philosophando Platonem non alium videri dixit quam Atticum quendam Mosem. Et Aristobulus Iudæus lib. 1. ad Philometorã, Legem nostram, inquit, in multis Platone sequutus est. Aperte namque in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium, traducta fuerant. Vnde plurima, sicut & Pythagoras, ille accepit. In quam sententiam extat quoque epistola Marfilij Ficini lib. 8. Epistolarum de concordia Mosi & Platonis. Adiecerunt etiam nonnulli Platonem cum in Aegyptum profectus est, Hieremiam auditorem fuisse: magno temporum errore, & in quo opinionem suam D. Hieronymus aliquando retractauit, vt intelligi potest ex cap. 11. lib. 8. de Dei ciuitate, & cap. 4. lib. 2. retractationũ. Alij eandem in multis doctrinã consensionem cum religione nostra, in illo obseruãtes, dicere ausi sunt in hoc legendo Christum diligenter versatum & ex eodem permulta ad nos transtulisse. Quam sententiam in Celso Origenes reprehendit lib. 6. disputationis contra eundem instituta. Ex quibus minimè mirũ videri debere, si de iis quæ ad nos pertinent, plerãque quæ sunt vel maximè abdita, ille pro suis vsurpet: sed multis inuolueris tecta: aut si cum in illis nesciat fortassè quid aliena fide magis quam sua loquatur, diuinus tamen philosophus appelletur & paucis mutatis verbis atque sententiis Christianus fieri posse dicatur à D. Augustino libro de vera religione. Quamquam neque ei proprium est vt nesciens multa fundat persuasionis Christianæ quasi oracula, sed, vt Tertullianus scribit in Apologetico contra gentes, omnibus veteribus philosophis, poetis atque sophistis commune. At hæc certè philosophandi ratio fuit illi



IAC. CARPENTARII

imprimis familiaris & ab ea quam Aristoteles tenuit longè diuersa. quod, vt eodem loco D. Augustinus ait, suauius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scribit, & quod nostris frequens est, quasi in Pythagoreorum schola versetur, pleræque pro sua auctoritate, sine ratione rata esse vult. Aristoteles autem contra, in differendo plus habet virium quam suauitatis: nec in philosophando quicquam recipit, quod non sit probatum & naturæ legibus confirmatū eiusdemque lumine illustratum. Ex quo, sicut antea diximus, naturæ genius à veteribus est appellatus. Quem quanquam Tertullianus in libro aduersus hæreticos, damnet, miserimumque appeller, quòd, vt ait, dialecticam instituerit artem struendi & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariã contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit: D. tamen Hieronimus Commentario in Ezechielem, eiusdem artis contra hæreses hanc utilitatem commemorat: quod quicquid in sæculo est dogmatum peruersorum, quicquid ad terrenam scientiam pertinet & putatur esse robustum, hoc eiusmodi arte subuertatur, & instar incēdij in cineres fauillasque dissoluatur. Vt proberur nihili quod putatur esse fortissimum. Quibus rationibus hoc in philosophorum schola Aristoteles iam pridem videtur consequutus, vt ab iis qui ad superiores disciplinas aspirant ad easque sibi viam parat, Platoni anteponatur. Præsertim ab iis quibus placere cepit: id est qui ad eius doctrinam tempus & diligentiam adhibentes, omnium partium œconomiam considerare & in sententiis subtilitatem, in argumentis aculeos possunt perspicere: ea suauitate neglecta qua in aliorum scriptis delicatiora ingenia primo aspectu facile capiuntur. Nam vt incipiam à prima philosophiæ parte & rem perducam ad extremam, quis non fateatur differendi præcepta si quæ apud Platonem extant, ea per varios dialogos sine ordine esse sparsa: non ad vnius artis formam ab illo reuocata? At hæc ab Arist. in vnum collecta sunt & tam acutè exposita, vt nihil in illis desiderare possis: nisi fortè, vt de Protogene Apelles dixit, quod non tollit manum de tabula: & tam subtiliter, etiam in minimis philosophatur, vt dum cauere vult ne quicquam prætermittat, pleræque dicat quæ ad communem differendi vsum minimè videntur necessaria. In ipso verò præceptorū vsum, permulta sunt quæ Plato pro sua auctoritate ponit, quæque nulla ratione confirmat. Neque verò pauciora in quibus vbi rationem afferre conatur, plumbeus est, si cum Aristotelis acuminè conferatur. Sic enim cum in Gorgia de iis qui apud inferos suorum scelerum pœnas dare dicuntur, multa differuisset, pro omni ratione subiicit, Hæc sunt, inquit, illa Callicles quæ mihi auditu solo

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

accepta, credo equidem esse verissima. Idemque ad confirmandam animorum immortalitatem pro firmissimo argumento vsurpat illorum in noua corpora transitum. In quo, sicut dictum est, Pythagoreorū fabulam merito ridet Aristoteles cap. 3. lib. 1. de animo. Atque lib. 10. de Repub. vt propositis præmiis & pœnis in vita altera, nos in huius officii ad id quod rectum est, inuitet, confugit ad fabulam. Equidem, inquit, tibi non Alcini apologum, sed præstantissimi viri Eri Armenij genere Pamphilij, referabo. Qui cum occubisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus, cæteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumque vt sepeliretur delatus, duodecima iam ab obitu die, cum pyra impositus esset, reuixit & quæ interim viderat retulit. Quæ conficta & magna ex parte repetita ex poëtis, eodem loco longa oratione commemoratur. Imo etiã amplius in iis omnibus quæ ad differendi rationem pertinent, accuratur philosophi excellentia. Nam in Politico, Si caueris, inquit, studebis. Et s. de Rep. Hôsne igitur omnes, inquit, qui eiusmodi quædam didicerunt, articulatasque eas perceperunt, in philosophorum numero reponemus? Minimè, inquam, sed philosophastros appellabimus. Tam, inquit ille, Quos ail esse veros philosophos? Eos, inquam ego, qui despiciendæ veritatis studio teneantur. Neque enim in Geometriæ quæstionibus, neque in argumentosa philosophia, neque in coniecturali medicina, neque in Astronomia quæ physicis fluxisque rationibus clauditur: sed in ipsius boni verique scientia philosophus versari debet. In ea verò philosophiæ parte quæ de natura est, quid ab eo possis expectare, qui vniuersæ naturæ explicationem vno libro concludit: in eoque non tam ex sua sententia loquitur, quam Timei, ex quo Pythagorea didicerat? Præsertim cum in cæteris dialogis eius ore, vt Cicero ait, Socrates loquatur: qui huius partis cõtemptor potius, quàm obseruator vult videri. Hic enim in Phedone, de suo in illa studio ita loquens inducitur. Equidem ô Cebes, cum essem iuuenis mira quadam eius sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturæ vocant historiam. Præclarissimum enim esse censebam causas intelligere per quas singula fiant atque intereant & qua sint ratione. Sæpiusque me sursum, deorsum, iactaui talia quædam primo consideras. Nunquid postquam calidum & frigidum putrefactionem aliquam acceperunt, quemadmodum nonnulli dixerunt, tunc animalia conualescant? Præterea vtrum sanguis sit quo sapimus, vel aër, vel ignis, aut nihil horum sit, sed cerebrum quod præbeat sensus audiendi, videndi, olfaciendi? Ex his autem memoria & opinio fiat. Ex memoria

verò & opinione quietè accipiente, per hæc scientia oriatur. Proinde horum corruptiones considerans atque eas quæ circum cælum terramque passiones contingunt, tandem adeo ad hæc considerata visus sum hebes vt nihil magis. Coniecturam verò ad hæc afferam tibi sufficientem: nempe ob eiusmodi considerationem vique adeo sum occæcatus vt ea etiam quæ prius manifestè sciebam, vt mihi aliisque videbatur, dediscerem, & alia videlicet multa quæ antea me scire putabam. Idem de illo nobis confirmat Xenophon Commentario de dictis & factis Socratis. Prorsus, inquit, dehortabatur Socrates de cælestibus rebus quas Deus ipse molitur, quenquam esse sollicitum. Neque enim putabat eas posse ab hominibus inueniri: neque gratam diis rem facturum existimabat qui ea rimaretur quæ ipsi cuiquam prodere noluerint. Periculum verò insanix impendere ei qui eiusmodi res curaret atque inquireret: neque minus quam Anaxagoram insaniturum, qui explicandis deorum consiliis & incertis plurimum gloria sibi vendicabat. Et idem alio loco. Nullus vnquam, inquit, impij celestive quicquam vel facientem vidit Socratem, vel loquentem audiuit. Sed neque is, quod plerique homines faciunt, de natura procul à nobis recedentium rerum aut cæterarum eiusmodi differēbat: neque contemplabatur quam bene se habeat hic quem viri sapientes mundum appellant: quibusque necessitatibus singulæ rerum cælestium fiant. Verum eos qui talia curarent, insanire ostendebat. Ac primum omnium expetendum putabat vtrum cum eiusmodi homines satis rectè humanas res se scire arbitrentur, tunc denique ad earum quas dixi, rerum curam atque inspectionem accedant: an dimissis humanis rebus diuinas contuendo opinentur congruentia sibi facere. Mirabatur autem quod nondum planè homines presentirent eiusmodi res ab hominibus inueniri nō posse. Quandoquidem videret eos qui plurimum sibi sapere de iis rebus loquentes viderentur, eadem inuicem minus sentire: nec secus atque amentes solent, mutuis inter se distidiis atque varietatibus male affectos esse. Nam recordium alios quidē videre est nequaquā expanescere ad ea quæ iure timenda sunt: alios autem quæ timenda non sunt, horrere. Aliis ipsorum minus turpe existimari si vel in medio cætu hominum suisque deque res omnes faciant & loquantur. Rursus alios neque templa neque aras, neque aliud venerari quod sacrum sit. Alios verò passim lapides omnes ac ligna omnia feraeque ac brutas colere animantes. Pari quoque modo eorum hominis qui naturam rerum sollicitè indagant, alios quidem opinari videmus vnum tantum modo esse ens, alios vero infinitam entium multitudinem. Viderique rursus eorum aliis omnia semper moueri, aliis immota semper fuisse. Videri aliis fieri omnia

omnia & perire: aliis nec genitum vnquā quicquam, nec periturum. Atque hæc quidem Plato & Xenophon de Socrate rerum naturalium contemplationem exagitante. Quid ergo in hac philosophiæ parte à Platone expectare possis dignū Aristotelis acumine cum apud illum in omnibus fere sermonibus primæ partes tribuantur Socrati, qui eam philosophiā contempnit & humano studio indignam existimauit? Vt ex his facile sit intelligere, eorum quorum instituta est comparatio, in philosophando de rebus naturalibus diuersam consilij rationem extitisse & in hac minimè mirum cuiquam esse debere, si quemadmodum Platonem in diuinis, veteribus philosophis, quorum quidem scripta ad nos peruenerunt, longe superiorem fuisse fatemur: sic in naturalibus eundem Aristotelē naturæ genio multo inferiorē esse contendamus. Nam huius Metaphysica primæ quidem sapientiæ summam rudibus lineis descripta continent atque indicat quousque humana mens, naturæ lumine in Dei diuinorumque inuestigatione possit progredi. Ac dum illa in vniuersum entis genus hoc ipso quod est, iucumbunt, omnium eorum quæ sunt originē ex Deo tāquam ex fonte repetunt & eandem ad Deum tanquam ad finem referunt. Sed in illis omnibus de diuinis tantum ab Aristotele assumitur, quantum humana ratione probari posse videtur: nec sine hac ab illo quicquā pro rato ponitur. Quod Platoni in hoc genere philosophandi maximè fuit familiare. Quid vero amplius in his quæ supra naturam sunt possis ab eo expectare qui in philosophando naturæ legibus semper est addictus? In quo potissima est & maxima inter hos in ea philosophiæ parte diffusio. Nisi forte pro Aristotelis Metaphysicis potius habendi sunt libri quatuordecim de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios. Qui cum in huius operibus græcis nusquam, quod sciam, extēt sub huius nomine ex Arabum lingua ante annos quinquaginta latinè descripti & Romæ editi, non vulgarem Theologiam continent, nec à Platonica valdè alienam. Sed quia sermonis impuritate rerum earum quæ in illis tractantur confusione ita erant contaminati, vt animus in bonis literis institutus ab illis abhorreret, nuper dedimus operam vt hi magna ex parte, vel potius de integro recogniti, & nostris scholiis illustrati in lucem prodirent. Platonis diuinitas quanquam frequēter in vanam superstitionem labatur, plerāque tamē continet ex religionis nostræ fontibus hausta. In quibus facile ea potuit approbare quorum causas nostri non reddebant: & pro suis vsurpare quæ aliena fide niti potius quam sua ratione confirmari videbantur. Quoniam ex Timæo, vt Cicero ait, Pythagorea didicerat. In iis autem de magistri auctoritate præiudicata opinio tātum poterat vt si quid eius scholæ sectatores disputando affirmarent, cum ex eis quaereretur quare ita es-



I A C. C A R P E N T A R I I

set, respondere solerent. Ipse dixit: Ipse autem erat Pythagoras. Scitum mihi videtur de hac comparatione, illud Iulij Scaligeri Commentario in lib. I. de plantis, diuinum esse Platonem & Aristotelem: illum tamen quod inuenisset, autoritate sola rāquam virum bonum, hunc nihil sine ratione quasi acerrimum iudicem statuisse. Iraque, inquit, cum vtriusque libros lego, ab vtrōque scriptos arbitrari liber. Vnus enim spiritus & sapiētia & veritatis. Alter pictior, alter compositior, ille ad apparatus, hic ad pugnam. Incitat ille animū, hic explet. Nec vero minus placet quod de eadem comparatione scriptum est à Marsilio Ficino in quadam epistola. Errat omnino, inquit, qui Peripateticam disciplinam Platonice contrariam arbitrantur. Via siquidem termino contraria esse non potest. Peripateticam vero doctrinam ad sapientiam Platonice esse viam comperiet, quisquis recte considerauerit naturalia nos ad diuina perducere. Hinc igitur effectum est vt nullus vnquam ad secretiora Platonis mysteria sit admissus, nisi Peripateticis disciplinis prius initiatus. Et idem alio loco, Peripatetici, inquit, quanta vbiq; ratione naturalia disposita sunt, diligentissime disputant. Platonici vero præterea quantum insuper illi qui hæc numero, pondere & mensura disposuit, debeamus ostendunt. Quamobrem illi facile doctos efficiunt: hi præterea sapientes atque beatos. Reliqua est tertia philosophiæ pars quæ de vita & moribus. In qua cum ab auditore Socratis qui hanc inuenisse solamque excoluisse dicitur, præclara omnia expectanda viderentur, quàm multa sunt in iis quæ ad Remp. pertinent, omnino nefanda: Nam mulieres nudas spectantibus iudicibus saltare vult lib. 5. de Rep. vt hi statuunt quæ de illis sint nubiles. Quanto verò melius Candaulis Regis vxor, viro imperanti vt nudum corpus ostenderet, respondisse dicitur, mulierem simul cum tunica pudicitiam exuere? Atque ille easdem in iis quæ pertinent ad militarem disciplinam exercendas arbitrat: vt ciuitas quasi amphidextera, viris & mulieribus ad omnia munera expeditè vt possit. Prudentius verò Arist. in Oeconomicis, vxori imperat vt domestica tueatur & curet: viro vt externis laboribus rem quærat & comparet. In eoque Homerum sequitur, apud quem Hector Andromachen vxorem sic alloquitur.

Ipsa domum perge & quæ sunt tua munera cura:

Telas atque colus ancillis pensa iubeto

Bella viri curent: merito queis bella gerenda.

Quid dicam de communitate rerum omnium quam ille vult inducere? Quæ vt fortasse in cæteris tolerabilis videri possit: in vxoribus tamen si reuera communes concubitus intelligas, communemque ex illis susceptam prolem, ea est eiusmodi vt non modo humanæ na-

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

turæ aduerferetur, sed ei quoque quæ nobis cum vniuerso animalium genere intercedit. Quare merito Platonici vt hac in parte magistri doctrinam cum aliqua probilitate saluam retinerent, eum locum interpretati sunt non de concubitu, sed de communi vxorum omnium & liberorum cura. Et certè Plato ipse sic interpretatus videtur initio Timæi. Communes nuptias liberōsque statuimus, inquit, vt nemo natos suos discernat: sed omnes ab omnibus consanguinei existimentur: dum æquales feruæ natu, fratres sororēsque vicissim se iudicant: maioribus verò patrum vel auorum reuerentiam exhibent: erga minores autem tanquam filios ac nepotes afficiuntur. Vt verò in reliquis quæ ad mores pertinent, permulta in Platone laudanda sunt: at certè docendi methodo & eorum quæ ad hanc partem referuntur, distinctione, videtur ab Arist. superari. Quoniam hic vitam singulorum in Ethicis primum instituit: Deinde familiæ regendæ rationem, in Oeconomicis. Postremo de ciuili societate disputat in Politicis. Quæ omnia sine vlla distinctione à Platone in legibus & libris de Rep. erant exposita. Quæ cum ita sint, quanquam non modo in iis quæ ad res diuinas, pertinent (in quibus Platonem admirari solent) sed etiam in reliquis, plerūque ab illis fœlicius inuenta sint, quam ab Arist. hoc tamen vere prædicari potest, quod nescio quo iure Eusebius cap. I. lib. II. de Evangelica præparatione ex Attico Platónico, Platoni attribuit, Aristotelem primum omnium philosophiæ partes vsque ad ætatem suam, sicut membra Penthei, dissectas atque confusas, ad vnum corpus reuocasse: atque ex illis quasi integrum animal composuisse. In quo si quis singula accuratius obseruauerit, nonnulla fortasse desiderari possint, sed in docendi perpetuitate disputationisque variæ & multiplicis subtilitate, non modo magistrum superauit, verum etiam cæteris, quibus idem scribendi genus postea placuit, attingendi quod erat assequutus, spem omnem ademit. Sed istud præfecto dolendum est, hunc in Platone exagitando dum verba magis quam sententiam insectatur, sic plerūque affici vt quæquam in eo veritatis inuestigandæ studio vinci se dicat cap. 6. lib. I. Ethic. ex eius tamen reprehensione eaque frequenter non satis iusta, priuatam gloriam potius quam cum publica vtilitate, veritatis cognitionem querere videatur. Quid igitur? An in magistri sententia intelligentiam cum labi, aut illius odio vanæ contradicendi studio hanc contentionem instituere existimabimus? Difficile est hoc in eo credere qui Platonem annos viginti, & plus eo audiuit, quique huic mortuo vt philosophorum Deo, aram extruxit. Sed hoc fortasse potius hominem laudis cupidum vrebat, quod mortuo Platone & Speusippo nepote eius ex sorore, aliquot annis docendi munere in Academia per-



IAC. CARPENTARI

functo, Xenocratem condiscipulum videret summa laude florētem, quam ex eo conseqeatur quod in eadem schola quae à magistro acceperat, omnia retineret illisque docendis audientium animos in se conuerteret. Quare ut Isocratis Rhetoris gloria comotus, ludum aperuit, atque ut Fabius ait, Pomeridianis scholis hanc profiteri cepit, quod turpe esse diceret illo loquente tacere: sic non tam in magistri odio, quam condiscipuli aemulatione, veteris Academiae doctrinam exagitate videatur. Ut scilicet hac speciosa rerum nouitate, iuuentutem ab illo abduceret eandemque in suam scholam alliceret. Nam inter condiscipulos frequentes eiusmodi aemulationes grauibus contentionibus, etiam cum acerbitate, inflammatas, solere excitari in multis aliis re ipsa est cognitum, atque in ipso Platone à nonnullis obseruatum. Siquidem hic cum alios coequales in multis Dialogis honorifice soleat nominare, nullo loco Xenophontis condiscipuli mentionem fecisse dicitur. Idque, sicut credi potest, ne eundem suis scriptis nobilitaret, aut immortalitati consecraret. Sicut & contra, vix vsquam Xenophon Platone nominat. Imo in institutione Cyri contra huius Reipublicae omnibus aliis imperiorum formis regiam potestatem anteponebat. De quo tamen apud illum lib. 3. de legibus, haec Atheniensis hospes. De Cyro, inquit, ita vaticinor. In ceteris quidem ipsum & ducem bonum & civilis vitae amicum fuisse: rectam verò disciplinam nullo pacto attingisse: nec ad rei familiaris administrationem animum vnquam applicuisse. CL. Cur ita? A T H E. A iuuenta per totam vitam militia occupatus, mulieribus filios tradidit educandos. Quae ipsos ut felices statim pueros atque beatos, nullius indigentes rei, sic educabant ut prohiberent ne quis eis, ut pote beatis, aliqua in re aduersaretur: cogentes omnes quicquid ipsi dicerent aut facerent laudare. Quae si vera sunt quis non animaduertit in explicanda institutione Cyri à Xenophonte philosopho, dum Platoni condiscipulo vult contradicere, veritatis testimoniū merito desiderari? Ut scilicet iure dictum videatur à Cicerone lib. 1. epistolarum ad Q. fratrem, illam non ad historiae veritatem, sed ad effugiem iusti imperij esse descriptam. Sicut & idem Xenophontem fortasse Platone arguit cum in commemorandis dictis & factis Socratis atque in huius apologia tota via eos errare docet valdeque ineptire, qui Socratem de caeli naturaque rationibus occultis disputantem inducunt. Quare si quid in hoc ab Aristotele peccatum est, in quo, sicut ex sequentibus intelligitur, difficile est illum omni culpa liberare, cum maximis viris commune peccatum est: & in quo vel philosophorum principes facile capit veritatis obliuio. Nisi forte id existimare malimus quod scribit D. Thomas Commentario in libros de animo, perspectam quidem Aristotelem fuisse Platonis sententiam: sed illum in omnibus cauere voluisse ne auditores in illa abdita, popularibus verbis tritoque loquendi

PRAEFATIO IN ALCINOVM.

genere fallerent. Quod etiam scribit Bessarion Cardinalis ca. 7. lib. 2. contra Trapezantiū. Sed de vtriusque philosophi consuetudine satis. Nunc ad ea veniamus quae propria sunt nostro auctori & ei libro quem nunc habemus in manibus. Compendiaria haec est vniuersae doctrinae Platonicae secundum tres philosophiae partes distributa descriptio. Quae duobus hominum generibus utilitatem est allatura. Rudes enim in ea quasi in tabula, magni operis quod ab ipso Platone multis dialogis absolutum est, primas lineas cum aliqua voluptate intuebuntur: eaque ad eius doctrinam, quae nunc tantum adubratur, perfectiorem cognitionem excitabuntur. Qui autem in ipso Platone diu multumque erunt versati, sic suorum studiorum quasi summam facient: & in praeteriti laboris maximo fructu, iucundissima recordatione perfuerunt. Sed hoc ad Alcinoi modestiam pertinet, quod ut rudibus potius liber hic scriptus videretur, *ἀναγωγὴ* appellauit: quasi rudimentum, vel rudem institutionem, quae ad Platonis doctrinam viam tantummodo parat. Sic enim de hoc libro loquitur extrema pagina. Haec vero, inquit, ut ad Platonis doctrinam via paratur, satis abunde dicta sunt. De quibus quaedam fortasse suo ordine, alia extra ordinem sparsa: sic tamen sunt omnia exposita ut superiorum speculatione ad ea quae ex illis consequuntur & ad reliqua eiusdem decreta paratior efficiamur. Quo etiam modo quidam (quod apud Ciceronem est lib. 1. de finibus) dicebat se Tarentinis, Consentinis & Siculis scribere: quod doctorum iudicium reformidaret. De Alcinoo perpauca ab aliis accepimus. Ut liber hic suo lumine splendescere potius, quam auctoris nomine celebritatem vllam accipere videatur. Illum Conradus Gesnerus in sua Bibliotheca, ex hoc solo libro agnoscit. In cuius graeco exemplari tria capita deesse ait, quae in interpretatione Marsilij Ficini sunt 26. 27. & 28. Haec autem pace eius dixerim, à Ficino, nescio qua ratione, transposita tantum erant & à nobis in sequentibus suo loco reposita. Volaterranus lib. 13. ex Suida commemorat Alcinoum philosophum Platonicum epitomam scripsisse decretorum Platonis à praesule Tropiensi postea in latinum conuersam. Sed quis hic fuerit, quo loco natus, aut quo tempore vixerit (quoniam haec ad auctoritatem scriptorum & intelligentiam pertinent) quaesivi quidem sedulo: nihil tamen adhuc potui consequi praeter leuem coniecturam, quam lectori indicabo: ut de ea pro suo arbitrio iudicet. Cum ad comparationem doctrinae Platonis cum iis quae ad nostram religionem pertinent, libros varios cursim euoluere, incidi forte in Eusebij cap. 11. lib. 11. de Evangelica preparatione. In quo magnam partem cap. 10. libri huius citat ad verbum, aut certe perpauca mutatis, atque his eiusmodi ut in eis, sicut in aliis permultis, exemplar Alcinoi quod sequuti sumus, deprauatum possit



IAC. CARPENTARII

susplicati. Sed authorem nominat, Didymum, non Aleinoum. De quo sic loquitur. Hæc Plato in Timæo. Quorū sensum ab eo libro Didymi sumam quem inscripsit, de placentibus Platoni. Determinata, inquit, sensilium exemplaria, ideas appellat, ex quibus scientiam & definitiones fieri censet. Præter enim singulos homines, hominē quendam intelligi & præter equos singulos, equū, ac communiter præter hæc animalia, animal nec generabile, nec corruptibile. Vt quemadmodum ab vno sigillo multa signantur & vnius viri multæ imagines: sic ex vnaquaque idea, sensilium corporum naturę quamplurimæ efformentur. Est autem idea perpetua substantia causa & principium vt singula talia sint, qualis ipsa est. Et quemadmodum primitiua sensiliū exemplaria ad hæc corpora præcedunt: sic quæ omnia in se ipsa continet pulcherrima atque perfectissima, huius mundi exemplar est, ad quam creatore deo, ab vniuersa substantia mundus simillimè est formatus. Quod cū animaduertissem cæpi inquirere quis fuisset ille Didymus: atque deprehendi hunc in Alexandria vixisse temporibus Eusebij: vt mihi minus iam sit probabile hūc, cum recens esset adhuc memoria, in illius nomine aut scriptis commemorandis esse deceptū. De illo verò hæc refert D. Hieronimus in Catalogo scriptorū ecclesiasticorum. Didymus Alexandrinus, captus à parua ætate oculis & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit vt dialecticā quoque & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, vsque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit, Commentarios in psalmos omnes, Commentarios in Euangelium Mathæi & Ioannis, & de dogmatibus & contra Arrianos libros duos & de spiritu librum vnum quem ego in Latinum verti, in Esaiam tomos decem & octo, in Oseam ad me scribens, commentariorum libros tres, in Zachariam, meo rogatu, libros quinque & infinita alia quæ digerere proprij indicis est. Viuit vsque hodie & octogesimū tertium ætatis excessit annum. Idem præfatione in epistolam ad Ephesios, fatetur se Alexandriam adiisse vt hunc videret: ab eoque in scripturis omnibus quæ habebat dubia sciscitaretur. Tritemius abbas cum D. Hieronimo inter eiusdem libros commemorat vnum de dogmatibus. Nescio an non hic sit, in cuius interpretationem nunc incumbimus. Fuisse autem Didymum cæcum, qui lucifer appellatus, doctrinæ Platonice (cuius hæc vniuersa descriptio est) maxime studiosum, hoc indicare potest: quod cum esset interrogatus à Ruffino quare moriantur infantes, cum propter peccata corpus acceperint, vno libro illi respondit, quod ex Platone didicerat, eos non multa in altera vita peccauisse, atque idcirco carceres tantum attigisse, vt scribit Hieronymus in epistola ad Ruffinum. Quare etiam hic in apolo-

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

gia ad eundem Ruffinum, se excusat quod Didymum præceptorem agnosceret, qui cum Origene, Platonice minimum oblectari videbatur. In Didymo, inquit, & memoriam prædicamus & super Trinitate, fidei puritatem. Sed in cæteris, in quibus Origene malè credidit, nos ab eo retrahimus. Et Socrates cap. 25. lib. 4. de historia Ecclesiastica, scribit hūc Arrianis fortiter & acutè restitisse & inter alia multa scripsisse commentarios in libro Origene de principiis, magna ex parte Platonice: quibus illa bene esse scripta & præter rationem cōtendere eos probat qui Origenem in illis reprehendunt, nec eos huius viri prudentiam intelligere. Commendat præterea in illo doctrinæ peripateticæ cognitionem Theodoretus cap. 29. lib. 4. historiae, Didymus, à puero, inquit, sensu oculorum priuatus, disciplinis poëticis ac rhetoricis instructus fuerat, perceperatque auribus Arithmetices, Geometriæ, Astronomiæ præcepta: nec non Syllogismos Aristotelis & Platonis facundiam: non quasi illis veritas doceretur, sed quod hæc arma essent quædam veritatis contra mendacium. Qua ratione factum soleo suspicari vt libro hoc Peripatetica pleræque pro Platonice vsurpentur. Qualia sunt in prima philosophiæ parte ea quæ de tribus formis ratiocinationum & de Analyticae methodi variis partibus commemorantur. Atque nescio quo modo genus ipsum scribendi authoris cecitatem indicat. Si quidem hæc dictata videntur ab homine in Platone exercitatissimo: qui eius libros ob oculos non haberet, sed ex ipsa memoria omnia repeteret. Eoque effectum est vt in nonnullis locum ex quo deprompta sunt exprimat, in pluribus, inuestigandum relinquat. Quod in huius interpretatione maximam difficultatem parit. Qua coniectura si hoc consequimur vt ex officina illius magni Didymi Luciferi, Alexandrini, qui D. Hieronymi & Ruffini præceptor fuit, & vt ait Nicephorus Callistus lib. 9. historiae ecclesiasticæ, pro decretis Nicenis pugnans, Arrianis doctè & fortiter restitit, liber hic proditisse videatur, quid maius ad eius commendationem afferri potest: aut qua ratione amplior illi authoritas, in iis præsertim exquirendis quæ ad Platonis diuinitatem pertinent, conciliari? Sed de authore abunde satis: nunc ad huius libri distributionem veniamus. Postquam de philosophia deque his quæ futuro philosopho sunt necessaria, pauca præfatus est, & contemplationem actioni suapte natura anteponendam docuit, nonnunquam tamen illa intermissa, sed semper animo retenta, philosopho ad actionem esse veniendū: eius studium in tres partes distribuit ex ipsius philosophiæ diuisione natus. Quarum prima artes logicas complectitur: secunda, ea omnia in quibus est posita veritatis contemplatio: tertia, quæ pertinent ad vitam & mores. Quas cum eodem ordine ita explicet vt in singulis



IAC. CARPENTARII

Platonem maximum videri velit, artium logicarum appellatione rhetoricam & dialecticam, ut opinor, complectitur. Quod hæc partim rationis sunt, partim orationis, etsi non eodem modo. In quo quid inter eas intersit, postea explicabitur. Dialecticæ modo differendi artificium tantum subiicit: modo ex Platonis consuetudine, rerum omnium cognitionem. Atque ipsum differendi artificium ita distribuit ut in eo Aristotelem potius quam Platonem secutus videatur. Eorum tamen quæ ad vnius artis formam ab Aristotele reuocata sunt, & in præceptis posita, usum in Platone doceat & variis huius exemplis illustrari possit. Credo quod animaduertent nihil amplius hac in parte illi pertinere, complectitur artes Mathematicas, Physiologiam & diuinam sapientiam. In quibus cum varia ordinis ratio teneri potuerit, hic primum de artium Mathematicarum utilitate disserit, ex libris de Republica & Epinomide. Secundo loco de diuina sapientia, in qua ex diuersis eiusdem dialogis, sed maxime ex Timæo & Parmenide, abundè explicat tria rerum omnium principia, materiam, Ideam & opificem Deum. Tertia de naturalibus. In quibus eandem distributionem seruans quæ Plato in Timæo, agit de mundi idea, de huius in sensum cadentis magno corpore & animo: postremo de homine ut minore quodam mundo. Atque de mathematicis quidem primo loco, siue quia in illis breuior esse volebat, siue ut Platoniorum opinionem sequeretur: qui arbitrati sunt in formis mathematicis abstrahendis, futuri philosophi animum primum esse exercendum eaque exercitatione ad omnem veritatis contemplationem erigendum. Quæ ratio ordinis pluribus à nobis est exposita contra Thesalium, nostris prælectionibus in Spheram. De diuinis autem prius agit Alcinoüs quàm de naturalibus (sicut potest intelligi ex fine cap. 11.) ut ex illis tanquam ex primis fontibus, naturalia repeteret. Quæquam alij nostræ imbecillitatis ratione habentes, hæc ad illa tanquam ad finem referunt. Quoniam, ut etiam docet apud Platonem Socrates in Phædone, ea sola naturæ contemplatio laudabilis est, in qua omnia ad deum referuntur: ut ex variis rebus effectis tanquam ex umbris, huius vera cognitio quaeratur. Hac enim ratione Aristoteles ea in quibus ista diuina conatur explicare, Metaphysica videtur appellasse. Tandem verò noster Alcinoüs desinit in eam partem quæ de vita est & moribus: non apto quidem ordine si id spectes quod Platonici dicere solent animum prius quam in contemplatione erigatur, repurgandum esse & à corpore, id est ab iis perturbationibus quas affert corporis contagio, secernendum: atque ita in eius mortis, de qua in Phædone idem Socrates loquitur, meditatione exercendum. Sed hac ratione non ineptè, quod cum & in contem

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

contemplatione & in actione omnia ad deum referre debeamus: in contemplatione quidem ut ad veritatis fontem, in actione verò ut ad ipsum bonum: longè potentior sit ipsius boni vis quàm veri. Adeo ut ne verum quidem expectamus nisi ut rationem quandam boni obtinet: quemadmodum in sequentibus suo loco differetur. In iis autem quæ ad mores pertinent colligendis ita versatur ut quædam ad singulorum vitam conformandam, nonnulla ad domesticam societatem, alia ad ciuilem pertineant. Quoniam & inter hæc ordo quidam est, nec quisquam potest ciuitati cum laude præesse, nisi qui familiæ bene præest: neque verò familiæ præesse, nisi qui sibi imperat & perturbatione redegit in rationis obsequium, per eas virtutes quæ ut Aristoteles ait cap. 1. lib. 1. Ethic. inde morales sunt appellata. Cum verò ea quæ hoc libro ad vniuersam philosophiam pertinent ex Platone desumpta sint, magnaque sit scriptorum eius varietas, nec in hac omnia apud nos eandem autoritatem habere debeant: de illis etiam pauca hoc loco sunt dicenda: ut cum in sequentibus indicauero ex quibus dialogis singula collecta sunt, simul etiam intelligatur quam verè hæc Platonis dogmata siue decreta, vel selectæ sententiæ esse dicantur. Antiquissima est scribendi ratio per dialogos: cuius inuentorem nonnulli fuisse tradunt Zenonem Eleatem. Eaque vel ob hanc commoditatem imprimis commendabilis, quod alternis interrogationibus & responsionibus, quibus illa constat, non modo melius quam in ipsius orationis perpetuitate, quæ cuiusque sententia sit cognoscatur: sed etiam breuius atque distinctius quod contra hanc afferri potest, explicetur. Hanc Plato & Xenophon sic excoluerunt, ut ad summum perduxisse videantur. Sed apud Platonem ut dialogorum varia sunt genera, sic in omnibus non idem pondus sententiarum esse debet. Non enim solum ex his quidam ad Physiologiam petunt, ut Timæus: alij ad Logicem, ut Politicus, Cratylus, Parmenides & Sophista: nonnulli ad vitam & mores ut Criton, Phædon, Phædrus, Symposium, Menexenus, Clitophon, Philebus Hipparchus (Sic enim hos Diogenes Laertius distinxit lib. 3. de vitis philosophorum) sed, ut docent Fabius cap. 16. lib. 2. & Marsilius Ficinus in Lyfidè Platonis, pro huius vario instituto & earum personarum quas loquentes facit, distinctione, quidam dogmatici esse dicuntur, quibus scilicet Socrates cum amicis disputans, id agit ut suam sententiam de his quæ sunt in quaestione, seriò explicet. Alij positi in exagitanda opinione Sophistarum: In quos arrogantissimos & ad questum & gloriam, omnium rerum cognitionem per vniuersam Græciam profitentes, Socratis aras inciderat. Tertij verò generis sunt qui ex illis duobus mixti, & in quibus fere accidit ut ille



I A C. C A R P E N T A R I I

cum discipulis Sophistarum disputans, primum confutando, falsam scientiæ persuasionem quam ex magistrorum schola hauserant, conetur de eorum animis euellere: deinde recta docendo, errantes in rectam viam reducere. Hoc enim modo in Menone cum Gorgiæ discipulo disputare videtur. Ergo quoniam hoc libro id agimus vt ex vniuersa Platonis doctrina nobilissimas sententias seligamus, aut potius vt ad eas exactius intelligendas viam paremus, permagni interest ex quibus dialogis hæc deprompta videantur: aut in quarum personarum sermonibus obseruata. Vt enim in dialogis Oratoriis ad Q. fratrem non ex Ciceronis mente ea profecta putantur quæ M. Anthonio artem dissimulanti, aut etiam exagitant tribuuntur: sed quæ ab eo dicuntur qui in illo sermone primas partes obtinet: sic quamquam Platonis ore Socrates loqui dicatur, non omnia tamen Platoni probantur quæ à Socrate disputantur, sed ea tantum quæ tum ille affirmat cum nullam adhibet in differendo dissimulationem. Qualia verò ista aut ex quibus dialogis ab Alcinoo collecta, dabimus operam vt in singulis postea intelligatur. Nunc illud monuisse satis fuit sine quo in sequentibus error vitari non potuit. Atque quoniam de Arist. & Platone de quæ hoc opere quatum quidem videbatur, sumus loquuti: reliquum est vt cum lectore de huius commentationis nostre ratione atque instituto, aliquanto familiarius agamus. Ego quidem cum de interpretando Alcinoo primum cogitare capi, memineram me ante annos aliquot in priore nostra descriptione physica nescio quid pollicitum de cõparatione Platonis cū Arist. præsertim in ea parte quæ de animi natura, distributione, & singulari partium sedibus varias quæstiones cõtinet. Et ad eam rem explicandam ex variis Platonis atque Peripateticis, maxime verò ex Gal. lib. de decretis Hippocratis & Platonis iam satis multa collegeram, quorum cõmunicatio certè rudibus non ingrata fore videbatur. Quare cū in hoc authore nactum me occasione gauderem, in qua non modo illa effunderem, quæ tum mihi erant abdita, sed eodem labore ingenium exercendo non nihil fortasse fructus affererem, atque industriæ gratiam parerem: nonnullis hac in parte meum studium indicare capiti non tam, vt quod verum est fatear, consiliū ab illis expectas, quam vt cū id me facturum apud illos recepissem, inde pedem referre non liceret. Sū enim eiusmodi vt cū multa instituam, ea variis cogitationibus facile patiar interrumpi nisi me in instituto retineat meorum quotidiana eflagitatio. Sed fuit illa profecto iuuenilis cogitatio & in qua longè aliter experiundo res cessit, quam ipse mecum eram in deliberando ratiocinatus. Nam præterquam quod hoc libro ad quæstionem de animo, in qua me exercueram, alia permulta accedunt quæ Pythagoreorum & Platoniorum in vniuersa philosophia, summa mysteria esse putantur: alia etiam diffi-

PRÆFATIO IN ALCINOVM.

cultas ex eo nascebatur, quod hic ab homine in Platonica doctrina patrum nostrorum memoria exercitatissimo, non satis fideliter de Græcis Latinus factus videbatur. Neque verò, vt ingenuè fatear, in me ea linguæ Græcæ facultas, vt etiam si in sententia peccatum ab illo facere animaduertem, possem ipse perficere quod in eo desiderabam. Quibus rationibus sic ab opere quod confidenter institueram, reuocabar, vt quamquam cum eius primas lineas nonnullis spectandas proposuissem, illi quotidie nescio qua vtilitatis specie allecti, ad perficiendum hortarentur, in eo tamen mihi non satisfacerem, quod nec omnia per me præstare possem quæ ad confectionem operis erant necessaria, & vt illa in me sita essent, non tamen ignorare quanto cum periculo nominis & famæ coniuncta esset alieni operis commentatio. In qua quasi in alieno solo ædificatur & in eas angustias animus contrahitur, vt de his plerumque dicere cogatur in quibus minimè est exercitatus: nec in ea sine vitio potest excurrere quæ habet maxime familiaria. Quid verò si adieceris immensi laboris fuisse iudicare ex quibus Platonis dialogis singula ab Alcinoo sunt depræpta? Quod cū primum essem aggressus & multa sæpius quærenti atque euolenti in eo diuinandum esset quod assequi casus potius quam eruditionis esse videbatur (sic enim indoctissimus quisque in eum locum frequenter incidit, quem doctus diu quæsitum inuenire non potuit) ad extremum in eo quod totius laboris minimam partem continebat, ita defessus visus sum, vel potius fractus vt Pythagoreorum Platoniorumque doctrinam animus auersaretur non aliter quam crudus stomachus ac redundans, cibos suapte natura suauissimos. Sed vide candide lector, quanti te tuæque studia fecerim. Quod antea ludens obseruaueram interpretandis de Italorum vernaculis, duobus libris, vno de animi immortalitate altero de elementis, vt scilicet aliorum opera adiutus rudem primum illorum sententiã colligerem, deinde eam pro mea facultate perpolirem, idem in huius libri explicatione existimaui faciendum. Nam quæ ad intelligendam authoris mentem pertinebant, ea certum fuit vel mendicare potius hostiatim, quam quicquam tibi hac in parte deesse. Deinde quæ ab aliis acceperam conatus sum omnia facere meliora. Atque hoc prima editione fortasse erã consequutus, vt si non omnino adhuc expressa esset Alcinoi sententiã: in multis tamè partibus fidelius quam à Marsilio Ficino reddita posset videri. De suauitate orationis in hoc præsertim commentario in quo multorum philosophorum magis in rerum cognitione eruditorum, quam in verbis ornatorum, sententias placuit ad verbum recitare, nihil dico. Quoniam res est eiusmodi vt sit contenta doceri, & vt Cicero ait, eloquentia à Philosopho si afferatur, aspernando non est:

si eam non habet, non admodum flagitanda. Imo ea persuasione in plerisque uti volui tritis in philosophorum schola vocabulis: etiam si ea delicata nostrorum Logodædalorum aures respuerent. Ne in illis immutandis affectata diligentia, rebus atque sententiis suum pondus adimeret: Quod utinam quidam mihi condonare potuisset. Equidem is qui nunquam antea à nobis læsus fuerat, nisi fortè in eo quod alacriter Thessalo restitimus ad cuius causam animum adiecerat, laborè nostrum in hoc authore interpretando & illustrando æqui bonique consulisset, ac mihi tempus dedisset ad ea recognoscenda in quibus plerique sciebāt me mihi non satisfacere. Et certè id facere is debuisset qui suos fœtus ipse non solet, nisi lambendo perficere, qui que in his sibi licere vult in dies mutare quidlibet. Aut si potius in hoc authore iuuare his voluisset, quæ putabat habere se nostris meliora, debitam gratiam egissem & hoc beneficium ab illo acceptum, semper præ me tulissem: prædicassem etiam apud omnes, ad quos eius pars maxima erat reditura. Sed hoc profecto fuit permolestum & tamen vsque adhuc à nobis dissimulatū, quod cum in hoc interpretandi cōmētandique studio verborum sapientiam semper aliis concessissem, in rerum cognitionem ab incunte ætate incubuissem, de hisque aliorum Philosophorum iudicia non modo nunquam reformidasset, sed hæc ipsa ut essent libera, expetiuissem, quo multorum opinionibus examinādis nostra facultas in dies cresceret, posterioresque cogitationes prioribus essent meliores: contra nos hic exortus est qui cum in rebus quæ ab hoc authore tractātur valde rudis ne hiscere quidem audeat in quorundam verborum interpretatione à nobis dissentiens id agit ut omnium philosophorum nostræ ætatis, princeps habeatur. Atque in hoc ut teneris ingeniis facilius imponat, editis scholiis in librum hunc, Platonis dialogos ex quibus ista Alcinoüs deprompsit, singulos iudicat & hac arte in illius doctrina exercitatissimus vult videri. Quod tamen sciunt permulti qui nos ante annos octo ista explicantes audiuerunt, prius à nobis fuisse confectum, quam hic Alcinoüs attingisset, & ex nostris prælectionibus per nescio quos emissarios, ad eundem esse delatum. Ut merito cum Poëta dicere possim,

Hos ego composui versus, tulit alter honores

Sic vos, non vobis, & cætera. Notum enim carmen est.

Addit verò etiam, se si quando suis occupationibus relaxatus fuerit difficiliore huius authoris locos ex Platone & Arist. illustraturum & quid inter hos conueniat, quid non, dilucidè expositurum. Quod quidem tempus si aliquando futurum existimassem, lubens profecto expectauissem: ut experirer quid verborum artificio, ad rerum sententiaturumque examen afferre posset. Sed ego huic, qui tam sæpe prouo-

cando, respondendi necessitatem nobis imposuit, seorsum postea ad finem operis huius respondebo. Quoniam in hoc, in quo non dubito profiteri, me multorum annorum quos in philosophiæ studio posui fructum collegisse, istiusmodi hominis nugis examinādis nullus omnino locus esse potest: ne plaris factum se arbitretur quā decuit. Nūc verò omnes philosophiæ professores etiam atque etiam rogabo ne ea contentione offendantur: neue ex leuiore aliqua particula, de toto opere pronuntient. Quis enim corpus in reliquis bene conformatum, vnquam ex eo reprehendit quod in eo neuus aliquis apparetur? Sed si quis eorum, à me in rebus variis de quibus hoc Commētario pronuntiatum fuit, dissenserit, de eoque contra nos suam sententiam scriptis testari voluerit, modestiam adhibeat, omnè acerbiter fugiat. Et quanquā fortasse grauè obiurgationè crassa in multis nostra ignorantia promereri videatur: hoc tamè potius cogitet quid musis, quid philosophorū ordini, quàm quid mihi debeatur. Atq; ita vna eademque opera perficiet ut ego cum aliis fructum eruditionis in illo percipiā, nec modo tacitus agnoscam, sed apud omnes præ me feram & pro eo gratiā immortalè habeam. Quod non eo dico ut culpā ante peccatum deprecet: sed quod in istis rebus de quibus vsque adeo dissidetes sunt grauissimorum virorū sententiæ, valdè placeat modesta & verecunda libertas nouorū Academicorū, ab incertis assensionè cohibentium, indies viuentiū, & probabilia cōiectura ita sequentiū, ut nihil tam indignū esse putent sapiētis grauitate atq; constantia quā aut falsa sentire, aut quod nō satis explorate perceptū sit & cognitū, sine vlla dubitatione defendere. Reliquū vnum est quod nos etiā præfari oportuit, multa esse in hoc libro ad diuinā sapiētiā pertinētia: in quibus Platonis doctrina cum religione nostra cōparari potuit accuratius: ut de Deo, de Damonibus, de animi immortalitate, de fato, de arbitrij libertate. Sed nos in illis modū seruare, aut etiā infrā modum cōsistere certis rationibus volumus. Primum quidē quod ea vel à nostra professione aliena, vel certè supra hæc esse videantur. Deinde quod valdè exercitatū, parum deceat de sanctissimis rebus definire: in quibus si publica persuasione summa antiquitatis cōsensione firmatæ tantum semper esset tributū quantū viri boni tribuendū existimant, trāquilliora omnia in Rep. Christiana antea extitissent & minus adhuc hodie in sedandis civilibus discordiis laboraremus. Quanquā in plerisque cum Platonis D D. Hieronymi, Augustini, Tertulliani, Origenis, Theodoret, Eusebij, Thomæ scripta sedulo cōposuimus. Non in alienā messem manū immittētes (neq; enim quicquam in illis nostro iudicio statuimus) sed in nonnullis declarare volētes quod antea ex D.



IAC. CARPENTARII

Augustino commemorauimus, Platonis doctrinam paucis mutatis, Christianam videri posse. In aliis verò intelligi quoque à nostris oportuit crescente adhuc nostra religione, vel etiam quasi in suis incunabulis vagiente, pleròsq; in rebus sacris alioqui maximos Platonis nimio studio esse deceptos. Ne fortè cum illa iã, vt arbitror, ad summum perducta sit, eodem vitio nostra ætate incipiat senescendo repuerascere. Quæ omnia quantam vtilitatem tibi, Candide lector, allatura sint pronuntiare non est meum: ne magni videar meas nugas venditare. Huius rei euentum fortuna tuãque beneuolentia præstabit. Viuent hæc & legètur, si genium habuerint. Placebunt & proderunt, si tibi ita videatur. Neque enim quisquam est tam malus scriptor ex quo non possit aliquam vtilitatem referre qui eum legit animo beneuolò. Sed si quid optando consequimur, illud modo precabor, vt tantã in legendo vtilitatem sentias quantam ego in scribendo difficultatem atque molestiam. Sin minus, vt hoc saltem cogites cõdeberi aliquam gratiam qui prodesse voluit omnibus.

SEQUUNTUR ARGUMENTA DIGRESSIONVM QUÆ HOC commentario continentur.

- 1 De methodo, quæ continet disputationes duas contra Thessalum Academiae Parisiësis methodicum. in cap. 5.
- 2 De ideis & vniuersalibus, in cap. 8.
- 3 De Deo, in qua contra eiusdem Thessali methodici calumnias Aristotelis doctrina defenditur, in cap. 9.
- 4 De demonibus, An corporei & quomodo ad nos se habeant resque humanas cognoscant, in cap. 13.
- 5 De metempsychosi Pythagorica, eodem capite.
- 6 De sede partis vel facultatis animi principis, Vtrum in cerebro an in corde, in cap. 14.
- 7 De modo videndi & de natura oculorum, in cap. 15.
- 8 De respiratione, an insit piscibus & cuius facultatis aetio, in cap. 16.
- 9 De origine animi, de distinctione partium vel facultatum principum deque harum sedibus, in cap. 17.
- 10 De animorum immortalitate. In qua Platonis rationes omnes cum Peripateticis conferuntur, in cap. 18.
- 11 De Fato, an sit & in quo sit, in cap. 19.
- 12 De arbitrij libertate, & vtrum hæc cum Fato possit consistere, eodem capite.



ALCINOI PHILOSOPHI, ad Platonis doctrinam institutio.

A PRÆSVLE TROPIENSI PRIMVM
deinde à Marfilio Ficino, de Græcis conuersa: nunc verò de
integro recognita & latina facta.

PER IACOBVM CARPENTARIUM
Claromontanum Bellouacum.

Quid philosophia sit, quid philosophus & quibus hunc à
natura instructum esse oporteat: quæque suo
labore ad naturæ dotes adiicere.

Cap. I.

Sententiarum ex Platone maximè selectarum, doctrina quedam eiusmodi constituitur. Philosophia est vehemens sapientiæ appetitio: vel solutio atque auulsio animi à corpore, cum ad intelligibilia & ad ea quæ verè sunt, conuertimur. Sapiencia verò diuinarum humanarumque rerum scientia. Philosophus autem est qui ab illa nomen accepit, quemadmodum à musica musicus. Natum verò eum primum quidè ad mathemata esse oportet

2
tet, ut ad eam cognitionem facilis & promptus sit, quæ essentia non incertæ aut fluentis, sed in solam intelligentiam cadētis: deinde ad veritatem ita se habere, ut huius amore ardeat, à mendatio abhorreat. Natura etiam quodammodo temperantem esse, & parte animi inferiore quæ suis motibus contrà rationem efferri solet, contracta atque huic obsequente. Quoniam mathematicum auidus, circa ea, quæ sunt, & ad hæc, appetitionem suam cōuertens, voluptates corporis non admirabitur. Futurum quoque philosophum animo liberali esse decet. Quia in humilibus & sordidis affectata diligentia, maximè contraria est animo qui diuina & humana est contemplaturus. Illūque ad iustitiam natum esse oportet: si quidem & ad veritatem, liberalitatem atque temperantiam. Adesse quoque ei ingenij docilitatem & memoriam. Quia hæc philosophum etiam informant. Ad quas natura dotes, cum recta educatio & institutio accesserunt, perfectum ad virtutem declarant. Illæ verò neglectæ, ingeniorum aliorum sunt causæ. Quas sola vocis communionem cum ipsis virtutibus, temperantiæ, fortitudinis & iustitiæ nominibus Plato solet exprimere.

IACOBI CARPENTARII COMMENTARIUS
in caput primum Institutionis Alcinoi,
ad doctrinam Platonis.

1 Vniuersæ philosophiæ summam ex Platonis doctrina, quæ varia est & multiplex, descripturus libro hoc Alcinoi, ab ipsius Philosophiæ definitionibus ducit initium: ut ex iis intelligatur quale sit, quod in illius libris queritur. Deinde ex 6. de Rep. Platonis ea enumerat quæ ad philosophi perfectionem partim ab ipsa natura expetenda sunt, partim doctrina recta que vitæ institutione & consuetudine paranda. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: ut que (quod Cicero ait 2. Tusculana) falsum est illud ac improbe dictum,

Et si in segetem deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura erunt.



ALCINOI INSTITVTIO AD

Sic nec omnes animi culti, fructum ferunt. Et quemadmodum ager quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic nec animus sine doctrina. Est enim vtraque res, natura inquam & doctrina, sine altera debilis, nec ad perfectionem eius philosophi quæ in Platonis scriptis quaerimus, satis habet virium. Cum autem philosophia, sicut & rerum cæterarum quantumuis suapte natura simplicium, prout à nobis variè considerantur, diuersæ definitiones tradantur, duas hoc loco ex Platone colligit. Quarum prior ex ipso nomine ducitur (philosophia enim vt Cicero ait lib. 2. de Officiis, si nomē interpretari velis, nihil est aliud quā studium sapientiæ) posterior (quæ duas partes continet) partim ex eo quod philosophica contemplatio, vt liberissima sit, imprimis expetit, animū scilicet corporis cōtagione, quoad potest, solum: partim verò ab eo quod pro summo beneficio eadem homini præstat: nempe vt rerū perpetuo fluentium imagines contemnat, & pro nihilo ducat: ab illisque ad ea quæ verè sunt ita se conuertat, vt in eisdem Deum opificem contempletur: huncque nō solum in communibus officiis imitetur vitæ modo atq; constantia, sed superata omni actione (eam intelligo ad quā philosophiæ moralis præceptis instruitur) tandē animo perpurgato & corporis vinculis soluto vel ab eodem auulso, illius iucundissimo cōsortio perfruat. Imo in caduco corpore quasi quidam Deus (vt Euripides dicere audet) efficiatur. Quo modo etiam Pythagoras ait,

*Corpore deposito, cum liber ad æthera perges,
Euares hominem, factus Deus ætheris almi.*

In his enim summam philosophi excellentiam esse sitam Platonicè arbitrantur. Vt primum animū suum suorumque ciuium cōponat: quod per philosophiam moralem consequitur. Deinde expeditam adeptus tranquillitatem (parte scilicet animi inferiori vel omnino sopita, vel certè nulla in re contra superiorem exultante) diuinorum operum rationes & causas perscrutetur, in iisque authorem Deum speculetur & colat. Nam in eiusmodi speculatione, sapientiæ in cultu religio: in ambobus humana felicitas consistit. Et certè Aristoteles, quanquā hac in parte non tam diuinus quā Plato, tamen in Ethicis ad Nichomacum gradationem eiusmodi seruasse videtur. Nam postquam lib. 1. humanā felicitatē descripsit, ab initio lib. 2. vsq; ad finem lib. 5. totus est in explicandis virtutibus moralibus: per quas pars animi inferior repurgatur & superiori obsequens redditur: lib. 6. ascendit ad virtutes partis animi superioris: quibus vix locus est nisi illis moralibus antecedentibus. Septimo, progreditur ad virtutes heroicas, quæ hominē supra hominē erigunt. Immanitati ac feritati, inquit, licet eā virtutem poni cōtrariam maximè, quæ supra nos est, quæ eadem heroica & diuina dicenda est, vt Homerus Priamum de Hectore loquentem facit, eum virtute præstanti esse:

Non hic mortali est, sed diuinum semine natus.

Ita si, vt aiunt, ex hominibus propter excellentem præstantemq; virtutem, efficiuntur Dij, profecto ea erit potissima animi affectio quæ feritati repugnat, &c. Tandem verò lib. 10. definit in contemplationē & in quaestionē de voluptate, quam illa habet adiunctam. In quibus celebrandis maximè videtur cōsentire cum hoc summo philosophiæ fructu, quem ex Platone Alcinoi commemorat.

2 Posterior philosophiæ definitio, collecta est ex Platonicè Phedone. Eo enim Dialogo quia his qui in sapientiæ studium incumbunt, corpus impedimēto esse solet, concludit philosopho ad huius cōtagionē minimè esse declinandum: sed ab illa discedendū, animūq; ad se ipsum conuertēdum. Quem locū sic interpretatur Cicero prima Tusculana. Tota philosophorum vita, inquit, cōmentatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum à voluptate, id est à corpore: cum à re familiarī, quæ est ministra & famula corporis: cum à Repub. cum à negotio omni

DOCTRINAM PLAT.

4

animum seuocamus? quid, inquam, tum agimus nisi animum ad se ipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximèq; à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animū nequicquā aliud est quam emori discere. In qua Platonis sententia intelligenda veteres variè sunt decepti. Nam Cleombrotus Ambraciota cum nihil aduersi accidisset, vt animum corporis carcere liberaret, è muro se in mare deiecit dicitur, lecto illo Platonis libro. Cum tamē eo ipso Socrates veter ne quis iniussu Imperatoris Dei de statione vitæ decedat. Vnde in illum extat eiusmodi epigramma.

*Vita vale: muro præcepti delapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciota puer.
Nullum in morte malum credens: sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.*

Alij, etiam si Cleombroti factum improbant, in graui tamen calamitate, eaq; potissimum quæ publica est, spontanè huius solutionis à corpore, causam legitimam a Deo dari arbitrantur. In qua Lucretiæ & Catonis Vticensis mortē laudant. De Catone enim sic eodem libro Cicero scribit. Cato sic abiit è vita vt causam moriēdi natum se esse gauderet. Verat enim dominās ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Cum verò causam iustam Deus ipse dederit, vt tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: ne ille mediis fidius vir sapiēs lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit: nec tamē illa vincula carceris ruperit (leges enim verant) sed tanquā à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus atque emissus exierit. Quæ sententia à D. Augustino reprehenditur cap. 23. lib. 1. de Dei Ciuitate. Porro illa animi à corpore philosophica separatio, duplex est vna à perturbationibus, per eam purgationē quam virtutes morū afferunt. Altera à sensibus ipsaq; visione vel imaginatione ex sensibus hausta, per eam contemplationē quæ propria eius mentis cuius participes Deos quidem omnes Plato esse ait in Timæo, homines autē paucos. De quo scitū est quod scribit Marsilius Ficinus, vt sapientes medici duplici vtuntur purgatione: vna quidē leniendo, altera morbum soluēdo, scientes neq; satis esse lenire, neque tutū soluere velle antequā lenias: sic apud philosophos moralē antecedere purgationē, quasi lenientem: sequi alteram quæ hoc præstat summū quod à falsis rerū imaginationibus ad incorporea, quæ sola verè sunt, mentem erigit & in eorum cōtemplatione sic exercet, vt iam suatur quadam specie eius voluptatis quæ erit maximè solida, cū è corpore excesserit. Ex quibus intelligi potest quod altera definitionis parte dicitur, philosophiam auulsionē esse quadam animi à corpore, cum ad ea quæ verè sunt & in intelligentiam cadunt, cōuertimur. Nam cum apud illum in Timæo, rerum omnium duo genera sint, vnum fluentium, alerū earum quarum semper omnino eadem essentia, solæ posteriores verè esse dicuntur, quæ cæterarum æternæ exemplaria cōtinent. In quarum cognitionem animus philosophia duce erigitur, cū in mathematicis abstractionibus prius exercitatus, potest res singulas ad suam ideam reuocare. Vt ex vmbris clarissimi solis cognitionem captans, tandem in Deum desinat, tanquā in ideam idealium solis cognitionem omnium quæ possunt intelligi. Atque hoc modo per varios rerum intelligibilium gradus suo quasi vehiculo aut ala (de qua postea disseretur) in cælum effertur. Id verò est quod scribit Plato in epistola ad Dionysium, humanū animum affectare qualia diuina sint, intelligere: aspicientem in ea quæ cognata habet: aut quod idem ait in Symposio, diuinorum amorem animos in cælum reducere.

3 De hac animi à corpore auersione & ad intelligibilia conuersione nobilis locus est apud Porphyrium lib. 1. de abstinentia ab esu carnium. Quem integrū describam vt facilius ea quæ in eandem sententiam à sacris scriptoribus dici solent,



5 cum Platonice conferantur. Similes sumus, inquit hominibus, qui in exteris nationibus, profecti non solum domesticis omnibus exturbati sunt, verum etiam à regione externa perturbationibus & consuetudinibus & institutis peregrinis ita fuerunt imbuti, vt ad ea propensi admodum sint. Quemadmodum igitur si quis inde redire domū velleret, non modo iter facere studeret, sed quo à suis admitteretur, daret operam quoque, vt deponeret quicquid ab externis accepisset, eaque sibi in memoriā reuocaret quæ cum antea haberet, fuerat oblitus, sine quibus admitti à domesticis nullo modo posset: simili modo etiam nos debemus, si hinc ad ea quæ verè nobis domestica ac propria sunt, reuersuri sumus, ea omnia deponere quæ ex mortali natura contraximus, vna cum affectu quo ea prosequimur, ac quo etiam effecta dissensio fuerat, beatæque & æternæ substantiæ recordari, ex summa ope nitii, vt ad ea quæ colore & omni qualitate carent, redeamus: duabus vti meditationibus, vna qua materiale omne ac mortale abiciamus, altera qua reditum faciamus & ad illa contrario modo ascendamus, quam ad hæc descenderamus. Intellectuales enim substantiæ eramus & adhuc sumus, puræ ab omni sensu & irrationali natura. Coniuncti verò cum sensu fuimus ex impotentia æternæ nostræ consuetudinis cum intelligibili: & ex ea potentia quam ad ea quæ hic sunt habebamus. Omnes enim quæ cum sensu & corpore operantur facultates, anima nostra in intelligibili non manente, progesserunt. Non secus atque ex prauitate terræ accidit, quæ sepe cum tritici semen admisit, auenas producit. Vnde si ad pristinum statū redire velimus, primū pro viribus studēdū nobis est, vt à sensu & imaginatione & ab ea quæ ex his consequitur irrationabili qualitate & ipsius affectibus, quatenus generationis necessitas patitur, recedamus. Deinde corrigenda ea sunt quæ ad intellectum spectant, pace & quiete ipsi conciliata ex bello quod cum irrationali natura habet. Vt non solum de intellectu & intelligibili audiamus: sed etiam quantum in nobis est, eius contemplatione fruētes & in incorpoream naturam redacti, verè cum illo & non falsò cum his quæ corporibus cognata sunt, vitam traducamus. In eandem serè sententiam multa sunt apud D. Dionysium lib. de Trinitate. Quo loco docet ascensum ad Deū in purgatione animi esse postum: nec quenquā Deo frui nisi per ea quæ intellectu sunt præstantiora. De quo mentis ad Deū ascensu pleni sunt Platoniorum libri. De eodemque perpauca apud Arist. exaāt. Quoniam animum humanū magis vt naturalem formam spectasse videtur, cuius functiones organico corpore indigent. In quo est animi in corpus descensus, ei de quo nunc agimus omnino cōtrarius. Nisi fortè huius esse concedimus opus de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios: cuius antea in præfatione mentionem fecimus. Nam in hoc, cap. 2. 3. & 4. lib. 2. & cap. 4. lib. 4. cap. 6. & 8. lib. 7. permulta sunt cum Platoniorum doctrina magna ex parte consentientia.

4 Sapientiam Plato definit in Theætero, perfectam coniunctionem iustitiæ & sanctitatis cum prudentia: per quam Deo simillimi homines efficiantur. Marsilius verò in Euthydemū, obseruat in illo cum in loquendo exactior esse vult, diuinorum cognitionem sapientiam nominari, naturalium scientiam, humanorum prudentiam. Idemque in Theagem, diuinorum nomine cōtineri ait, summa principia & æternas rerum omnium causas. Addere Cicero solet, sapientiam esse rerum diuinarū & humanarum causarūque; quibus hæc res cōtinentur cognitionē. Sed hæc causarum cognitio, scientiæ nomine cōtinetur. Quæ scire nihil est, quam rei causam tenere. Vt scilicet sapientia tam eorum quæ ex causis pendunt, quam aliorum quæ inter causas prima omnino sunt, perfectam cognitionem cōplectatur. In qua illa prior propriè est scientiæ, hæc posterior, intelligentiæ. Ex eoque Arist. cap. 7. lib. 6. Ethic. sapientiā vocat scientiā ac intelligentiā eorum om-

niū quæ sunt præstantissima. Quæ, vt idem ait cap. 2. lib. 1. Metaph. Dij hominibus inuident, si quid inuident. Quoniam in pares inuidia cadit: hæc autem hominē Deo parem quodammodo videtur efficere. Quod apud Poëtās locū dedit fabulæ de Prometheo qui dicitur alligatus Caucaſo, quod Vulcani Mineruæque artificiosam pariter cū igne clepsisset sapientiā. Quanquā, vt eodē capite Arist. scribit, in Deum inuidia non cadit, sed quemadmodū dici solet, falluntur multa poëtæ: neque hæc alia præstantior est existimanda. Quæ enim diuina est maxime eadem etiam præstantissima. Talis autem duobus modis solum esse potest: Nam & ea scientia quæ Deus præditus est potissimum, diuina est maxime: & si quæ in rebus diuinis versatur. Quorum vtrumque in hac vna reperitur. Quippe cum Deus & rerum omnium causa ac principium quoddam esse videatur, & eam ornatum vel salus sit, vel vnus ex omnibus maxime. In hac verò definitione humanorum appellatione intelligenda sunt omnia quæ in vniuersitate propter sed etiam caelestia corpora. Vt sub humanis complectatur naturalia omnia corpora quorum homo quodammodo finis est: non solum ea quæ ad institutionem vitæ humanæ pertinent, quæ propria est philosophiæ moralis.

5 Sophiæ nomen est quàm philosophiæ antiquius: sicut amata res, amore natura prior. Philosophia enim amorem sapientiæ continet, eoque ab hac vt auaritia ab auro, à Seneca differre dicitur. Et tamen nonnunquam pro ipsa amata res vsurpatur: vt cum ea definitur, rerum diuinarum humanarumque cognitio. Sophi appellati sunt veteres Græciæ septem: qui à Cicerone, 5. Tusculana, multis seculis fuisse dicuntur ante Lycurgum: cuius temporibus vixit Homerus, antè Romam conditam. Illi verò numerantur à Platone in Protagora, Thales Mileſius, Pitracus Mityleneus, Bias Prieneus, Solo, Atheniensis, Cleobulus Lyndius, Myſo Cheneus, Chilo Lacedæmonius. A quibus nomen hoc manauit, vsque ad ætatē Pythagoræ. Hic verò cū circa tempora Tarquinij Superbi (vt idem scribit Tusculana. 1. & 5.) Philiuntem venisset, à Leone Phlasiarum rege interrogatus quam artem profiteretur, respondit artem se scire nullam, sed esse philosophum. Vt modestissimo nomine possessionem sapientiæ, quæ vt modo dictum ex Arist. diuina est potius quam humana, aliis relinqueret: eius verò amatorem se tantum diceret. Visum est postea, sicut Fabius scribit in præfatione lib. 1. nomen idem insolentissimum hoc tanquam proprium, pauci sibi arrogare ceperunt, vt soli sapientiæ amatores, id est philosophi dicerentur. Cum nemo sit bene natus, qui non eius vel maximo desiderio teneatur. Porro in eam sententiam quæ priore definitione continetur, Plato in dialogo de philosophia, scribit philosophari nihil esse, quàm quod scribit Solo, discendi assidue, multa, senecta venit. In Euthydemo verò Philosophiam esse dicit sapientiæ acquisitionem. Atque quam late pateat huius sapientiæ amor idē sic explicat lib. 5. de Rep. Num cum, inquit, quæ amare quippiam dicimus, omnem illam ardere dicemus: an partim exoptare rem eam, partim nequaquam farebimur? Omnem. Nonne ergo philosophum sapientiæ studiosum esse dicemus, non huius quidem audium, illius non: sed omnis potius sapientiæ? Vera loqueris. Eum igitur qui aliquam spernit doctrinam, præsertim dū est iuuenis, neque dū ratione delectū habet quid cōferat quidue nō, cōferat discernentē, nequaquā discendi cupidū vel sapientiæ amatore esse asseuerabimus. Quemadmodum illum qui fastidit epulas, neque esurire dicimus neque epulas concupiscere, neque amatorem cibi, sed contemptorem, vocamus. Et meritò quidem. Hominem verò ad quamlibet doctrinam gustandam propensorem, ad discendumque promptissimum & inexplebiliter inhiantem meritò philosophum nuncupabimus, nonne? Nuncupabimus. In quibus idem Plato cō-



ALCINOI INSTITVTIO AD

firmare videtur, quod hoc loco *ἡσυχία*, à nobis Latine redditur vehemens appetitio potius quam sicut à nonnullis, appetitio tantum.

6 Preparatio futuri philosophi quæ ex natura perenda est, ponitur hoc loco ab Alcino in duobus, quæ respondent duobus muneribus vitæ philosophicæ, quorum vnum in contemplatione veritatis, alterum in actione versatur. Nam ad contemplationem eorum quæ verè sunt (cuiusmodi Platoni sunt idea primæque intelligibilia) oportet cum natura aptum esse ad mathematicas abstractiones: in quibus pædium futuri philosophi esse positâ, contra Thessalū methodicâ earum exagitatore, abudè docuimus nostris prælectionibus in Sphærâ. Id verò significat eum solum aptum esse ad Philosophicam contèplationem qui etiam ea quæ reuera cū sensilibus cōiuncta sunt (quales affectiones Mathematicæ) cogitationem suam potest suprâ sensum excitare & ab hoc separare. Ad actionem autem & perfectionem virtutum moralium, eundem futurum philosophum habere oportet ad has insita eiusdem naturæ seminaria, quos igniculos Stoici nominant. De quibus cum Alcino dixit hunc natura quodam modo temperantem esse debere, hoc intelligendum est de temperantia generali: quæ à Cicero lib. 1. Officiorum, ponitur in obseruatione decori generalis: quod virtutum omnium moralium officia complectitur: sicut & apud Arist. lib. 5. Ethic. iustitia quæ generalis dicitur. Ex hac verò opinione Platoniorum (quæ postea fuit Stoicorum) de naturæ seminariis ad virtutes, profecta sunt ea quæ Cicero in Philosophia sunt familiaria, Naturâ in viuendo ducem tanquã deum esse sequendâ: & cum qui illam sequitur, nunquam posse aberrare. Quanquam eiusdem Platonis sententia virtutes neque doctrina paratur: sed vt ait extrema pagina Menonis, & in Theagete diuina forte in animos nostros influât: de quo postea amplius disseretur cap. 21. lib. huius. Quare cū eadem virtutes animû pulchrû efficiât, sanctissimum est Socratis votum eiusmodi in Alcibiade Da mihi Deus, inquit, vt meus animus pulcher efficiatur & quæ ad corpus attinent animi pulchritudinem non impediant. Nobiscum verò nascitur ad illas præparatio: quæ varias quoque & inuiduas singulorum hominum proprietates occultas consequitur. Cum quibus cōferenda sunt quæ de partu aureo dici solent libris de Repub. & quæ ab Arist. de idoneo auditore philosophiæ moralis lib. 1. Ethic. atque de hominibus natis ad imperandum, aliis autem ad seruiendum lib. 1. Polit. Locus verò hic descriptus est ex initio lib. 6. de Repub. vbi hæc omnia de Philosopho fassissimè explicantur.

7 Rationem huius rei sic Plato explicat initio lib. 6. de Rep. Philosophis, inmentiantur vnquam, sed omnem oderint falsitatem, diligant veritatem. Probabilè est. Non solum probabile est à amicis, sed penitus necessarium eum qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quicquid cognatum & familiare est amato, diligere. Scitè. Num familiarius aliquid sapientiæ quam veritas reperitur? Nihil. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam & mendacem? Nullo modo. Ergo discendi cupidum necesse est statim à pueritia veritatem omnem summopere affectare? Prorsus. Idem Plato lib. 2. de Rep. mendacium diis demonibus hominibusque odiosum esse scribit. Et lib. 3. Concludit mendacium ciuitatis esse calamitatem quando scilicet priuari consuetudine quadam inter se cum voluptate veritatem occultant: maximè verò si id apud ipsos magistratus faciât. Perinde enim id esse ac si agri medico, & nauæ suo gubernatori mentiantur. Hominiibus tamen nonnunquam pro medicamento mendacium esse vtile, non omnibus: sed iis qui rep. administrant, si id faciunt vel hostium vel ciuium causa, ad communem ciuitatis vtilitatem. Reliquis à mendacio esse abstinendum.

8 Plato lib. 9. de Repub. pro triplici partium animi siue facultatum distinctio-

DOCTRINAM PLAT.

8

ne. statuit totidem genera cupiditatum atque voluptatum. Tandè mque concludit philosophû ceteras voluptates flocci penderè: dum eas ad ingens discendi gaudium quo ipse fruitur in inuestiganda veritate, comparat. Et lib. 6. Qui-cunque, inquit, ad disciplinas & cetera talia omnia desiderio flagrant, puram ipsius animæ expetunt voluptatem: corporis autem oblectamenta despiciunt: nisi quis fictus, non verus philosophus sit. Qui locus maximè consentit cum Arist. doctrina lib. 10. Ethic.

9 Obseruanda hæc rationis redditio, quam valde illustrat Platonis locus initio. 6. de Rep. Timidæ illiberalique naturæ, inquit, philosophia vera non conuenit. Non, vt videtur. Vir autem modestus, non questui deditus, non pusillanimis, non superbus, non timidus, non in commerciis difficilis erit, aut iniustus? Nullo modo. Quinetiam cum discernere cupies quis animus philosophis sit, quis non, statim à teneris annis id obseruabis, nūquid iustus & mitis, an iniquus & agrestis. Maxime. Neque hoc vt arbitror, prætermittes. Quidnam? Vtrum ad percipiendum velox an tardus, Num censes quempiam illud vnquam diligere quod cum aggreditur summa cum difficultate agit & vix tandem parum quid proficit? Nunquam profecto. Quid si nihil seruet eorum quæ discit, obliuiscaturque omnium, nonne erit scientia vacuus? Vacuus. Cum vero irritus illi labor omnis suscipiatur, an non cogetur tandem se ipsum & actionem talem odisse? Nihil prohibet. Obliuiosum igitur animum legitimorum philosophorum ingenii conuenire nequam existimemus, sed admodum memorem. Ita prorsus. Veritatem verò an cum imperie & immoderatione congruere putas an cum temperie potius? Cum temperie. Ergo compositam & gratam præter cetera cogitationem huic ingenio tribuamus quod suapte natura propensum esse volumus, ad ideam cuiusque quod verè est, inspiciendam. Nempe? An non tibi videtur singula percussisse quæ necesse est continuata serie sibi inuicem succedentia ei animo cōpetere qui veritatè rerum perfectè sit consequuturus? Ita prorsus. Non potes igitur quoquo modo studium id damnare, quod nullus sufficienter ex quo potest nisi natura sit perspicax, memor, magnificus, graciosus, amicus familiarisque veritatis, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Similis locus est apud eundem ad finem lib. 7. de Rep. vbi agit de dialectico.

10 Non solum neglecta hæc naturæ dotes multorum malorum causæ sunt: sed multo magis quâdo qui his sunt præditi, eisdem aburuntur & ad deteriorè partem animum applicant. Nam, vt Plato ait 7. de Rep. qui malus est sapiens habetur, eò plura peragit mala, quo acutius videt. Contra vero exile ingenium, vt idè ait lib. 6. nunquam quicquam magnum & memorabile potuit efficere. Et si memoria repetimus magnas clades quæ nobilibus Rebusq. acciderunt ab iis certè sunt profectæ qui magno ingenio & iis naturæ dotibus instructi, erant præditi: præferim qui ad hæc magna naturæ ornamenta literarum etiam cognitionem adiecerant. Quare Athenis crudelius dicuntur imperasse qui sapientes nominabantur quam qui literarum omnino ignari. Nam vt homo, finem suæ perfectionis affecturus (inquit Arist. cap. 1. lib. 1. Polit.) animal est omnium optimum, ita quoque à lege seductus & à iudicio, ceterorum omnium est pessimum. Nihil enim immitius atque seuius quàm quæ tenet arma iniustitia. Homo autem innata prudentia atque virtute armatus est, quæ nullo negotio in vsu cōrarios vertuntur. Quapropter homine qui virtute careat, nihil est nefarium magis & immane.

11 Animi, inquit Cicero lib. 5. de Finibus, & eius partis quæ princeps est, quæque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: vnum earum quæ



ALCINOI INSTITVTIO AD

9
ingeneratur suapte natura, appellanturque non voluntariae: alterum earum quae in voluntate posita, magis proprio nomine appellari solent, quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est, docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur uno ingenij nomine, easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem & reliquas eiusdem generis. Ex hac vero vocabuli virtutis multiplici significatione, quam iterum reperit Alcinous cap. 22. lib. huius profecta sunt varia Stoicorum paradoxa. Et secundum eandem ab ipso Arist. dictum ad finem lib. 2. Top. homines quadam ex parte natura bonos esse, ut liberales & temperatos: omnino autem & absolute, minime. Quanquam hic cap. 1. lib. 2. Ethic. Spectato solo posteriore virtutis genere, quod aut doctrina, aut agendi consuetudine comparatur, contra Platonem concludit, illam neque natura neque praeter naturam nobis inesse: sed comparari a nobis natura tantummodo aptis ad easdem suscipiendas.

Duas esse vitae humanae partes & in utrisque quomodo Philosophum versari oporteat: quidque eundem contemplationi, quid actioni tribuere.

Cap. 2.

1 Cum vero duplex vita sit, una in contemplando, altera in agendo: contemplantis quod potissimum est, id in veritatis cognitione consistit: alterius autem, in actione eorum quae recta ratio praescribit. Honore digna prior vita est, eius affecta & necessaria, altera. Id vero ita esse ex iis intelligitur.
2 Contemplatio est functio intellectus ea quae intelligibilia sunt, intelligetis. Actio autem, animi ratiocinantis functio, corporis ministerio indigens. Animus namque ipsum diuinum huiusque notiones contemplans, bene affici dicitur. Atque haec eius affectio, sapientia est nuncupata. Quam quidem nihil aliud quam cum ipso diuino similitudinem recte dixeris. Quamobrem illa est primaria ac veneranda & maxime omnium expetenda hominique propria, non impedita, atque eadem finis nobis propositi causa. At actio & ad agendum vis, quoniam corporis seruitio vtuntur, eiusdem inco-

modis

modis praepediri tardarique possunt. Philosophus tamen postulantis temporibus aget & quae contemplando quiete meditatus est, ea ad hominum mores vsuque transferet.
4 Ad rempublicam enim veniet cum illam ab aliis male regisenserit: adiuncta haec existimans, exercitum ducere, iudicia exercere, legationes obire. Praecipua vero & inter ea quae ad actionem pertinent, maxima, leges ferre ciuitati: aliis vitae ordinem praescribere, in seditione atque iuuenili disciplina. Ex quibus intelligitur non decere philosophum a contemplatione deficere, sed eam semper fouere atque augere. Ad actionem tamen, ut pote quae illi subseruit, nonnunquam accedere.

Carpentarij Commentarius in Cap. 2.

1 Quae dicuntur hoc capite de comparatione vitae in contemplando posita cum actiua, maxime his possunt illustrari quae a Plotino traduntur libro, de natura & contemplatione & vno. Vbi conatur primum efficere omnia in ipsa natura contemplationem quodammodo appetere. Quoniam ipsi naturae in procreando, reorum seminariae rationes propositae sunt, in quas eadem quasi defixa, semper agendo aspirat. Deinde ostendit etiam actionem omnem ad contemplationem quodammodo referri. Hanc vero ab ipsa natura se attollere ad animum, ab hoc in mentem: semperque gradibus ascendere donec contemplanis cum primo intelligibili ipsa contemplatione quodammodo vniatur, non solum, ut idem ait cap. 7. per acquisitam familiaritatem, sed potius per essentiam. Quo quid maius ad vitae contemplationem commendationem afferri potest? Id vero est quod hoc capite Alcinous voluit significare cum dixit Animum *70 deo* id est, ut interpretor, ipsum diuinum (quod eidem Plotino est ipsum vnum) huiusque notiones (quae singulorum ideae sunt & rationes seminariae) contemplantem, bene affici, atque haec eius affectionem, sapientiam nominari. Quoniam animi ad veritatis cognitionem nobis dati, proprium summumque contemplationis obiectum, deus est: in cuius fruitione summa consistit sapientia: ad quam via paratur per ideas quae in eodem deo tanquam in fonte, vel potius in immenso mari sunt vnita. Quare quemadmodum oculus noster ad Solem, ut ad primum aspectabile propriumque obiectum, bene afficitur, & tamen circa eundem nimio splendore impeditur, nec hunc huiusque radios aperte potest intueri eiusmodi imbecillitate ex oculo non ex ipso sole enata: sic noster intellectus se habet ad ipsum diuinum, natura quidem clarissimum, sed cuius splendorem capere non potest propter eam imbecillitatem quae in hunc ex corporis contigione redundat. Idque est quod Arist. significare voluit cum dixit lib. 1. Metaph. minore, intellectum nostrum ad ea quae sunt in natura clarissima se habere, sicut

F



oculum noctuæ ad ipsum solem. Atque vt in eadem similitudine permaneam, quemadmodum oculus ad intuendum primum aspectabile sibi vmbra quærît, sic noster intellectus ad cognitionem dei & idearum quæ sunt in eodem confu- gere solet ad res effectas, quæ dei idearumq; vmbra sunt & imagines, in quibus il- le clarissime relucet. Sic enim dictum est à Mercurio Trismegisto deo in sua essen- tia nihil esse nobis obsecius, eodem in rebus effectis nihil clarius. De quo pos- tea pluribus capite de deo.

Lumen animi mens est, eius autem propria actio, veritatis contemplatio. Cui humana ratio subseruit discursu quodam veritatem inquirens & huic imagina- tio, cum rerum singularum quæ sensibus sunt obiecta, imagines percipit. Mentis contemplationem sapientia perficit, sicut rationis discursum scientia atque pru- dentia, illa quidem in iis quæ natura continetur: hæc in aliis quæ ad mores per- tinent. Quare quanto sapientia perfectior est scientia atque prudentia, tanto re- cta contemplatio actione præstantior. Quanto oculus præstat manibus inquit Ficinus in 1. de Rep. caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ diriguntur ad finem, status morui, æternitas temporis: tanto contemplatiua vita actiua præstare videretur. Contemplatio enim actionis est principium & fi- nis ducitque illam pro arbitrio & sistit, iubens denique inferiores motus exter- namque desinere actionem, vt intrinseca stabilisque actio liberior tandem possi- deatur. Sic vtrique ab ipsa contemplatione dei, cælestes naturalisque motus & actiones omnes tanquam à principio ducuntur & reducuntur ad finem. Et certè in fruitione huius diuinæ sapientiæ per postremum Philosophicæ contemplatio- nis gradum, humanæ felicitatis summa consistit quæ in actione quantumvis perfecta, non potest reperiri. Itaque philosophia non agendo, sed contèplando, sapientiã gi- gnit: sapientia verò felicitatem. Quoniã per illam id cõsequimur vt etiã ea quæ vulgo putantur mala nobis bono sint. Fœlix porro est, cui bene omnia succedunt Soli autem ei bene omnia succedunt, qui omnibus bene vitur. Solus verò om- nibus bene vitur qui & se ipsum & alia omnia ex sapientia perfectè cognouit, quique omnium vsum ex sapientiæ regula optimè potest temperare. Idque est quod à poetâ dictum, cætera omnia ab his quæ in animo posita sunt talia esse qualis animus eius qui illa possidet. Hinc Stoicorũ paradoxa quæ Cicero pluri- bus explicat lib. 3. de finibus, Solum sapientem liberum esse, diuitem, Regem, Dictatorem. Quæq; sequutus Horatius Epistola prima.

*Sapiens, inquit, vno minor est Ioue, diuus
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.*

In quo veterum philosophorum exemplis abundamus, qui hac contemplatio- ne delectati regum omnium potentiam contempserunt: & in eadem maximè so- lida voluptate perfuentes ceteras omnes quæ ad corpus pertinent, constantissi- mè contempserunt. Quoniam hæc in turbulentis motionibus consistunt ideòque contrariis doloribus facilè inter turbantur. Hinc Platonicæ fabula initio Phædo- nis, deum scilicet cum voluptatem & dolorem inter se pugnantia vellet conci- liare neque id facere posset, in vnum saltem eorum apices coniunxisse: propte- rea que cui adest horum vnum eidem mox quoque alterum adesse. At ea quæ a- nimi est quæque contemplatione alitur in summa animi quiete vel potius in hu- mus immobilitate quadam consistit. Scitum enim est quod scribit Gregorius Nyl- senus cap. 11. lib. 4. de homine, non omnem actum motum esse, sed quandam per immobilitatem existere: secundum quem deus primus agit. Quod enim, inquit,

primum mouet immobile est. Talis autem existit in hominibus contemplandi actus. Per immobilitatem enim semper innascitur: quippe contemplans vnum & idem iugiter perseverat, & mens contemplantis stat circa vnum & idem sem- per consistens. Ideòque contemplationis voluptas quæ maxima est, & primaria & vera, per immobilitatem fit. De contemplatione & voluptate similis est Ari- stotelis sententia lib. 10. Ethic. Vbi ostendit summam hominis felicitatem sta- tuendam in excellentissimo munere partis eius animi quæ in eodem præstantis- sima est maximæque diuina. Mente autem in animo humano nihil esse præstan- tius, nihil diuinus: huiusque maximè propriam functionem in contemplatione consistere atque omnium functionum quæ virtuti congruant, eam, vno omnium consensu iucundissimam esse quæ manat ex sapientia. Addit etiã functiones vir- tutum earum quæ morales quæque politica nominantur, quodammodo esse ne- gatorias, perturbationibus inuolutas & in eo positas quod ex animo & corpore est concretum. Contemplationem autem mentis esse deum in vita hac imitan- tis & summa tranquillitate fruētis. Quare philosophorum vitam quæ in con- templando transigitur omnium maximè esse diuinam Plato scribit in Philebo. Et quanquam lib. 5. de repub. beatas respub. prædicat, quas regunt philosophi aut quarum rectores philosophantur: illos tamen in melioribus rebus occupatos, non vult ad eas accedere lib. 7. nisi temporum necessitate coactos. In quo quia possent meliore, de ea re questionem quàm Glauco offert ita explicat. Oblitus sit beatum, sed vt tota ciuitas. Profectò ad hoc ciues ipsos persuasione & impul- sione conciliat facitque vt mutuo sese adiuent communemque pro viribus vri- litatem colant. Nempe lex ciuili coetu homines congregat, non vt permittat v- numquemque quo lubet ferri, sed vt ipsis ad copulam ciuitatis vtatur. Vera lo- queris. Id me fugerat. Considera itaque Glauco, quemadmodum Philosophos qui apud nos reperiuntur, nulla iniuria afficiemus. Sed cum cogemus eos alio- rum curam gerere, iure in hunc modum dicemus: quod videlicet quicumque in aliis ciuitatibus philosophi reperiuntur, ob hanc causam merito administrandæ Repub. labores refugiant: quia in qualibet ciuitate ipsi per se nascuntur, repub. nõ curante. Par autè est vt quod per se nascitur, cum nulli pro alimentis acceptis sit obnoxium, nulli exhibeat nutrimentum mercedè. Nos autè vos tam vobismet quam reliquis ciuibus tanquam in apum examine duces, ac reges creamus, melius per- fectiusque quàm ceteri, eruditos aptioresque ad vtrâque curam suscipiendam. Descendere ergo vicissim debetis singuli in aliorum hominum cæterum & ad ob- scura inspicienda assueferi. Nam cum assuefacti fueritis, multo acutius illa cer- neris quàm qui in eis quotidie obuerfantur: & quælibet simulachra quæ & quorum sint cognoscetis: vt qui reuera noueritis quæ honesta, iusta, bonâque sint. Atque ita ciuitas nobis vnâ ac vobis quasi vigilatibus rectæq; sentientibus, coletur: non tã- quam somniantibus, quemadmodum nunc plurimæ habitantur, ab his videlicet qui de vmbis decertant deque principatu tanquam maximo bono contendunt. Nec verò Aristotelis de hac duplicis vitæ comparatione, dissimilis est sententia. Si quidem cap. 2. lib. 1. Polit. scribit hominem natum esse ad inuendam societa- tem eumque qui hanc fugiat, si id facit hominum odio, deteriorem esse quouis homine; si verò ad contemplationem se referat, eodem longè præstantiorem. Et vt paulò ante significatum est cap. 8. lib. 10. Ethic. concludit completam vndique & absolutam hominis beatitudinem versari in actione cognitionis & contem- plationis, per quam ille quoad potest, deo similis efficitur: non autem per eas



ALCINOI INSTITVTIO AD

virtutes quæ morum appellantur. Quoniam hæc dei maiestate, vt ait, sunt indignæ. Vtramque Platonis sententiam improbavit Cicero Officiorum. 1. Nam de comparatione contemplationis cum actione ita scribit. Multi sunt & fuerunt qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se remouerunt, ad otiumque profugerunt. In iis & nobilissimi philosophi longæque principes & quidam homines seueri & graues, qui nec populi, nec principum mores ferre potuerunt. Et paulò post. Facilius quidem & tutius, inquit, & minus aliis grauis aut molesta est otiosorum vita. Fructuosior autem hominum generi & ad claritatem amplitudinemque aptior, eorum qui se ad Rempub. & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Quapropter & iis forsitan concedendum sit temp. non capessentibus, qui excellenti doctrinæ se dederunt: & iis qui aut valitudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore causa impediti, à Republ. recesserunt: cum eius administrandæ potestatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despiciere se dicant, quæ plerique admirantur, imperia & magistratus: his non modo non laudi, sed etiam vitio dandum puto. In posteriore autem quòd Plato vult à Philosophis necessitatem expectari, id eodem loco ita exagitat. Philosophos, inquit, ad Rempub. accessuros Plato non putat nisi coactos. Aequius autem erat id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est quòd rectè sit, si est voluntarium. Sed in priore, Cicero viro politico liceat ciuiles vndas admirari & tranquillè philosophorum contemplationi antepone. Quàmquam illis iactatus & in exilium actus, meliorem alteram vitæ partem sentisse videtur: cum, vt Plutarchus scribit, Græcos rogabat vt philosophus, nō orator vocaretur. In posteriore autem eam necessitatem quam philosophis expectandam Plato ait, non satis candidè interpretatur. Quoniam hæc Platoni temporum & calamitatum publicarum vrgentium necessitas est: in qua philosophus de imperando certare debet: qui antea in rebus secundis & tranquillis, certabat de non imperando, vt liberius in contēplatione possit versari. Quare Socrates in Theeteto, philosophos qui nunquam ad Rempub. venire volunt, vt sapientiæ studio abutentes, ita exagitat. Illi, inquit, ab ineunte ætate primum quidē viam in forum ignorant: neque iudicium, aut consilium, aut concilium ciuitatis aliud vbi sit, norunt. Leges autem decretæque, vel promulgata, vel scripta nec vident, nec audiunt. Factiones sodalitarum quæ ad magistratus creādos spectant, & congressus & cœnas, & lasciuiora conuiuia, ne somniant quidem. Iam bene ne an malè vobis olim habuerit, aut quod, cui malum turpisue nota à maioribus suis seu viris seu fœminis sit, magis eos latet, quam maris, vt dici solet, arenæ. Atque hæc omnia sed reuera duntaxat corpus illius in vrbe habitat atque versatur: mens autem hæc omnia parui, imo nullius æstimans, passim volat, vt ait Pindarus, & quæ sub terra sunt & quæ supra dimetiens & arte transcendens, omnem perscrutata naturam rerum omnium quæ ad vniuersum pertinent: iis autem quæ propè sunt, nullo modo se applicans. THEOD. Quo pacto id ais ò Socrates? SOC. Quemadmodum Thaletem dum cœlū suspiceret intentus syderibus, in foueam cadentem Thracensis quædam eius ancilla facere nimium carpsit: quòd quæ in cælo sunt peruidere contenderet, quæ autem proxima & ante pedes erant, non videret. Quòd verò longè aliter quam Cicero arbitratus, philosophos ad Rempubl. cogi velit, intelligi potest ex epistola ad Architam Tarentinum. Illud quoque te considerare oportet, inquit, nullum nostrum sibi soli natum esse: sed ortus nostri partem sibi patriam vindicare: partem parentes: partem amicos.

DOCTRINAM PLAT.

14

Multa insuper pro temporum diuersitate nobis accidere, quibus nostra vita occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad Rempub. gubernandam, absurdum forsitan esset non parere: præsertim cum simul accidat vt aditus prauis hominibus relinquatur, qui nulla eius quod optimum est ratione, profisciscuntur ad publica. Scitum est quod de hac cōparatione scribit Theophrastus, quemadmodum ferui fideles omni studio rem domesticam curant, vt heri dent operam liberioribus ministeriis: sic prudentia quæ in agendo consistit, cura esse debere vt sapientia sine impedimento circa ipsum intelligibile veritatēque versetur.

3 Animus qui iam antea purgatus est (neque enim nisi antegressa purgatione perfectæ cōtemplationis locus est) per hanc cum in Deum erigitur, bene affici dicitur: quia suo principio simillimus efficitur & quanquam adhuc est in corpore, solutus tamen videtur eius vinculis: cum per illam se quoad potest, à corpore auocat, nec amplius huius ministerio vititur: etiam si initio notiones primas efformaret ex visis, quæ rerum sensibus perceptarum sunt quædam simulachra. In quo circa quæstionē de animi immortalitate Peripatetici hæere videntur. Nam si in illo quasi in tabula nuda (sic enim Aristoteles appellat ca. 4. lib. 3. de animo) primam notionum efformationem spectes, quid est quod nō videatur cum corpore esse coniunctum, atque eiusmodi vt ab eo separari non possit? At quia hoc principio, quod à corpore profectum est, animus excitatus, mentis lumine, maioribus sensu percipere vnquam potuit: hoc non incertam spem affert immortalitatis. Præsertim cum eiusmodi studium in natura prouida vanum esse non possit (nisi fateri volumus hominem perpetuo isto conatu eodēque vano, omnium animalium esse infertissimum): neque vero in vita hac expleri. Quare reliquum est vt eius quasi rudimēto nunc fruamur: quod eo erit perfectius quo animū melius afficiet, id est quo magis hunc à corpore contingeret auocari, & ad proprium obiectum, primum scilicet intelligibile, reuocari, & ad proprium vitæ postea exactius inquiretur, cum horum sententiæ in quæstione de animi immortalitate inter se conferentur.

4 Locus hic deprauatus esse videtur in contextu græco: sed quantum cōiectura possumus assequi, eorum quæ pertinet ad reipub. administrationem duas partes facit, vnā potiorem in legibus ferendis, & constituendo ciuitatis statu: alteram adiunctam vel auxiliariam, in iis tenendis quæ legibus præscripta sunt: & in aliis ad eorum obseruationem domi militiæque per iudiciorum seueritatem cogendis. In priore obseruationem domi militiæque per iudiciorum seueritatem: vt scilicet ad illos pertineat cura eorum quos Cicero lib. 3. de Leg. scribit à græcis Nomophylacas appellari, vel quos ex sequentibus Nomothetas possumus dicere. Nonnunquam tamen eosdem, cum necessitas postulat, etiam ad illa adiuncta vel auxiliaria se demittere. Sic enim ipse Plato in philosophico otio ciuitatis statum constituēbat, quando libris de Repub. iusti ideam pro regula omnibus proponebat: aut cum libris de legibus ad humana se demittens, ex variarum illam speciem non possent assequi. Idem dici potest de scopo Aristotelis in Politicis.



15 ALCINOI INSTITVTIO AD
Philosophia in partes tres distribuitur, quarum communis est apud
omnes distinctio: deinde hæ singulae in alias subdividuntur.
Vt his omnibus ex Platonis doctrina describen-
dis, hæc institutio accommodetur.

Cap. 3.

1 Philosophi autem studium, ut Plato voluit, in tribus
versari videtur. In eorum quæ sunt contemplatione & co-
gnitione: in actione honestorum: in rationis & orationis cõ-
sideratione. Diciturque eorum quæ sunt cognitio, contem-
platiua: aliorum quæ ad actionem pertinet, actiua: quæ cir-
ca rationem cum oratione coniunctam versatur, 2 Dialecti-
ca. Atque hæc distribuitur in diuidendi vim, & definiendi, in-
ducendi & ratiocinandi. 3 Rursumque postrema, 4 in Apo-
dicticam (quæ circa necessariam ratiocinationem versatur)
Epicherematicam (quæ Enthimemate continetur: hoc autem
ratiocinatio est imperfecta) 5 ac denique in Sophismata. Quæ
quanquam philosopho non sint eligenda, sunt tamen neces-
saria. 6 Porro altera pars quæ ad actionem refertur, partim
ad mores pertinet, partim ad præfecturam familiae, partim
ad ciuitatem & huius salutem. In quibus ea quæ prima est,
moralis dicitur: secunda, domestica: tertia ciuili. 7 In contem-
platiua autem quod causas immobiles primasque & quæ-
cunq; diuina sunt, inuestigat, id Theologiæ tribuitur. Quod
verò astrorum motus conuersiones rerumque omnium resti-
tutionem in integrum, atque ipsius uniuersi coagmentatio-
nem inquirat, hoc naturalis est scientiæ. Mathematicarum au-
tem artium, ea omnia quæ ad Geometriam reliquasque dis-
ciplinas pertinent. Atque cum philosophiæ distributio sit
eiusmodi, in ea de Dialectica primo loco dicendum, quid de

illa Plato sentiat imprimisque de eo quod Criterium, sive in-
dicatorium.

Iacobi Carpentarij Commentarius in
idem cap. 3.

1 Antiquissima est philosophiæ distributio in partes tres, quæ eadem apud Ci-
ceronem Academica 1 & lib. 1. de Oratore: sed suis partibus paulo contractior, in
naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores. Hic verò
quanquam eodem partium numero absoluta, in his tamen longè est generalior.
Nam ad cognitionem veritatis, quæ prima parti proposita, non modo ea hoc
loco referuntur quæ in explicanda naturæ obscuritate sunt posita (qualia sunt quæ
ad physiologiam pertinent) sed metaphisica & omnes artes quæ mathematicæ
appellantur. Vt cum formarum tria genera sint, sicut Arist. tradit cap. 2. lib. 2. phy-
sic. vnum earum quæ cum materia necessario sunt coniunctæ, alterum earum quæ
omnino ab illa separata, tertium mediarum quæ re ipsa cum materia coniun-
ctæ, ab illa ratione & cogitatione abstrahuntur, in harum omnium contem-
platione philosophus versetur, & à physicis ad metaphisicas aspiret per medias ma-
themáticas: in quarum abstractionibus idcirco Plato suos volebat exerceri. In ter-
tiâ in huius loci interpretatione Marsilius Ficinus & Logodadalus noster sunt
sequuti: sed eius cum interiore ratione certa coniunctio. Vt ea complectamur nõ
modo Dialecticam disciplinam, id est ut Cicero ait Academica 1. artem oratio-
nis ratione conclusa: sed & huic ex altera parte respondentem Oratoriam, quæ
explicatio est orationis perpetuæ, ad persuadendum accommodata. Sic enim
postea Alcinous cap. 5. Dialecticis quædam adiungit quæ ad oratoris informa-
tionem pertinent. Zeno Citieus à quo disciplina Stoicorum est profecta, cum vni-
uersam philosophiam cuidam animali similem faceret, dicere solebat in ea lo-
quacitatem & nervis, carni ethicen, animo physicen respondere. In illa verò
diuisione quæ à fine ducta, omnium consensu probata est, quod exagitat Thes-
salus lib. 6. Scholarum Metaphisic. non satis dignum est in quo refellendo labore-
tur. Differentia artium cõtemplatiuarum & actiuarum, vel effectiuarum, inquit,
leuicula est & inanis. Omnis ars præceptis constat, quorum est contemplatio &
scientia: sed præterea est *πράξις* & vsus: ut etiã in theologia, nõ hac sophistica, sed
maxima videtur actio. Atqui distinctionem eandem Aristoteles sequutus est in di-
uisione quæstionum Dialecticarum lib. 1. Top. & ridiculum est in hac effectio-
nem actionem confundere: nec scire verò quo modo contemplatio nonnunquam à
actio quædam esse dicatur, & ipsi actioni aliquando ex altera parte opponatur:
quod in primis philosophiæ elementis nostri discere solent.

2 Marsilius Ficinus argumento in Euthydemum, obseruat Logicæ apud Pla-
tonem significare tolere, artem regulas nominum, orationum, argumentatio-
numque dispositionem: Dialecticam verò sagacitatem philosophi regulis his
vtentis, ad rationes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim, à quibus rerum
quoque sequentium summæ rationes accipiuntur. Ideoque Dialecticam apud
illum plerumque pro Theologia vsuipari. Idem lib. 4. Epistolarum, Dialecticam,



ALCINOI INSTITVTIO AD

inquit, non tantum logicā illam Plato esse vult quæ primas & minutissimas ratiocinationum regulas docet: sed profundum expeditæ mentis artificium, ad ipsam veram meramque rei cuiusque substantiam, physicis primo, deinde metaphysicis comprehendendam. Vt & ratio de quolibet reddi possit & denique supra sensum corporumque naturam, entis lumen percipiatur, atque incorporea rerum species, quas ideas vocamus, intelligantur. Ex quibus ipsum vnum specierum omnium fons, mentium & animorum origo ac lumen, principium & finis omnium (quod ipsum bonum Plato vocat) inspiciatur. Huic similis est Plotini sententia cap. 4. lib. de triplici ascensu ad mundum intelligibilem. *Quænam est, inquit, Dialectica quam oporteat etiam prioribus adhibere? Est vtrique habitus qui ratione de vnoquoque potest dicere, quid sit vnumquodque & quo ab aliis differat, quòve conueniat. Præterea quomodo, vel vbi sit quodlibet, & si est, quid est: atque entia quot sint, & non entia rursus, sed ab entibus alia. Eadem hæc & de ipso bono disputat, & de non bono, & de iis quæcunque sub bono & quæ sub boni contrario. Itemque quid sempiternum, quid ve non semper. De omnibus, inquam, non opinione, sed scientia tractans, ab errore qui circa sensibile accidit, vacans, intelligibili prorsus adheret, circaque ipsum diligenter agit, falso posthabito, animam nutrens in ipso veritatis campo. Quæ significatione & loquendi consuetudine Platonica, dialecticæ nomine postea vretur Alcinoi cap. 6. vbi hanc disciplinam omnibus superioriorem facit & circa diuina constantiaque versari ait. Hic vero eam significari intelligamus quæ de differendo præcepta tradit: quibus ad ceteras artes viam parat: quæque a Metaphysica, vel à prima sapientia tanto distat, quanto communis artium ministra, ab ea quæ domina est & architectonica. Quæ duo in hoc nomine confundens Thessalus methodicus lib. 9. suarum Animaduersionum, ridicula apodixi, dialecticæ ministræ & instrumenta tantum supeditantis ab omnium rerum tractationem, id tribuit quod proprium est primæ sapientiæ: quæ certè non illa differendi instrumenta debet explicare, sed his accuratè vti ad omnium quæ sunt, hoc ipso quod sunt, perfectam cognitionem. Illius verò apodixin, scilicet, audiamus. Doctrina, inquit, quæ suis decretis causas, accidentia, oppositiones, comparationes, diuisiones, definitiones, tractandum & explicandum, tractat & explicat, est omnium doctrinarum domina. At logica communem illam & vniuersalem doctrinam documentis & inuentionis Topicæ, & dispositionis Analyticæ instruit. Logica est igitur omnium artium domina. Hic, vt arbitror, quia in eiusmodi logico artificio omni-clusione persuadere conatur, se in artibus omnibus summum principatum esse adeptum. Thessalico fastu dignum profecto aucupium. Quamquam etiam apud Platonicos, si quis præceptis ad dialecticam ceterarum artium ministræ pertinentibus, in omni rerum genere promptè vtratur, illorumque observationibus deducere possit animû per umbras non simulachrorum, vt ait Plato 7. de Repub. sed eorum potius quæ vere sunt, atque hunc tandem erigat in contemplationem eius quod in ordine rerum est optimum, is iam euaudet in alterum, quem primum philosophum diximus appellari. Plato in Cratyllo, cum nomina rebus rectè imponere eius esse dixit, qui apte potest interrogare & respondere, hanc curam ait ad dialecticum pertinere. Et in Phædro, postquam exposuit duas artes, vnam componendi, alteram diuidendi, Huiusmodi ego diuisiones collectionesque, inquit Socrates, amo: quo intelligendi*

& lo-

DOCTRINAM PLAT.

18

& loquedi sim compos. Ac si quem alium, vnum & multa pro rerum natura perspicere posse arbitror, eius ego vestigia velut cuiusdam numinis sequor. Atque eos qui id facere possunt, rectè ne an contrà cognominem, Deus ipse uouit, uoco autem hætenus Dialecticos. Et in Sophista, Per genera diuidere, inquit, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse, nonne Dialecticæ officium esse dicemus? THE. Dicemus profecto. Quo verò modo Dialectici appellatione Aristoteles vti soleat, & hunc vt populare artificem, à philosopho, huiusque artem Topicam, quæ est locorum communium, ad probabiliter differendum, ab Analytica distinguar, à nobis dictum est in Animaduersionibus Dialecticis contra Thessalum, & in præfatione Logici Organi. Sed quia nonnulli in quæstione hac à nobis dissentiant, & locis aliquot ex eodem Arist. differendi artificium sub se complecti, eaque præcepta quæ philosophorum pro ad Dialecticam, de hoc paulo pluribus nunc nobis est agendum. Iam verò locis aliis videmur effecisse, & contra Thessalum nostris persuasisse (quod paulò post repetetur) ex naturali rationis usu, in vniuerso ratiocinandi siue differendi artificio duas partes, vt nouas duas artes, ab Arist. rectè esse positas atque distinctas, ratiocinandi veritatis æstimatorem & iudicem, per proprias rerum causas: illa, popularem veritatem disputando in partes contrarias ex communibus, id est ex iis quæ sunt in quaque re maximè probabilibus. Atque quod popularem hunc artificem Dialecticum ab Arist. nominari diximus, & dialecticam facultatem eam quæ ex probabilibus, hoc quidem illi valdè frequens esse & familiare, concedunt: At hoc solum reprehendunt, quod quodam loco à nobis scriptum est, semper apud hunc nomen hoc probabiliter esse additum, nunquã verò vniuersum differendi artificium significare: aut eam partem in se continere, quæ de definiendo & demonstrando præcepta continet. Contra enim profertur locus duos: vnum ex primo Rhetoricorum, alterum ex cap. 4. lib. 13. Metaph. in quibus illi Thessali plumas, aut nescio cuius Simonis Simonij, in disputatione contra Schegkium, pro suis venditant. Commoueret verò multo magis (quem libro de Interpretatione, & lib. 3. Top. negat querere quid res sit) iram & vnumquodque ceterorum similitum, definiturum. Dialecticus enim, inquit, sanguinis in corde: quorum hic materiam, ille formam atque rationem explicat. Quamquam & hoc ipso loco, populares definitiones & minus accuratas, (qualis illa est ira quæ à fine, formæ rationem habente, ducitur) Dialecticas nominauit. Sed ad illos duos locos veniamus. Prior est apud Arist. cap. 1. lib. 1. Rhetoricorum ad Theodecten, vbi scribit Dialecticæ esse vel vniuersæ, vel certè cuiusdam partitis, de quolibet syllogismo agere. In quo nihil aliud significat quam partem artis Analyticæ priorem, ad perfectionem futuri Dialectici ex probabilibus disputantis, esse necessariam. Quia illa huic supeditat instrumenta ad disputandum necessaria: ratiocinationem scilicet & inductionem, quorum forma ex ea hauienda est, materia verò & quasi sylua argumentorum probabilium, ex arte Topicæ. Ideòque à nobis in præfatione Logici Organi quæsitum est, cur hæc artis Analyticæ pars prior, quæ communia præcepta continet de ratiocinationis & argumentationis formis, arti demonstrandi potius quam Topicæ ab Arist. esset annexa, & vno opere comprehensa. Et Arist. ipse lib. 1. Top. cap. 1. & cap. 10.

G



ALCINOI INSTITVTIO AD

postquam ratiocinationem definiuit, eamque in suas species diduxit, & ab inductione separauit, ad horum omnium pleniorum cognitionem nos reuocat ad Analytica. Ergo hoc loco non significatur ab Arist. vniuersum differendi artificium (quod etiam demonstrandi rationem complectitur) Dialecticam appellatione contineri: sed ipsam Dialecticam, qua eodem loco usurpat semper pro facultate differendi ex probabilibus, indigere antecedente cognitione formarum omnium argumentandi, qua in hac ipsa Dialectica, vel in arte Topica Dialecticam facultatem instruente, tradenda esset nisi commodè posset repeti: ex arte demonstrandi, cui certis de causis potius est annexa: id est ex prioris parte artis dicitur. At fortasse illis, in loco altero, qui citatur ex cap. 4. lib. 13. Metaph. plus erit virium, ad id quod defendimus, euertendum. Imo verò nullus locus eo est aptior ad efficiendum quod volumus, Dialecticam nomen semper ab Arist. usurpari pro facultate populariter differendi de omni quaestione proposita ex probabilibus, qua arte Topica instruitur. Quod ut ab omnibus intelligatur, locum illum accurate expendamus. Rectè Socrates (inquit Arist.) ipsum quid est, quaerebat: Ratiocinari enim volebat. Ratiocinationum verò principium, ipsum quid est. Nondum enim tunc erat facultas Dialectica, ut posset absque ipso quid est contraria exquirere, & vtrum contrariorum eadem esset scientia. Vbi Arist. significat primum Socratem de iis, qua ad vitam & mores pertinebant, ratiocinari conantem, in iis vniuersa quaedam notauisse qua definitionibus explicarentur: quarum assignandarum ratio ante huius tempora erat incognita: sicut notari potest in variis Platonis Dialogis, in quibus hic cum Sophistis loquens inducitur. Ratio verò propter quam Socrates in iis definitionibus primus elaborauit, haec redditur. Quia volebat ratiocinari. Et cum nunc duo modi sint ratiocinandi, vnus apodicticus, per proprias rerum causas, qua definitione continentur, alter Dialecticus, per communia & probabilia in partes contrarias, tunc nondum erat Dialectica: id est tempore Socratis, nulla adhuc ars erat probabiliter disputandi de quacunque quaestione in partes contrarias. Quare ei reliquum erat ut ratiocinando apodicticè philosophice, id est accuratè agere conareretur. At philosophicarum & apodicticarum ratiocinationum principium definitio. Itaque merito hic philosophando in eam curam potissimum iucumbebat, ut sermone omnem ad notiones vniuersas reuocaret, quas definitione explicare conareretur: & per hanc ranquam per causam, accuratè de rebus omnibus iudicare. Et certè verum est temporibus Socratis, nullam adhuc extitisse artem probabiter disputandi de quacunque quaestione, qua, apud Arist. sicut volumus, semper est Dialecticæ. Quoniam hanc se inuestigare ait initio Top. & eiusdem primum se obseruatorem prædicat, extrema pagina libri de redargutionibus Sophistarum. Si verò, ut isti volunt, eo loco Dialecticæ nomine quodcunque differendi artificium significaretur, falsò profectò diceretur temporibus Socratis nullam adhuc Dialecticam extitisse. Quoniam eius artificij inuentor Zeno Eleates à Platone variis Dialogis celebratur. Nec exquirere contraria in artificio differendi alterius facultatis est, quam eius, qua ad disputandum ex probabilibus est comparata. Sic enim ab Arist. scriptum est cap. 1. lib. 1. Rhetoricorum, aliarum artium nullam de contrariis ratiocinari, sed Dialecticam & Rhetoricam, id solas facere. Quoniam vtraque, inquit, de contrariis est: quamuis non similiter res subiecta se habeat, sed semper vera præstantiora que, secundum naturam melius syllogismo concludantur, aut, ut simpliciter dicam, credibilia sint. Alia quidem scientiæ contrariorum sunt, vnius ad electionem, siue pro scopo: alterius ad

DOCTRINAM PLAT.

20

fugam & de: linationem, ut philosophia moralis boni est, & mali, itémque medicina sanitatis & morbi, vel vnius per se: alterius, aduentitia quadam vi. At nulla scientia vtrunque contrarium, pro scopo habet propositum, aut tanquam finem exquiri: facultas verò differendi ex probabilibus, ad vtrumque horum comparata est, & plerumque præteritis definitionibus rerum earum, qua in quaestionem cadunt, ex communibus, contrarias partes ita disputat ut vtramque contrarietatis partem pro scopo pariter habere videatur. Sic enim interpretamur illud, contraria exquirere, vel ut Aristoteles loquitur *ταυτάρια ἰδιουνομένῃ*. Quare cum Socrates de iis qua ad vitam & mores pertinent ratiocinari vellet: nec posset ratiocinari ex communibus, quod apud Arist. est Dialecticè, Dialectica enim tunc nondum erat: id est nulla adhuc ars ex communibus differendi. Ei reliquum, ut confugeret ad propria. Quæ quia definitione continentur, quemadmodum ex arte demonstrandi didicimus, idcirco idem in iis, qua ad mores pertinebant prægermana esse videtur eius loci sententia. A qua profus alienum est quod isti definitionibus, qua artis est Analyticæ posterioris, ad Dialecticam pertinere. Quæ cum ita sint permance adhuc in prioris opinione, de nomine Dialecticæ semper apud Arist. probabilitati addidit: in eaque iis ipsis confirmor que Thesalus, cum suis nugiuendulis, in partem contrariam afferre solet: etiam si intelligam Platonicos & Stoicos eodem nomine aliter esse vsos.

3 Dialecticæ pro partibus subiicit varias rationes tractandi ea instrumenta, qua ad differendum adhibentur. De quibus duo ad simplices quaestiones pertinent, Definitio & Diuisio, reliqua ad coniunctas. Atque ut in simplicibus diuisio vnum in multa distribuit, definitio multa in vnum colligit: sic in coniunctis inductione à multis singulis, ad vniuersa componendo assurgit, ratiocinatio verò contra. Quomodo instrumenta hæc quatuor non solum in singulis tractandis valebunt, sed in perpetuitate argumenti, qua est methodi: respondebuntque duabus huius formis, quas sic commendat Socrates in Phædro. Si quis, inquit, duarum specierum in quas modo fortunâ incidimus, vim arte comprehendit, opus non ingratum fuerit consequutus, P H E. Quas species dicit? S O C. Ut in vnam ideam conspiciens, passim dispersa conducat: quo singula definiens manifestum reddat semper id de quo agitur. Quemadmodum nos in præsentia quid sit amor definimus, siue bene, siue male id factum sit. Certè hinc disputatio nostra claritatem in se habuit, constantemque sibi ipsi concordiam. P H E. Alteram veterem pro rerum natura incidat: neque imperiti coqui ritu, vlla membra confringat. Quibus hæc idem Socrates postea subiicit, Huiusmodi ego diuisiones collectionesque, inquit, ô Phædre, amo, quo & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quem alium, vnum & multa pro rerum natura perspicere posse arbitror, ego eius vestigia velut numinis cuiusdam sequor. Atque eos qui hoc facere possunt, rectè an contra cognominem, Deus ipse nouit. Voco autem hæcenus Dialecticos. Quod verò hoc loco Alcinoi ratiocinationis quatuor species facit Apodicticam, Epicherematicam, Enthimematicam & Sophisticam, id Platonice dici non potest, quasi vlllo loco à Platone in præceptis ista diuisio sit posita. Sed quia apud illum frequentia argumentationum exempla norari possunt qua ad harum quatuor formarum varietatem, sunt referenda. De quibus multa colligit Bessario Cardinalis cap. 5. lib. 1. contra Trapezuntium. Porro cum ab Arist. cap. 1. lib. 1. Top. & cap. 1. lib. 1. Analytic. priorum, diuiditur ratiocinatio in



Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, intelligendum est ab illo Dialecticam vocari, quam hoc loco Alcinoi Epicherematicam nominat. Et certè Arist. eodem modo cap. 4. lib. 8. Top. *φιλοσοφία* definit ratiocinationem demonstrantem: Epichereia verò ratiocinationem dialecticam, quæ eidem est ex probabilius. Quamquam veteres varia significatione Epichereia inter argumentationis species retulerunt: sicut docet Fabius cap. 10. lib. 5. Quod autem Enthimema hic imperfecta ratiocinatio dicitur, eademque Rhetorica appellatur, Aristotelicum etiam est. Si quidem hic lib. 2. Analytic. priorum, Enthimema definit ratiocinationem imperfectam ex verisimilibus, vel ex signis. Et cap. 1. lib. 1. Analyt. post. scribit apud Rhetores exempla pro inductionibus esse: sicut enthimemata pro plenis ratiocinationibus: & r. Rhetoricorum ad Theodestem, quemadmodum in Dialectica fides fit ratiocinatione & inductione: sic in Rhetorica enthimemate & exemplo fieri solere. De quibus omnibus quamquam sciam plerâque à Thessalo methodico, in Aristotele esse exagitata: ea tamen prætermittam hoc tempore. Quod ad eiusmodi nugarum examen, locus alius mihi sit destinatus, in Commentario nostræ descriptionis logica.

4 Apodixi siue demonstratione à causa ducta, animus confirmatur: Probabiliter verò ratiocinatione, per opinionem in contrarias partes iactatur. Quæ etiam si recta sit, adhuc tamen est infirma, & similis volitantibus statuis Dædali. Quod apud Platonem eleganter explicatur sub finem Menonis. Num igitur, inquit, Socrates, nihilominus recta opinio, quam scientia confert? M E. Hoc utique mihi confert, ô Socrates, quod quicumque scientiam habet, semper assequitur: qui verò rectam opinionem, interdum quidem consequitur, nonnunquam verò fallitur. S O C. Quid ais? Qui recta opinione incedit, nonne quandiu rectè opinatur, semper voti compos efficitur? M E. Necessarium apparet. Quamobrem miror quare cum ita sit, scientia tamen longè præstantior habeatur, quam recta opinio, & cur utraq; illarum aliud quidam sit, dubito. S O C. Nostin quam ob causam id mireris? An ipse vis tibi dicâ? M E. Dic prorsus. S O C. Quia statuas Dædali nunquâ considerasti, forte verò neque apud nos extant. M E. Quorsum hæc? S O C. Quoniam hæc nisi ligentur, discedunt atque aufugiunt: ligatæ permanent. M E. Quid tum? S O C. Ex eius operibus quod solum est, haud magni fit, instar fugitiui hominis. Neq; enim permanet. Ligatum verò, admiratione dignû, pulcherrima enim opera sunt. Cuius hæc gratia dico? Verarum opinionum gratia. Hæc quippe quousque stabiles perseverant, pulchra quædam opera sunt, omniaque bona perficiunt. Attamen diu consistere nolunt, sed ex hominis animo confectione à causis ducta liget. Qui Platonis locus, in distinctione artis demonstrandi, & probabiliter disputandi, apud Arist. diligenter est obseruandus.

5 Argumentationum fallaciarum apud Arist. cap. 1. lib. 1. Top. duo genera sunt: vnum earum quæ à communibus ducuntur, sed ab eo qui illis vitur, detortis in sententiam, à mente eius cû quo disputatio instituta est, alienam. Akerum in quo præterationem, & ab ipsa scientia alienam. Ut cum illud, Omnes lineæ ductæ à centro ad ambitum circuli, sunt æquales, tam rectis quam obliquis lineis accommodatur: aut cum ex eo quod omnium circulorum semicirculi pares inter se esse debent, concluditur duorum circulorum inæqualium semicirculos inter se pares esse oportere. Eas quæ prioris generis sunt Arist. in arte Topica, absolute Sophisticas & vocat, & dialecticis, quæ probabilibus constant, ex altera parte opponit: posteriores falsa descriptione niti ait, quod maximè contrariæ esse videantur

tur Geometrarum demonstrationibus, quas idem diagrammata, siue descriptiones solet appellare. Hic sophisticatis nomine vtrumque genus est complexus. Sic enim apud Platonem in Euthydemo, Sophismatum varia exempla ad illa duo genera pertinentia enumeratur. Quod autem ea philosopho necessaria esse ait, non ita accipiendum est, quasi hunc eis ex professo uti velit: sed ut ista in sermonibus aliorum qui veritatis cognitionem impediunt uti velit: sed ut ista in sermone ut à Sophista differat non decipiendi facultate, sed voluntate & electione: quod idem Arist. scribit lib. 1. Rhetoricorum ad Theodestem.

6 Philosophiæ moralis prima pars, singulorum mores cõponit atque exornat: ita virtutibus quas Platonicæ purgantes appellat. Quoniam per eas corporis cõtatione homo repurgatur: cum perturbationes quæ ex illa nascuntur, ad partis animi superioris regulam reuocantur. Per eandemque viri boni hoc consequuntur ut sibi imperent: cum Plato contra lib. 8. de legibus, prauos sui dominos esse negat. Qui verò sibi imperare potest, iam dignus est qui familiæ præsit in eaque rectè imperabit, qui prudentia atque iustitia erit instructus. Prudentia quidem iustitia, ut per hanc id ipsum velit, quod rectum esse prudentia cognouerit: & in eo negligens, aut cõtra officium peccantes, pœna reprimere: ne quid illi tale posthac, & ceteri ad peccandum sint tardiores. Quæ cum civilis imperij ratione eandem, quasi regulam Lesbiæ, contineant: hæc quæ (ut de equo & bono Arist. scribit cap. 10. lib. 5. Ethic.) pro rebus nouis quotidie interuenientibus mutetur, & his se accommodet, à Platone concluditur dialogo de philosophia, & in Ciuili, eundem esse Regem, Tyrannum, Ciuilem, œconomum, & dominum: multitudine verò & paucitate eorum qui parent, horum imperia distingui. Quod Aristoteles, sicut in præfatione significatum est, reprehendit in œconomicis & cap. 1. lib. 1. Politic.

7 Philosophiæ in contemplando versantis, tres particulas ponit, in Metaphysicis, Physicis & Mathematicis. De quarum distinctione & ordine non nihil capite superiore dictum est: plura verò cõtra Thessalum à nobis collecta sunt cap. 3. prælectionum in Sphæram. In Physicis autem astrorum cõuersiones intellige, cum sub obliquitate Zodiaci, intra duos Tropicos illa ita feruntur, ut nonnunquam propius accedere, alias à nobis declinare videantur. Quod Soli manifestè accidit in iis quæ Solstitia nominantur. Si quidem post Solstitium hyemale, hic ad nos redire incipit, verno tempore: post æstiuum verò à nobis declinat, hic no. Ex quo rerum harum inferiorum, quæ Lunæ sunt subiectæ, primum ordinate mutationes contingunt, in causis ortus & interitus. Quia virtute celesti hæc ita reguntur, ut Sol ex eo gignat quod propè accedit, idemque hoc ipso quod recedat, sicut Arist. scribit ad finem lib. 2. de ortu & interitu. Deinde alia maiores hæc minus quàm superiores nobis notæ. De quibus Arist. initio lib. 1. Meteor. & Plato prima parte Timæi. Platonicis autem altera generalis est rerum renouatio, cû omnia in integrum restituantur, astris omnibus redeuntibus ad idem punctum à quo ceperunt moueri. Quam Alcinoi hoc loco videretur intellexisse. De hac verò postea pluribus disseretur cap. 12. in explicando magno sæculo Platonis, cuius Cicero mentionem facit in Somnio Scipionis.



ALCINOI INSTITVTIO AD

Quia ad primam philosophiæ partem quæ est de differendo, pertinet vis iudicandi, hæc in animo qualis sit siue in vita hac, siue in altera, quæritur, quoque modo se habeat ad sensum & intellectum, itémque ad scientiam & opinionem.

Cap. 4.

I Quoniam est quiddam quod iudicat, & est id quod iudicatur, erit etiam aliquid, quod ex iis perficiatur, quod propriè iudicium vocare possis: Hoc idem propriè dictum iudicium, possit quis appellare² iudicatorium. Sed his communius est, ipsum iudicans. Hoc autem duplex, vnum à quo, alterum per quod iudicatur: quorum illud, intellectus est, hoc, instrumentum naturale ad iudicandum accommodatum. Quod primo verorum est, deinde etiam falsorum: neque aliud quicquã est quàm ratio naturalis. Apertius autem hoc in iis quæ sunt.³ Iudex quidem dicatur philosophus, à quo res ipse diiudicantur: itémque & ratio, per quam Verum iudicatur, quod modo instrumentum diximus appellari.⁴ Duplex autem ratio est: vna quidem quæ omnino incomprehensibilis & certa, altera secundum eorum quæ sunt cognitionem, nunquam fallens. Prior in dei potestate est, hominis verò minimè. Posteriores etiã homo potest assequi. Sed hæc quoque duplex, vna quidem circa intelligibilia: altera circa sensilia.⁵ Quarum quæ circa intelligibilia occupatur, ea sciētia est & ratio scientiam gignens. Quæ verò ad sensilia refertur, ratio opinionis effectrix & opinio. Quare ratio quæ scientiam parit, firmiter est & constantium: ut pote quæ de firmis & constantibus principiis. Ratio autē verisimilis opinionis effectrix, maximè probabilium est. Quoniam circa constantia nõ versatur. Scientiæ autem

DOCTRINAM PLAT.

74

circa intelligibilia, & opinionis circa sensilia, principia sunt intellectio & sensus. ⁶ Sensus est affectio animi per corpus, internuntia primò facultatis per se. Quando verò in animo per sentiendi instrumenta rei species sentiendo fuerit impressa (nam in eo sensus est) si eiusmodi species propter temporis diuturnitatē non euanescat, sed constans & diuturna seruetur, eius conseruatio memoria nuncupatur. ⁷ Opinio autem memoriæ sensusque complexio. Cum enim in id incidimus, quod primò sensum mouere potest, ab eoque in nobis sensus efficitur, & à sensu memoria: si postea idem nobis occurrat, superiorem memoriam, cum iterato sensu componimus, & in nobis ipsis iam dicimus, exempli causa, Socrates, Equus, ceteraque eiusmodi. Hæcque opinio nuncupatur: quando superiorem memoriam, cum recente sensu, componimus. Atque ubi hæc inter se consentiunt, opinio vera existit: si verò illa disident, eadem dicitur esse falsa. Nam si seruans Socratis speciem natam ex eo, quod aliquando cum illo sit congressus, Platoni occurrens, putet se ob quandam similitudinem, Socrati rursus occurrere, ac postea Platonis sensum velut à Socrate haustum, cum Socratis memoria componat, opinio falsa existet. ⁸ Id autem in quo sensus atque memoria fiunt, cum carea tabula Plato comparat. Cum verò quæ per memoriam & sensum opinione concepta sunt, animus cogitatione sibi iterum effingens, ea respicit ut & illa à quibus ista manarunt: functionem eiusmodi picturam quandam, ac interdum imaginationem idem nominat. Cogitationis verò discursum, animi quasi secum habitatis colloquium. Sermonem, id quod ab ipsa cogitatione, cum voce per os effluit. Intellectio autem est actio intellectus prima



25 ALCINOI INSTITVTIO AD
intelligibilia contemplantis. Atque hæc quoque duplex esse
videtur. ¹⁰ Vna animi intelligibilia intuētis prius quā cum
corpore coniungatur: altera eiusdem cum in hoc suum cor-
pus descenderit. Illa quidem prius quā animus suum cor-
pus esset ingressus, intellectio vocabatur. At postquā ipso
corpore conclusus est, quæ tum dicebatur intellectio, nunc
naturalis cogitatio nominatur: quæ intellectio quædam est,
in animo iam corpore concluso. Quoties ergo intellectuē,
rationis scientiam gignentis principium esse dicemus, non
eam quā nunc dicimus, accipi volumus, sed illam potius
quæ animo à corpore soluto, conuenit. Quæ quidem, ut di-
ximus, tunc intellectio, nunc naturalis cogitatio nuncupa-
tur. ¹¹ Atque hanc ipsam naturalem cogitationem idem cum
simplicem scientiam, tum animi alam, ac recordationem
nominat. Ex iis autem simplicibus scientiis constat natu-
ralis scientiæque effectrix ratio, quæ secundum naturam
inest. Cum sit igitur ratio duplex, vna ad scientiam accom-
modata, altera ad opinionem, itēque intellectio & sensus:
necesse est & his obiecta quædam existere, qualia sunt intel-
ligibilia atque sensilia. ¹² Et quoniā in intelligibilibus quæ-
dam prima sunt, ut Idea, alia secunda, ut species quæ in ma-
teria sunt, & ab hac separari non possunt: intellectio quo-
que duplex erit, primorum vna, altera secundorum. Et quia
ex sensilibus quædam prima sunt, ut qualitates, seu color,
albedo: alia per aliud aduentitiæque quadam vi, ut album,
coloratum, post hæc verò quod concretum est, ut ignis, mel:
eadem ratione sensus primus primorum erit, secundus verò
secundorum. Atque prima intelligibilia intellectio diiudicat,
non sine ratione scientiam gignente, per comprehensionem
quandam

quandam, sine discursu. Secunda verò, ratio scientiæ effe-
ctrix, non sine intellectu. In sensilibus autem ea quæ pri-
ma & quæ secunda sunt, sensus discernit, non sine ea ratio-
ne quæ cū opinione est coniuncta. Id verò quod cōcretū est, ea-
dē ratio, sed nō sine sensu. ¹³ Cū igitur mūdus intelligibilis,
primum sit intelligibile, hic verò in sensum cadens, concretū
quiddā & coagmentatū: illū intellectio cū ratione diiudicat
hoc est non sine ratione: hunc ratio cum opinione coniuncta,
non sine sensu. ¹⁴ Et cum contemplatio sit, nec nō & actio:
recta ratio haud eodem modo discernit ea, quæ in contem-
plationem & quæ in actionem cadunt. Sed in contempla-
tione quid verum, quid aliter se habeat, exquirat. In iis au-
tem quæ ad actionem pertinent, quid proprium, quid alie-
num, & quid id quod agitur. Ex eo enim quod natura in-
sitam honesti bonique notionem habemus, ratione utentes
nōsque referentes ad illas naturales notiones, velut ad defi-
nitos quosdam modos, hoc ne an illo modo se habeant ea
quæ in deliberationem cadunt, diiudicamus.

Iac. Carpentarij commentarius in idem Cap. 4.

x In artificio differendi duo spectanda sunt: huius seminariū, quod ad naturā
pertinet, & eiusdē cultura in præceptis huius artis posita. Capite hoc agitur de
naturæ seminatio: proximo, de huius cultura. Quod quidē seminariū in eo posi-
tum, quod ad rerum omnium diiudicationem pertinet, partim nobis est cum
belluis commune, partim cum ipso deo: sed in nobis longē perfectius quam in
belluis: imperfectius autem quam in ipso deo. Quoniam & homo in cogni-
tione rerum, mediam quandam facultatem obtinet inter deū & belluas. Nam ad
rerum omnium cognitionem & diiudicationem cum duo homini data sint, sen-
sus & ratio, in sensu cum belluis communicat, in ratione & intelligentia, diui-
næ naturæ imaginem habet expressam. Sed in sensu hoc belluas superat, quod
illæ singularia tantum apprehendunt, nullas ex iis notiones vniuersas exci-
tant (quamquam scio aliud visum esse Galeno & Cardano, contra quos de eo
non dispuo hoc tempore) homo autem ad sensum accedente lumine mentis &
intelligentiæ, per discursum rationis, singularibus inter se comparatis in-
H



démque notata similitudine, de ijs excitat notionem vniuersam: de qua dictum interpretor ab Aristotele cap. 1. lib. 1. de animo, animal commune aut nihil esse, aut esse posterius: itémque si quid aliud commune dicatur. At idem in ratione & intelligentia eo superatur à deo caelestibusque intelligentiis, quod in vita hac nihil intelligit nisi per cogitationis discursum, cuius initia hausta sunt ex imaginatione, quae quamquam interius quiddam sit, cum corpore tamé necessario est coniuncta. Dij autem & caelestes intelligentiae fruuntur primorum intelligibilium aspectu: imo deus ipse sibi primum est intelligibile. Itaque Alcinoi in sequentibus postquam in ratione posuit primum diiudicandi naturale instrumentum, illam spectat & in homine & in deo: itémque vt ad sensum demissam & supra sensum excitatam: quam in deo incomprehensibilem esse ait, & omni ex parte certam: in homine autem penes constantiam eorum quae sunt, constantem & certam, at propter ea quae ex corporis contagione nascuntur, infinitis erroribus obnoxiam. Nam certè si circa contemplationem primorum intelligibilium error in hominem cadit, non ex primorum intelligibilium inconstantia, aut mutatione nascitur, sed ex ipso homine, cuius intellectus in vita hac se habet ad prima intelligibilia, sicut oculus noctuae ad ipsum solem. Si quando verò hic summo philosophiae munere rapitur à corpore, aut eodem soluitur, tum deo caelestibusque intelligentiis similis effectus, fruuntur aspectu primorum intelligibilium, nec horum cognitionem percipit vllò cogitationis discursu, etiam si ad illam excitatus sit antecedente exercitatione cogitationis, primum in physicis, deinde in mathematicis. Magnum verò hoc ad commendationem artis differendi, quod in eius seminario posita ostenditur propria hominis excellentia: quae hic longo intervallo belluas vincit, & quantam potest cum deo similitudinè asequitur. Etenim nõ potest non iudicari excellentissimè ea re inter homines praestare, quae ipsi belluas vincunt & ad deum proximè accedunt. Hoc autem beneficio artificij differendi consequuntur.

2. *Κριτήριον*, ad verbum iudicatorium interpretatur: propter eius vocis significationem multiplicem, quae latiniore alio nomine vno vix potuit exprimi. Significat autem primum instrumentum iudicandi & locum iudicij: aliquandoque, vt Alcinoi ait ad finem capitis huius, adhibetur ad actionem, cum per id discernimus quid agendum vel fugiendum, aliquando ad solam cognitionem. Deinde hoc quod in homine ad cognitionem refertur, vel in solo sensu consistit, aut in imaginatione quae sensum sequitur: hocque aut nobis cum aliis animalibus est commune, aut per ipsam rationem proprium efficitur. De utroque quaedam sunt digna obseruatione apud Galenum initio lib. 9. de decretis Hippo. & Platonis. De priore verò sic loquitur Aristot. cap. 9. lib. 3. de Animo. Quoniam animus is, inquit, ex quo animantes constant, ex duplici vi ac facultate definitus est: quorum altera est vis iudicandi, quae rationis est & sensus, altera qua mouentur loco, de sensu quidem ac mente dictum sit haecenus. De eo autem quod motum affert, quid tandem sit animi videndum est, & caetera. At circa iudicium eiusmodi inter hominem & belluas hoc interest: quod in homine illud liberum sit, & in iis quae ad actionem pertinet, boni vel mali imaginibus, quae ex sensu nascuntur, plerumque sibi ipsi contrarium: in belluis verò definitum & à naturae motu sic profectum, vt illae hoc immutare nullo modo possint. Quis enim sic natura iudicat lupum perniciosum, vt aliter apprehendere non possit: & cum eiusmodi esse iudicauit, illum necessario fugit eadem impellente natura: nõ tamen, vt paulò ante dictum est, per vllam lupi notionem ingentam, etiam si hoc nonnulli existiment. Homo autem sic corporis voluptatem malam iudicat, vt

possit nonnunquam aliter iudicare: & cum ita iudicauit, eadem tamen in vita hac amplecti, sicut in iis experimur, quos impotentes appellamus. Idque pro varietate partium vel facultatum in eiusdem hominis animo dissidentium: de quibus postea suo loco differetur. Quorsum verò artis differendi explicationem in doctrina Platonica tradenda, ab hac quaestione de iudicio & iudicatorio Alcinoi reperat, intelligi potest ex Cicerone Academica. 1. vbi de dialectica haec Platoniorum decreta commemorat. Tertia philosophiae pars, inquit, quae erat in ratione & differendo, sic tractabatur ab Academicis & Peripateticis. Quanquam oriatur à sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus. Mètem volebant rerum esse iudicem: solam censebant idoneam cum crederetur, quia sola cernebat id, quod semper esset simplex & vnus modi, & tale quale esset. Hanc illi ideam appellabant iam à Platone ita appellatam: nos rectè speciem possumus dicere. Sensus omnes hebetes & tardos esse arbitrabantur: nec percipere vllò modo res eas quae subiectae sensibus viderentur: quae essent, aut ita paruae vt sub sensu & constans, ac ne idem quidem, quia continenter laberentur ac fluerent omniumquam esse censebant nisi in animi motionibus atque rationibus. Hoc idem fundamentum sequutos Stoicos, dialectico iudicio (quod solum in hac arte retinuerunt, inuentione ipsi naturae relicta) penè eadem subiecisse, colligi potest ex Diogene Laertio in vita Zenonis Citiaei. Sextus Philosophus lib. 2. Pyrrhoni quoddam facit commune, aliud proprium, tertium maxime proprium. Rursusque Aliud Criterium quodd rationale appellat, vult trisaria dici posse, à quo, per quod & secundum quod: illudque à quo, hominè esse: per quod, aut sensum, aut intellectum: secundum quod autem, applicationem phantasiae, secundum quam homo aggreditur diiudicare, adiutus vno ex antedictis, per cogitationis discursum, qui naturae humanae maxime proprius.

3. Iudicium antea appellauit actum iudicantis, vel eius quod iudicare potest, circa id quod iudicatur, vel potest iudicari. Atque idcirco illud ex duobus profectum esse dixit, ex eo scilicet quod iudicat, & altero quod iudicatur. Quoniam omnis muneris functio, consistit in quadam accommodatione agentis ad ipsum obiectum, circa quod functio exercetur. Nunc id quod iudicat iudicare potest, in duo vel etiam in tria distribuit, nempe in hominem: exempli causa, philosophum, in animum & in ipsam rationem tanquam instrumentum. Homo quidem est absolute qui iudicat: sicut & eum, non item eius animum, Aristoteles cap. 4. lib. 1. de animo, proprie discere ait & cogitare. Id verò quo ille iudicat, partim est animi, partim rationis: sed animi vt causae principis, rationis vt instrumenti. Quemadmodum & cap. 2. lib. 2. idem Aristot. id quod scimus partim animi esse dixit, partim scientiae qua animus est instructus. Neque verò ipsum instrumentum per quod iudicatur, est vnus modi. Sed animus ratione quam à natura accepit, vt primario instrumento iudicat: haec, inuatur aliis quae ipsa ars suppeditat. Sic enim dicimus à philosopho iudicari animo de quaestione alicuius veritate, per rationem naturalem instructam iis argumentationum formis quae communis artis differendi praecipit perficiuntur. In quibus omnibus obseruatione dignum est, quo modo apud Platonicos artis differendi fundamenta reperantur ex ipsa natura.

4. Adhunc locum intelligendum spectanda est ex Platoniorum sententia varietas eorum quae in cognitionem cadunt, & facultatum animi, quae ad eiusmodi



cognitionem adhibentur. Sunt autem eorum omnium quae cognosci possunt, duo prima genera, vnum intellectui obiectum, alterum sensui: & in vtrisque quiddam primum, aliud secundum. Intelligibile quidem omnino primum, sicut Sol primum aspectabile, illud idem est quod omnia primo intelligit, & in quo, vt omnium exemplari, queruntur ceterorum quae sunt, species & idea: ad quas pertinet perfecta nostra intellectio (primum enim intelligibile, idem esse cum primo intellectu, Plotinus confirmat cap. 6. lib. de tribus principiis) secundum autem completitur numeros & figuras, in quibus Mathematicae abstractiones consistunt: deinde rerum formas cum materia coniunctas, non vt in rebus singulis sunt circumscriptae & numerabiles, sed vt in communi ratione spectantur. In iis vero quae sensum mouere possunt, vel vt noster Alcinoi paulo post scribit, prima erit affectio sua ratione quoad potest, à substantia separata, vt color: secunda, ipsa substantia qualitate affecta, vt corpus coloratum: vel, sicut nonnulli Platonici tradunt, etiam primo sensum mouere dicitur omnis substantia corporea suis qualitatibus affecta: secundo, vmbra & imagines corporum, siue in aqua, siue in speculis apparentes, de quibus postea differetur cap. 17. libri huius. Haec autem eodem modo se habent ad corpora, quo Mathematicae formae ad veras rerum omnium rationes, quae idaeis continentur. Iam vero primi intelligibilis, in solo deo omnino absoluta est intellectio: per quam se ipse perfecte intelligit & in se cetera omnia, nobis haec omnino incomprehensibilis secundum suam perfectionem. Inchoata vero tantum: prout in vita hac philosophia scopum assecuti, deo simillimi efficiuntur. Quoniam ad illud natura clarissimum (quod Aristot. scribit lib. 2. Metaph.) se habet noster intellectus, sicut oculus noctuae, ad Solē: vel omnino vt aspectus ad primum aspectabile. Quod Plato etiam testatur lib. 7. de rep. Secundi autem intellectio est cum cogitatione coniuncta, aut cogitationis quidam discursus est, ad illam priorē intellectiōne aspirans. In reliquis quae sensum mouere possunt, prima est ipsius sensus perceptio: quam sequitur visio, vel imaginatio. Deinde rerum perceptas imagines memoria conseruat: sicut has aliqua ex parte obliteratas, vel confusas, ipsa recordatio renouat, vel distinguit. Per quas rationis quidam discursus, cogitationis est: sicut eo peracto de bono vel malo, vero vel falso, quaedam interior affirmatio vel negatio, opinionis esse dicitur. Porro in prima & secunda functione sensus, diuisioni sensilium, quae hoc capite proponitur, respondet quod Aristot. scribit cap. 6. lib. 2. de Animo, quaedam sentiri primo & per se, vt qualitates singulis sensibus proprias: alia per aliud & aduentitia quadam vi, vt substantias illis qualitatibus affectas.

Plato in Theaeteto scientiam proprie esse vult interioris essentiae, quae in multis similitudinem comunioneque naturae continet: sensum autē, affectionū quae illius essentiae comites sunt, in illa quoque dissimilitudine pariunt. Vt ex eo intelligamus scientiam idearū esse, quae continent rei cuiusque essentiam: sensum, singularū imaginū idēis participantiū, & affectionum quae in illas cadunt & potissimum ipsius materiae conditionē sequuntur. Sicut apud Aristot. illa vniuersaliū est, per priores causas essentiae: hic rerū singularum, per affectiones natura posteriores. Idem vero Plato in Philebo, sensum vocat motum in comuni corporis & animi passione factū: atque eodem loco opinionis originem sic explicat. S O C. An nū ex sensu ac memoria in nobis opinio nascitur & ipsum opinari posse? P R O T. Praecipue. S O C. Nōne sic circa haec nos habere putādū? P R O T. Quo modo? S O C. Vt fateare hominē nonnunquam procul aliqua confuse cernentē, cupere clarius quae cernit discernere? P R O T. Fateor equidē. S O C. Id igitur sic à se ipso quodā modo sciscitabatur. P R O T. Quo pacto inquis? S O C. Quidnā illud est quod

iuxta saxum sub arbore procul apparet? An haec ille proferre secum videtur, dum eiusmodi quaedā aspicit, cuiusmodi sibi quandōque apparuerunt? P R O T. Quidni S O C. Deinde velut sibi ipsi respondēs, homo est, inquit, tanquā rem iam assecutus P R O. Nimirum. S O C. Rursus fortē mutata sententia, opus quoddam à pastoribus fabricatum esse asserit. P R O T. Maximē. S O C. Hic si quis ad sit eadē quae animo secum ipse volubatur, in vocem effundens, rursus praesenti diceret, ac sermo tunc fieret, quod ante opinionē vocabamus. P R O. Manifestum. S O C. At si solus hic sit, hoc idem secum ipse repetens & diu quandoque in se ipso feruens procedit. P R O. Prorsus. S O C. Quid ergo? Idēne tu hic quod ego, sentis. P R O. Quid istuc? S O C. Videtur mihi tunc hominis anima libro cuidam persimilis. P R O. Quae ratione? S O C. Memoria in idem cum sensibus incidēs & illa, quae circa ista passiones sunt, verba quaedam in anima inscribere mihi videtur: cumque vera conscribunt, passionem eiusmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis verae ab hoc ipso proficiuntur. At cum scriba hic non ea quae dicta sunt libenter accipio. Aristoteles cap. 26. lib. 1. Analyt. Post. Opinionem non necessariam. Docētque eandem rem in opinionem & in scientiam posita cadere: sed non eodem medio siue argumento, nec eadem ratione rei eiusdem factam comprehensionem, opinionem & scientiam posse attribui. Proclus cap. 1. Comment. 1. in Euclidem, haec ex Platoniorum doctrina ita distinguit, vt velit Platō uisisse: primarumque quae sine materia sunt & summa puritate praeditae, intellectiōnem vocauisse: postremarum, quae cum sensu coniunctae, opinionem, quae obsecuram veritatem est nata: mediarum, quales sunt mathematicae, cogitationem. In quibus idem Proclus naturalis Criterij tres gradus ex eadem Platoniorum doctrina acutē distinguit. De his vero vide quae à nobis collecta sunt contra Theophilum Methodicum cap. 6. praelectionum in Sphaeram.

6 Plato in Theaeteto, scribit belluis & hominibus ingenitam esse facultatem qua passiones per corpus in animam manantes sentiunt. In quo corpori nullum sensum tribuit: sed sensus functiones in eo tantum vult declarari: ideoque quos alij quinque sensus externos appellant, hic tantum esse vult sentiendi instrumenta, per quae rerum obiectae imagines, ad interiorē sensum, quem communem nominant, deferantur. Sic verō & Aristot. cap. 2. lib. de sensu, negat animum eum qui videt, in extremo oculo situm, sed intra nos esse. & cap. 2. lib. 3. de Animo, necessaria, vt opinor, ratione confirmat, interiorē sensum vnum communem esse ponendum, qui omnes rerum obiectarum imagines per diuersas corporis partes organicas recipiat, per easque de rerum obiectarum differentis solus iudicat. Ex quibus facile de eo constitui potest quod etiam ad hunc locum pertinet, vtrū sensus actio quaedā sit, an vero passio? Primum enim partē corporis organica dum animo subseruit, rerumque obiectarum differentias excipit, proprie partē certū est, vel ex eo quod tempore defatigatur & languescit, animi substantia eodem modo se habet. Ideoque si senex oculum iuuenis reciperet, nō minus acutē vidēderet quam iuuenis. Quod idē de reliquis animi facultatibus est intelligendū. Si quidē ille, vt ait Aristot. ca. 4. li. 1. de Animo, senescere videtur, nō quod animus aliter quā prius affectus sit: sed quia corpus in quo habitat: quē admodū in ebrietatibus & morbis cōtingit. Iā de animo vtrū patiat, & quo modo, quae sitio est. Qui si pro imagine, verē eā qualitatem, quae sensum mouere dicitur, exciperet, reuera pateretur: vt si sentiendo candorem, verē ipso candore inficeretur. At quia pro



eiusmodi qualitate corporea, imaginem tantum incorpoream de illa, admirabili quadam ratione excitatam, recipit, non absolute pati, sed quodammodo, dicitur. An igitur cum omne quod patitur, ab alio agente patiatur, animus ab obiecto agente patietur, sensusque animi passio, obiecti actio ita esse dicitur, ut ab hoc, non ab animo, sit ipsius sensus perfectio? Sic enim Arist. docet in physicis, motum perfectionem esse ab agente profectam, in patiente receptam. Minime vero. Sed cum in ipso sensu interiore duo insunt, receptio imaginis & iudicium de obiecta re per imaginem, in priore animus quodammodo patitur, in posteriore agit. Hoc vero est quod ipsius sensus summam perfectionem continet: cuius inchoatio tantum est in antecedente externi obiecti actione. Sic ex Plotino & D. Augustino scribit Marsilius Ficinus cap. 6. lib. 7. Theologiae Platonicae, animum cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentius agere. Ut sensus animaduersio sit operationis illius attentioris, aut iudicium de corporea passione & qualitate, excitatum ab attentiore illa animi actione. Quae duo in sensu nonnulli obseruantes quaesierunt, utrum hunc, sicut & intellectum, in agentem & patientem distinguere oporteret. De quo disputatur ab Augustino Nipho, vno libro de sensu agente & patiente.

7 Opinionem hic ex Platonis sententia appellat apprehensionem sensilis obiecti, sub imagine rei iam antea sensu perceptae, & in memoria reconditae: quae imaginatio quadam est. Ideoque opinionem pro imaginatione videtur usurpasse, vel ipsam imaginationem opinionem appellasse. In quo Plato ab Aristotele reprehensus est cap. 3. & 11. lib. 3. de animo. Rationes autem Arist. ad efficiendum imaginationem nec esse opinionem absolute, nec opinionem cum sensu, nec per sensum haustam, nec opinionis & sensus coniunctionem, colliguntur à nobis vbi de eadem quaestione Platonis sententia erit perspecta. Quoniam ea non sine obscuritate esse videtur. Hic in Sophista, veritatem & falsitatem primo spectat in oratione, ex relatione quadam ad rem quae per hanc significatur (sic enim & ab Arist. dictum est in Categoriis, & libro de interpretatione, ab eo quod res est, vel non est, orationem dici veram vel falsam) deinde haec eadem transfert ad cogitationem, opinionem & imaginationem, de quorum comparatione ita differit. HOS P. Quid de cogitatione, inquit, opinione & imaginatione dicimus? nonne iam constat quod haec omnia genera, tum vera, tum falsa, in animis nostris efficiuntur? THE. Qua ratione? HOS. Sic intelliges facile, si prius quid vnumquodque istorum sit, quodque inter se singula differant, acceperis. THE. Exhibe illa ipsa sine strepitu vocis interior collocutio, qua se animus noster alloquitur? THE. Penitus. HOS. Sed per os effluxus prolationis ab illa, oratio nuncupatur. THE. Verum. HOS. Quinetiam in oratione hoc animaduertimus. THE. Quid? HOS. Affirmationem inquam & negationem. THE. Nempe. HOS. Quando igitur hoc in anima per cogitationem, silentio fit, potestne alio quam opinionis nomine nuncupari? THE. Nequaquam. HOS. Quid vero? cum non per ipsam, sed per sensum rursus talis passio accidit, potestne aliter quam imaginatio nominari? THE. Non aliter. HOS. Postquam oratio partim vera, partim falsa esse apparuit: cogitatio vero interior, ipsius animae collocutio: opinio vero cogitationis conclusio, in qua memoriae sensusque commixtio reperitur, necessarium esse videtur ut cogitationes opinionisque partim verae, partim false sint: quippe cum sint orationi cognatae. Similis locus est apud eundem Platonem, in Theaeteto. Hoc, inquit, Socrates, mihi videtur, cogitantem scilicet animam nihil aliud agere quam secum ipsam differere, interrogando, respondendo,

do, affirmando atque negando. Postquam vero definit, idemque siue tardius, siue velocius animaduertens, asserit, neque vagatur, haec ipsam opinionem ponimus. Deinde paucis interiectis, de veritate & falsitate in opinione, ita differit. Restat, inquit Socrates, ut falsa in hoc opinemur, quando te Theodorumque cognoscēs seruansque in carea effigie vtriusque figuras, longo ex tempore, tanquam annulorum vestrorum signacula, neque acutè cernens vtriusque, tento proprium vtriusque signum proprie visioni attribuendo, eius accommodare vestigio, ut agnitio fiat: sed aberro & instar eorum qui commutatis calceis errant, commuto, & vtriusque visionem ad alienum simulachrum transfero, & similia quadam patioribus, quae in speculis transuerso resultant, cum aspectus dextera in sinistra commutat. Atque ita decipior, nasciturque aliena opinio, & id est, quod falsa opinari vocatur. Quibus duobus locis Plato videtur significare voluisse, non tam fortasse opinionem imaginationem esse, aut contra: quam opinionem ad interiorem cogitationis discursum, eodem modo se habere quo imaginationem ad sensum. Ut enim cogitationis discursus in opinionem definit, quae illius quadam est conclusio: sic sensus in imaginationem. Atque ut in opinione, consensus cum re, veritatem continet, dissensio falsitatem: sic imaginatio vera est, quae rem apprehendit sub sua imagine, falsa, quae sub aliena. Nunc quid contra Aristoteles disputet, audiamus. Hic cap. 3. lib. 3. de animo, habitus siue facultates quatuor in nobis statuit quibus inest veritas & falsitas, Sensum, Opinione, Intelligentiam & scientiam: à quibus omnibus imaginationem vult esse separatam. Atque illud quidem ut manifestum ponamus hoc tempore, illam neque scientiam, neque intelligentiam esse. De reliquis duobus idem differit hoc modo. Imaginationem non esse sensum, hinc intelligi, quod cum sensus, vel ut habitus & facultas, vel ut functio dicatur, imaginatio quae nobis dormientibus viget in somniis, neque ad habitum sensus, neque ad functionem referri possit. Deinde quod sensus omnibus animalibus insit: imaginatio non item. Quodque sensus aut semper, aut magna ex parte verus sit: imaginatio vero contra, magna ex parte falsa. Eandem vero opinionem dici non posse, hoc potissimum argumento colligit, quod omnis opinio cum quadam persuasionem sit coniuncta, quam parit rationis discursus: at hic in belluas nullo modo cadit, cum quibus si non omnibus, at certe quam plurimis, ipsa imaginatio nobis est communis. Adde quod Solem intuentes, imaginamur pedalem: de quo tamen contraria opinio est, & assensio vera, quod tota terra longè maior sit. Et omnis opinio necessario cum assensione coniuncta est: imaginatio vero plerumque sine hac. Ad id vero quod paulò post sequitur in Alcinoi contextu, de comparatione cogitationis cum sermone, pertinet quod Democritus & Epicurus, sermonem in voce, rationis flumen appellauerunt. Quoniam, ut aiunt, quando ratio stillat in linguam, frangitur aër & fit verbum. Sic fons est ratio, riuus vero verbum, quod in fonte cum Deo conuenit: in riuo autem ac flumine, cum homine. Utque nihil est in riuo, quod non prius fuerit in fonte: sic nihil esse debet in sermone, quod non prius fuerit in eo animi conceptu, qui rationis est. In superiore comparatione veritatis & falsitatis cum re, cogitatione, opinione & oratione, illud quaeri potest, an oratio cum cogitatione & conceptu consentiens, à re autem dissentiens (id enim potest contingere) vera, an falsa sit. Ut si cum re vera dormit oratio, quia conceptui respondebit, an falsa, quia à re dissidet, per medium conceptum cui est consentanea? Iulius Scaliger exercitatione secunda contra Cardanum, orationem falsam esse negat, nisi quis volens mentiarur. Non enim,



inquit, falsa dicit (id est, vt interpretor, conceptus animi non falso enuntiat: si quidem iis in sua oratione respondet) qui se verum putat dicere: sed falsas apprehensas, verè enuntiat eiusmodi apprehensiones. Vt tum falsitas sit in notionibus cum rebus ipsis conferendis: non item in oratione relata ad notiones, quas vt sic dicam, immediatè repræsental & explicat. Ad hanc quaestionem vide quid apud nostros inter sit inter mendacium dicere, & mendacem esse.

8 Animum qui rerum obiectarum imagines recipit, caræ similem esse Plato vult in Theæteto: ex eoque causam ita explicat cur de hominibus nonnulli memoria plurimum valeant, alij non item: aut in percipiendis imaginibus quidam facilius decipiantur, alij difficilius. Cum in alicuius animo, inquit Socrates, caræ effigies profunda & multa leuisque & probe subacta est, quæ per sensus influunt, in hoc insculpta quod Homerus animi cor vocauit, caræ hanc similitudinem intelligens, vt pote pura signacula & funditus infidentia, diuturna fiunt. Ac primo homines sic instituti, dociles sunt & acuti, deinde etiam memores: postremo simulachra sensuum non commutant, vnde vera nimirum operantur. Nam cum sint ea perlucida & ampla in regione, velociter distribuunt, diuisantque in propriam effigiem singula: quæ quidem existentia verâ que vocatur, virique tales sapientes esse dicuntur. An non idem tibi videtur? T H E S. Mitterimus Poëta laudauit, vel cum lutulentum, nec ex defecata caræ, vel molle nimis, vel durum, non rectè omnino se habet. Nam mollis nimium caræ, celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliuiosos. Dura verò contra, diu memores, sed ineptos tardosque ad percipiendum. Et qui densam & asperam, lapideamque vel terream, vel feculentam habent, obscura simulachra continent: obscura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura præterea qui molliorem: nam ex confusione facilè euanescent. Quod si præter hæc, inuicem quoque congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua sit anima, obscuriora quoque illis simulachra fiunt. Homines ergo huiusmodi omnes quales descripsimus, ad opinionem falsam proni redduntur. Nam cum quid vident, aut audiunt, aut cogitant, quia singula singulis reddere mox nequeunt, aliud sepe pro alio, cogitando decepti concipiunt, atque hi falsi, mentiêtes, ignari vocantur. Eandem ferè similitudinem secutus Aristoteles cap. 1. lib. de memoria & recordatione, ita scribit. Perspicuum est, inquit, intelligendum esse eam affectionem quæ per sensum & in animo & in ea parte in qua ipse insit, gignitur, & cuius habitum memoriam esse dicimus, picturæ cuiusdam speciem gerens. Motio enim ea quæ oritur, consignat quasi notam quandam sensum: quemadmodum hi qui aliquid obsignant, annulis faciunt. Quocirca hi, qui in magno memore vel propter animi perturbationes, vel propter ætatem versantur, non valent primantur. In iis enim perinde sit vt si in aquâ profuētē motus annulūque imprimantur. In alijs propter frigoris incommoda, sicuti antiqua ædificia, vt propter duritiem eius partis quæ motum accipit, vestigium & quasi simulachrum non imprimitur. Itaque qui admodum pueri & senes, obliuiosi sunt & immemores. Motu enim agitantur, illi propter incrementum, hi propter decessionem. Platonici & Peripaterici in hac similitudine cauere volunt, quod paulo antè disputauimus, ne scilicet propter hæc existimemus animum in sentiēdo aut recordando, recipere vel pati potius quàm agere. Quare Plotinus cap. 1. lib. de sensu & memoria, negat in sensuum functionibus vllas contingere in animo formationes, vel impressiones: aut memoriam esse disciplinarum sensuumque conseruationem

tionem quasi figura quædam seruetur in animo. Quoniam, inquit, neque ea extrinsecus accepta est. Deinde quomodo ea cognoscat vel recorderetur, idem cap. 3. ita docet ex Platoniorum sententia. Ante omnia, inquit, non est mirandum, imo verò mirandum quidem, non tamen incredibile, quod tali potestati animæ attribuimus. Eam scilicet nihil in se accipientem, ea tamen quæ non accipit, animalium, & eorum quæ illic sunt vltima: eorum verò quæ sunt in vniuerso sensibili prima. Quapropter ad vtraque vergit: & à superioribus quidem bene afficitur atque reuiuiscit: ab inferioribus autem quadam similitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur. Cū igitur sit in medio cõstituta, nimirum percipit vtraque: & superiora quidem dicitur intelligere, in memoriam scilicet reuocata: si quid illis incubat. Cognoscit autè propterea quod quodammodo est hæc ipsa. Nempe non cognoscit ea, collocando eadem in se velut in sede: sed quodammodo ex habitu quodam obscuriore velut experrecta euadit: lucidius eadem & ex potentia prodit in actum. Sensibilia quoque similiter quasi coaptans hæc ipsa secū, id præparata sit, eadēque parturiat. Similis est sententia Prisciani Lydi cap. 5. obseruandum est, animæ sentientis atque memoriæ sedem in corde potius quàm in cerebro videri positam. Sed hoc fortasse magis ex Homericæ loquendi consuetudine, cuius testimonio eo loco vitur, quàm ex Platonis sententia. De qua postea accuratius disputabitur cap. 14. & 17. lib. huius.

9 Plato in Phedone, scribit animum nostrum fuisse prius quam in corpus haberetur, tūque cum per ingenitas ideas, rerum omnium cognitionem habuisse: deinde acceptam antè ortum scientiam, corporis contagione amisisse: quam sensibus adiuti in vita hæc, recordatione renouemus: eo scilicet labore quem in discendo ponimus. Disciplinam verò nostram vitæ tantum superioris esse recordationem, hæc ratione confirmat. Quod homines si de rebus quas in vita hæc nunquam didicerunt, apto ordine interrogentur (vt in Menone p̄sio de dimensione quadrati) statim vt docti respondeant. Quod facere non possent, nisi per scientiam rerumque omnium rationem ingenitam. Quare ad animi immortalitatem confirmandam, hoc potissimum argumētum idem esse arbitrat, quod si animus fuit ante corpus hoc, necesse quoque sit vt cum è corpore excesserit, eandem recipiat conditionem, qua fruebatur prius quam cum illo coniungeretur. Quæ cum in Menone, Phedro, Phedone & 10. de Rep. apertissimè dicta sint de tempore corporis ortum antecedente, Marcellus tamē, vt Plato videatur cum nostra religione magis consentire, cap. 4. lib. 17. Theologiæ Platonice, scribit fortasse apud Platonem animos corporibus priores fuisse, nō tempore, sed naturæ dignitate. Sed quid hoc ad animi immortalitatem, ad quam confirmandam ille hoc argumento vitur? Melius hæc in parte D. Augustinus cap. 31. lib. 10. de Dei Ciuitate, obseruat, Platonicos animum ponere Deo coeternum: quod credere nolent quicquam sempiternum esse posse, quod antea semper non fuisset. Apud Arist. verò quanquam certum sit ex cap. 3. lib. 2. de animalium ortu, & cap. 5. lib. 3. de Animo, mentem extrinsecus aduenire, à corpore separabile esse, & immortalē, nec huius actionem cum corpore communicare, eius tamen qui singulis hominibus est proprius, non videtur vllam conditionem, aut ingenitam cognitionem agnouisse prius quam cum corpore coniungatur. De quo postea accuratius disputabitur. Ex hac verò sententiarum diuersitate accidit, vt animus



ALCINOI INSTITVTIO AD

35
noster quando vitam hanc ingreditur & primū cū humano corpore cōiungitur, Platoni in Philebo similis sit tabula rasæ, in qua rerum formæ obliteratæ sunt, per eam obliuionem quam corpus attulit. At apud Arist. sicut antea obseruatum est, tabula nuda, in qua nihil vnquam fuit efformatum, respondere dicitur lib. 7. de Animo. Quæ duo in Peripateticorum doctrina quidam non satis accuratè distinguunt. Quorum error in Thessalo methodico, à nobis detectus est cap. 2. prælectionum in Sphæram

10 Animus apud Platonem, est qui cum suo corpore coniunctus animal vnū facit, ex proprio corpore vitæ que per hoc diffusa. Intellectus autem siue mens, animo superior, cum hoc tamen vnitur: vt in mundo, tanquam animali omnium maximo, ex eiusdem sententia postea pluribus explicabitur. Ergo intellectus à corpore separati operatio, ea est intellectio quam Alcinoi priorè facit: quæ scilicet est primorū intelligibilium intuitus, siue cogitationis discursu. Altera verò eiusdem in corpore, iam naturalis est cogitatio, siue vt ait, intellectio quedam in animo corpore concluso. Quamquam enim intellectus noster etiam cum in ipso corpore est, functionem habeat suam, in qua cum illo non communicat, ad intelligendum tamen discursu vitur à præcognito ad incognitum, qui proprius est cogitationis, quæ *διάνοια* nominatur. Primūque excitatur ducto initio à corporeis sensibus. Quorum cognitio prima & sine medio esse dicitur ab Arist. cap. 1. lib. 1. Analyt. Post. Hac verò secundum Platonē reū species obliuione obsecrata, & magna ex parte obliterata, per illum cogitationis discursum quodammodo renouantur. Atque idcirco appellatur quædam intellectio in animo corpore concluso, & sic intelligendo, cum corpore necessario communicante. De quo postea accuratius in quæstione de animi immortalitate.

11 De animi alis quibus per multos circulos ille tandem in cælum euolat, sic Plato in Phædro. Regula Adrastæ Deæ, id est inenitabilis numinis, hæc est, inquit, vt quæcunque anima Deum comitata aliquid verorum inspexerit: ea vsque ad alium circuitum sit indemnis, & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa. Si verò impotens assequendi, non inspexerit, & casu aliquo vsa repleta que opinione & prauitate, grauetur, grauata autem pennas cōfregit, in terramque reciderit, tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam: sed iubet eam quæ plurima viderit, in genituram viri philosophi, aut pulchritudinis cupidi, atque amatorij: eam verò quæ secundo loco, in regem legitimum, aut bellicosum virum, aut imperatorium descendere. Tertio in gubernatorem Reipub. aut rei familiaris dispensatorem, vel quæstuarium. Quarto in laboriosum gymnasticum, aut circa medelam curamque corporis versaturum. Quinto in eos qui vates futuri sunt & circa mysteria quædam. Sexto in poetam, vel alium quenuis eorum qui aptè in imitatione versantur. Septimo in artificem, vel agricolam. Octauo in Sophistam & popularem. Nonno in Tyrannicum. In iis omnibus quicunque iustè vitam egerit, sortem postea nanciscitur meliorem: qui verò iniustè, deteriolem. In idem enim vnde profecta est cuiusque anima, annorum decem millibus non reuertitur. Nam alas ante hoc spatium non recuperat: præter illius animam qui philosophatus est sine dolo, vel vna cum sapientiæ studio pulchritudinem adamauit. Hæ quidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam elegerint vitam, sic recuperatis alis, post tria millia annorum euolant abeuntes. Ex quibus intelligi potest aliam ab eo appellari, animo insitum igniculum per quem ad celestia erigitur. Qui cum in ea animi nostri parte qua contemplamur, ipsius veri cupiditate excitetur: in altera autem quæ ad actiones pertinet, ipsius boni amo-

DOCTRINAM PLAT.

36

re, sit vt cum re vnum sit ipsum bonum & ipsum verum, duabus alis coniunctis pro duplici animi nostri functione in vita hac, ad illud à quo sumus profecti, contendamus. Marsilius Ficinus cap. 4. commentarij in Symposium, hoc interpretatur de duplici animæ lumine. Habet anima, inquit, lumen geminum: naturale vnum, siue ingenitum, alterum diuinum & infusum. Quibus vnà coniunctis, seu duabus alis, per sublimen peruolare valet regionem. Et cap. 5. commentarij eiusdem. Mens, inquit, propriæ lucis indagine ad diuinam lucem recuperandam vehementissimè instigatur. Instigatio verò appetitio que huiusmodi, verus est amor: quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidium concupiscit. Quia naturale lumen, quod animi dimidium est, lumen illud diuinum, quod alterum eiusdem dimidium dicitur, olim neglectum accendere rursus in animo nititur. Ad eandem sententiam pertinent quæ dicuntur à Plotino libro de triplici ascensu ad mundum intelligibilem.

12 Hic certum est Alcinoi agere de primorum intelligibilium in nobis cognitione: ad quam vita hac aspiramus, ratione discurrentes, beneficio cogitationis per varias formas cum materia coniunctas: in quibus ipsius primi intelligibilis yis quædam est adumbrata. Secunda vero intelligibilia, id est naturales formas cum materia coniunctas, negat nos cognoscere sine ea ratione, quæ cum opinione coheret. Quia in illis quæ scientia à nobis queritur, ea ab affectionibus essentia ducit initium. Opinio autem, sicut antea dictum, est memoriæ cum sensu quædam coniunctio. Quorum vtrūque, sicut apud eundem Platonem est in Theæreto, pertinet ad affectiones rerum & essentia imagines, non ad ipsam essentiam. Sicut ipsius concreti (quod quia mutabile est in scientiam cadere non potest) cognitio opinione comprehensa, à sensu ducit initium. Ergo his gradibus philosophia duce, animus noster in cælum reditum parans, per sensum & memoriæ, opiniones primum sibi conformabit. Ex iis quæ in opinionem cadunt, ad secunda intelligibilia aspirabit: tandemque in purioribus mathematicorum abstractionibus exercitatus, à naturalibus formis ad intelligibiles, id est ad ideas se referet: & per ipsas ideas ad diuinam mentem qua illa comprehenduntur: ab hac denique ad ipsum bonum idearum omnium principium, quod idem est primum omnino intelligibile. Atque quemadmodum primum aspectabile, id est ipse sol, oculo non modo videndi vim largitur, sed etiam actum: sic primum hoc intelligibile dat nostro intellectui primam vim intelligendi. Vtque circa oculum nihil amplius humana ars conatur, quam vt eum purget & ad aspectabilia conuertat: ita in nostro intellectu philosophia, quæ huius cultura est, duo præstare potest: nempe vt eum purget à perturbantibus & falsis opinionibus, & à sensilibus formis ad ideas conuertat. Atque quæ sunt aspectabilia: sic ipsum bonum, quod idem est primum intelligibile & reliquorum intelligibilium lumen, ea quæ ad intelligendum proposita sunt, nostro intellectui detegit. In quam sententiam, vide etiam librum Procli de anima & demone: in quo docet quo modo per multos gradus contemplando à multitudine ad vnum ascendamus. Est verò etiam loco hoc, alioqui diffusile & obscuro, aliud obseruandum. Nempe quod in primis intelligibilibus diiudicandis dominari vult mentis intellectionem: quæ vt dictum, positâ est in fruitione illorum per intuitum: accedere verò quasi comitem, vel potius prænuntiam, rationem eam quæ coniuncta cum cogitationis discursu. In secundis contra, hanc rationem cum cogitationis discursu, primum locum



obtinere: ad eam accedere mentis intellectu. Atque in sensibus prima & secunda, ab homine cognosci (de huius enim sensu locus hic intelligendus) per sensum quidem, sed accedente ad hunc ratione, quæ cum opinione coniuncta. Concretas verò substantias quæ primis sensibus affectæ sunt, percipi potissimum ratione, sensu huic subministrante & subseruiente. Quod in singulis quale sit attentius est considerandum. Atque primum quidem ea intelligibilia quæ prima nominantur, cum formæ sint omnino materiæ expertes, in vita hæc & in altera cognoscuntur solo intuitu: cum ipsa mens ad mundum intelligibilem ascenderit, vel omnino corpore soluta, post vitam hanc, vel etiam in vita hæc, raptâ à corpore per ecstasin, & per eam mortem quam philosophicam cap. 1. appellauimus. At in vita hæc, mens ad ascensum ad mundum intelligibilem præparatur antecedente rationis & cogitationis discursu, quo exercetur in contemplatione naturalium & in abstractionibus Mathematicis. In secundis autem, quæ formæ sunt cum materia coniunctæ, & cum eadem in agendo necessariò communicantes, principem locum obtinet ratio cum cogitationis discursu. Sed illa in hoc errore vitare non potest, nisi illustretur & dirigatur primæ mentis lumine extrinsecus adueniente & influente. Quoniam vanus est labor humanæ cogitationis circa formas rerum naturalium, nisi ab illa prima mente adiuuetur. Iam in sensibus similis distinctio. Nam in primis & secundis dominatur sensus: in homine verò ad hunc accedit rationis discursus. Quoniã sensus noster primo ex se, & per se obseruat ea quæ prima & secunda obiecta sunt, quorum perceptio est illi cum belluis communis: deinde accedente ad sensum rationis & cogitationis discursu, ex eorundem primorum & secundorum sensuum comparatione, excitat notionem vniuersam, cuius comprehensio homini est propria. In concretis autem substantiis, quæ qualitatibus illis affectæ sunt, contra quodammodo accidit. Nam in illis ratio dominatur, sed non sine sensu. Quoniam rerum substantias sensus proprie non percipit: sed hic ad eas excitat, per sensuales qualitates quibus sunt affectæ. Sic enim Arist. cap. 6. lib. 2. de animo, substantias numerat in iis quæ non sentiuntur per se, sed per qualitates quibus sunt subiectæ. Quæ omnia in auctore nostro, sunt hoc loco diligentissimè obseruanda.

13. Mundum duplicem Plato ponit, vt apertius intelligatur ex cap. 10. lib. huius: vnum exemplarem, alterum hunc in sensum cadentem, in quo illius exemplaris quædam imago à deo rerum omnium opifice est expressa. De quo sic ille in Timæo, Volens deus, inquit, omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & vndique absoluto, mundum simillimum reddere, animal vnum ipsum effecit, aspectui subiectum, animalia cuncta nature suæ conuenientia, intra suum limitem continens. Exemplarem autem illum Platonicum interpretantur, intellectum diuinum, non ipsum bonum, sed boni filium, idearum omnium fontem: cum ipso bono substantia vnum (sicut inter illos nonnulli affirmant) ratione autem eo differentem, quod per eum Deus per se sufficiens, seipsum explicat in lucem. Ergo quia exemplaris mundus idea idearum est, intelligibile quoque primum erit, & cætera intelligibilia in se complectetur. Quemadmodum mundus hic, omnia quæ sensum mouere possunt, suo ambitu continet. De quo vide Philonem Iudæum libro de mundi opificio. In his verò meritò miramur Platonicos naturæ luminæ tam multa, quæ etiam in nostra religione valde sunt abdita, videre potuisse: nisi antea de causis diuinitatis in horum doctrina abundè dictum esset in præfatione: & eadem, aut etiam quædam his

diuiniora, animaduerti possent in antiquiore scriptore Mercurio Trismegisto. tam in Pimandro, quàm in Asclepio.

14. Ratio in hominis intellectu veri cognitionem appetit: in eiusdem voluntate, ad bonum tanquàm ad finem refertur. Vtque in veri contemplatione, intellectus non prius expletur, quàm ad causam omnino primam ascenderit: sic in bonis, voluntas rectæ rationi conformata, illa ex illis ita temper expetit, vt ad deum cuncta possessione inutiliter possidentur: sic artium omnium cognitionem vanam esse, nisi ad ipsius dei intelligentiam referatur. Itaque humana mens ex natura suæ primordiis, in vtroque munere deum expetit: sed contemplando in illo ipsum pulchrum, id est omnium quæ in naturæ vniuersitate pulchra sunt, fontem & ideam admirabitur: agendo vero, in eodem ipsius boni amore rapietur. Hæcque maxima utilitas est idæ boni: in qua, exagitanda Aristoteles naturæ genius, repudiata diuinioris Platonis philosophia, ludere videtur cap. 6. lib. 1. Ethic. Alio modo bonum ab eisdem Platonicis spectatur in perfectione cuiuscumque rei, hoc ipso quod est. Quoniam omne ens sicut est particeps entis, ita quoque particeps perfectionis cuiusdam: & huius quidem gradibus distinctæ, sicut distincti sunt entium gradus. Sicque ab eisdem bonum enti æquale dicitur, ac vtrumque horum numeratur in his quæ sequuntur ad omnia. Quoniam boni & entis ratio distincta est, vniuscumque magis absoluta, alterius vero quodam modo relata.

Explicatum est Dialecticæ fundamentum, quod in ipsa natura est positum. Nunc in eadem breuiter colliguntur ea quæ artis propria, ad Definitionem, Diuisionem, Analysin, Inductionem & Raciocinationem pertinent. Horumque vsus variis exemplis ex Platone illustratur.

Cap. 5.

1. In dialecticæ elementis hoc potissimum² Plato esse putat, vt primum rei cuiuscumque natura consideretur, deinde ea quæ illi accidunt. Quid autem vnumquodque sit, exquirat, vel à superioribus, diuidendo atque definiendo: vel ab inferioribus, retexendo. Ea verò quæ accidunt & essentiis insunt, vel ex iis quæ continentur, per inductionem: vel ex iis quæ continent, per ratiocinationem. Vt meritò, Dialecticæ



sint rationes diuidendi, definiendi atque retexēdi: & prater has, diiudicandi & ratiocinandi.³ Diuisio quidem alia generis in species ~~partes~~ in partes, ut cum distribuimus animum in eam partem cuius est ratio, & in alteram cui perturbationes insunt: hancque rursus in eam in qua ira ardor existit, & in alterā quæ cupiditates continet. Alia distributio est vocis in ea quæ significantur, quando unum & idem nomen rebus pluribus accommodatur. Rursusque alia accidentium in subiecta, ut cum dicimus de bonis quædam ad animum pertinere, quædam ad corpus, quædam externa esse. Alia subiectorum in accidentia, ut cum dicimus hominum quosdam esse bonos, nonnullos malos, alios his interiectos.⁴ Diuisione igitur generis in species utēdum est ad cognoscendam rei cuiusque proposita, naturam, quàm absque definitione nemo potest consequi. Definitio verò ex diuisione hoc modo nascitur. Rei definiendæ genus sumēdum est, ut hominis animal: deinde hoc per proximas differentias diuidendum, usque ad species descendendo, ut rationis particeps & rationis expers, mortale & immortale. Sic enim si proximæ differentiæ generi adiiciantur, ex iis hominis definitio constituetur.⁵ Analysis tres species habet, unam quæ à sensilibus ad prima intelligibilia ascendimus: alteram quæ progredimur ex demonstratis & subdemonstratis ad primas mediòque carentes propositiones: tertiam ex suppositione ad ea principia, quæ sine suppositione sumuntur. Prima quidem est eiusmodi: ⁶ Ut si à pulchro quòd in corporibus cernitur, ad id quòd animorū est, progrediamur: ab hoc ad aliud quòd in vitæ officiis, inde ad id quòd legibus continetur: tandem ad eius immensum pelagus: ut iis gradibus quòd reliquum

est, hoc ipsum pulchrum, assequamur. Secūda species est eiusmodi. Supponendum est quod queritur, & quæ illo priora sunt consideranda, eaque demonstranda, à posterioribus ad priora progrediendo: donec ad primum & id quòd in confesso est, perueniamus: à quo rursus ducto initio, ad id quod querebatur compositionis modo regrediamur. Ut quæro, An immortalis sit animus? Atque hoc ipso supposito, inquirō an idem semper moueri possit: eoque demonstrato, rursus an quod semper moueri potest, idem quoque per se moueatur? Idque etiam cum demonstrauero, amplius cōsidero, an quod per se moueri potest, principium sit motus. Atque hoc quoque deinceps, an principij nulla sit origo? Quod quidem ut ratum ponunt. Quoniam quod ingenitum est, idem quoque interitus est expers. A quo ut clarissimo cum ductum fuerit initium, demonstrationem eiusmodi componam. Si principium, ingenitum & interitus expers. Principium motus quod per se mouetur. Quòd per se mouetur, animus. Interitus ergo expers, ingenitus & immortalis animus. Ex suppositione verò Analysis talis est. Quisquis aliquid inuestigat, illud ipsum supponit: deinde quid ad suppositum sequatur, considerat. Posthæc si eius quòd suppositum est, ratio reddenda sit, aliam suppositionem assumēs, querit utrum quod prius suppositum fuerat, rursus ad alteram suppositionem consequatur: idemque obseruat donec ad principium peruenit quod non amplius ex suppositione sumitur.⁷ Inductio autem est omnis secundum rationem via, vel à simili ad simile progrediens, vel à singulis ad uniuersa. Vtilissima verò est ad excitandas notiones ab ipsa natura insitas.⁸ Orationis eius quàm propositionem vocamus, species due sunt: una



41
ALCINOI INSTITVTIO AD
quidem affirmatio, altera negatio. Affirmatio hæc est, Socrates ambulat: Negatio hæc, Socrates non ambulat. In affirmationibus autem & negationibus quedam est de genere vniuerso, altera de eius parte. De parte affirmatio talis, quedam voluptas bonum: negatio, quedam voluptas non bonum. De genere vniuerso affirmatio eiusmodi, Omne turpe malum: negatio, nullum turpe bonum. Ex propositionibus quedam Categoricæ sunt, aliæ Hypotheticæ. Categoricæ, quæ simplices, ut omne iustum bonum. Hypotheticæ, quæ vel consecutionem, vel repugnantiam quandam declarant.
10 Ratiocinandi verò artem Plato adhibet arguens & demonstrans. Arguens quidem, ea quæ falsa sunt interrogando: demonstrans autem, vera docendo. Ratiocinatio est oratio in qua quibusdam positis, aliud ab iis, vi tamen eorum quæ posita sunt, necessario efficitur. Ratiocinationum quedam Categoricæ sunt, aliæ Hypotheticæ: nonnulla ex illis mixtæ. Categoricæ, quarum tam sumptiones quam conclusiones, Categoricæ sunt propositiones. Hypotheticæ, quæ Hypotheticis propositionibus cōstāt: Mixtæ quæ vtriusque generis complexionem habent. Vtitur autem ille ratiocinationibus demonstrantibus, in dialogis in quibus id agit ut suam sententiam explicet: probabilibus contra sophistas & iuuenes: contentiosis autē in eos qui propriè contentiosi dicuntur, ut in Euthydemum & Hippiam. Cum verò categoricarum ratiocinationum figura tres sint, prima dicitur in qua extremum commune de hoc quidem enūciatur, illi verò subest. Secunda, in qua idem extremum de vtrisque enūciatur. Tertia in qua illud idem vtrisque subest. Extrema dico propositionum partes, ut in hac, homo est animal, hominē &

animal

animal, extrema appellamus. Atque in prima figura Plato interrogat, itēque in secunda & tertia. Et in prima quidem, sic in Alcibiade. Iusta, pulchra sunt: pulchra bona: iusta ergo bona sunt. In secunda, ut in Parmenide, Quod partes nullas habet, nec rectum, nec rotundum est. At quicquid figura est particeps, aut rectum est, aut rotundum. Quod ergo partes nō habet, figuræ nullius est particeps. In tertia sic eodem libro, Quod figuræ est particeps, quale est, quod figuræ particeps, finitum. Quod ergo quale est finitum est. Ratiocinationes autem Hypotheticas interrogatas ab eodem libris multis deprehendemus, & maximè in Parmenide. Si nō habet partes ipsum unum, nec principium, nec finem, nec medium habet. Si neque principium, neque medium, neque finem habet, nec extremum habet. Si extremum non habet, neque figuræ ullius est particeps. Ergo si non habet partes ipsum unum, nullius figuræ est particeps. At in secunda figura Hypothetica, quam plurimi tertiam nominant, in qua scilicet medium commune, extrema vtraque sequitur, in hunc modum interrogat. Si non habet partes ipsum unum, neque rectū est neque rotundū. Si figuræ est particeps, aut certū est, aut rotundū. Quare si partes nō habet, nec figuræ ullius est particeps. Quinetiam ad tertiam figuram (quæ nonnullis secunda est, in qua commune extremum reliqua duo antecedit) huius interrogationes in Phadone sic reuocari possunt. Si sciētiam ipsius æqualis adepti, nunquā obliuioni tradidimus, profecto scimus. Si autem oblitī sumus, recordamur. Mixtarum quoque ratiocinationum meminit, earum quidem quæ ex consecutione aliquid efficiunt, hoc modo. Si unum totum est & finitum, hoc principium & media finemque

K



habens, figura etiam erit particeps. Verum autem antecedens. Verum igitur consequens. Aliarum autem quæ ex consecutione euertunt, differentie sunt ex eo ipso considerande. ¹¹ Quando quis igitur perspectas habet animi facultates, hominumque differentias & orationis formas, quas variis variè accommodet, acutèque sentit, quis, quibus rationibus & cuiusmodi persuaderi possit: hic si nactus fuerit occasionem ad usum accommodatam, perfectus erit orator: eiusque Rhetorica, scientia bene dicendi merito nuncupabitur. ¹² Sophismatum quoque & captionum rationem, modò propius intueamur, in Euthydemo à Platone significatam deprehendemus. Si quidem eo & quæ secundum voces, & quæ secundum res ipsas sophismata committuntur, horumque explanationes indicantur. Atque etiam decem Categorias tum in ipso Parmenide, tum in aliis Dialogis quasi adumbravit. Notationis verò formam uniuersam in Cratylo est complexus: ¹³ Et planè hic vir admirabiliter perfectus in definiendo & diuidendo: quæ in illo vim Dialecticæ maximam declarant. In iis quæ in Cratylo traduntur illius mens est eiusmodi. ¹⁴ Querit naturane nomina constant, an institutione. Atque statuit, quod in ipsis nominibus rectum est, id institutione constare: non tamen omnino, neque ut fors tulit, sed ita ut eiusmodi institutio, naturæ rei sit consentanea. Non enim esse aliud nominum rectitudinem, quam institutionem, cum rei ipsius natura conuenientem: neque quamlibet institutionem ad rectitudinem nominis satis esse: neque verò naturam, aut in hac primum vocis sonum, sed quod ex utrisque compositum est: ut quoduis nomen ponatur rei familiaritate & proprium. Non enim si quodlibet nomen ad rem

quamuis temerè adhibeatur, rectè significat, ut si homini nomen equi imponamus. Si quidem loqui actio quædam est. Quare non quouis modo quis loquatur, rectè loquitur: sed si loquatur ut rerum ipsarum natura postulat. Quoniam verò eius muneris quod in loquendo versatur, pars quædam est rei cuiusque suo nomine expressio, ut orationis pars ipsum nomen, rectè vel non rectè nomen imponere, haud sanè cuiuslibet institutionis erit, sed eius in qua nomen cum ipsa re naturali quandam cognationem habebit: isque rectè nomina instituet, qui eisdem nominum naturas exprimet. Nam rei instrumentum nomen, est, non quodcunque sortè datum, sed naturæ consentaneum: eodemque res inter nos communicamus & discernimus. ¹⁵ Quo fit ut instrumentum sit, & docendæ & discernendæ cuiusque rei naturæ accommodatum: quemadmodum textoris radius, tela. Ad dialecticum hoc etià pertinebit, nominibus rectè uti. Ut enim radio textor utitur propriam eius functionem agnoscens, cum illum faber efformauerit: haud secus dialecticus nomine utetur, quod nominum auctor ut decet effinxit. Etenim clauum conficere fabri est: eo autem rectè uti, gubernatoris officium. Sic quoque nominum institutor rectè nomina statuet, si id fecerit quasi præsentem dialectico, ut eo qui perspectas habet rerum subiectarum naturas. Atque id quidem quod dialecticum, ad hunc modum sit descriptum.

Ia. Carpentarj Commentarius in Cap. 5.

¹ In prima philosophiæ parte quæ est de differendo, siue de methodo inuestigandæ veritatis & diuidendæ, videtur noster Alcinous magna ex parte Arist. potius sectari quam Platonica: & cum utrisque Stoica frequenter permiscere. Id quod quoniam, ut in præfatione dictum est, partis huius ad vnius artis formam reuo-



45
 catio, præceptorumque quasi in vnum corpus collectio, & horum ex relatione ad certum finem, apta distributio, Aristoteli penè propria est. In qua vix Plato quicquam sibi potest vindicare præter dispersa præcepta, quæ in huius Dialogis multa sunt, & præceptorum vsus, frequentibus exemplis in eisdem illustratum: qualia ex illo Alcinoos pleræque hoc capite commemorat. Primum verò constituendum, est quod ex capite superiore debuit intelligi, huic arti subiectam esse in natura rationem, quæ eiusdem præceptis excolitur tam latè suis in omnem partem, quam latè diffusus est illius vsus: in quo alius alium, vel solius naturæ præstantia, potest vincere. Nam cum eidem Platoni, ars omnis bene agendi, vel efficiendi consilium quoddam sit: quicquid est in quo nonnulli inter alios excellent, id aut iam arte aliqua comprehensum est, aut certè eiusmodi vt ad eam possit reuocari. Si quidem in illa præstantia & ingeniorum excellentia, aut artibus iam inuenta & cognita vsuque excolta, effectus quidam est, aut id ipsum quod arti non dum nata potest esse pro exemplari, si accesserit diligens eorum hominum obseruatio, quorum ingenia illam naturæ excellentiam sunt adepti. Sic enim natura artis exemplar & ipsa ars naturæ perfectio esse dicitur: quantum non vna & eadem ratione. Porro omnibus constare arbitror, alium esse rationis vsus in populari sermone, alium in accuratiore philosophorum doctrina quæ ad rudium caprum non solet se omnino demittere. Quoniam, vt Plato ait in Timæo, cum de re firma, stabili & mente comprehendenda differitur (apud eruditos præsertim) stabiles quoque & immutabiles, & quam maxime fieri potest, inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum autem de ipsius rei firmæ stabilitque simulachro disputatur, has verisimiles esse satis est: quæ ad superiores eo modo se habent, quo imago ad suum exemplar. Atque vt Arist. scribit lib. i. Ethic. Ipsum accuratum docendi genus non est in omni re, nec apud omnes simili modo postulandum. Tamque turpe est mathematicum popularibus rationibus vtentè, probare, quam ab oratore necessariam ratione requirere. In quo non solius inuentionis, aut delectus argumentorum singulorum, discrimen est, quod Thesaurus passim videtur arbitrari, sed etiam collocationis, huiusque rursus duplicis. Cuius scilicet pars prior singulis quæstionibus tractandis accommodata est: posterior verò doctrinæ perpetuati, in distributione multorum ad eandem quæstionem, vel certè (si quæstionum varietas est in re vnius generis, vel in affectionibus ad idem genus subiectum pertinentibus) illorum omnium ad eundem finem pertinentium. Ex quo apud Aristotelem profecta est vniuersæ artis differendi distributio in duas partes, vel potius in duas integras artes, vnam Topicam, alteram Analyticam. Quæ apud eundem non modo suis finibus tam manifestè differunt quam opinio & scientia: sed etiam argumentorum inuentione atque delectu, horumque collocatione: non solum ea quæ singulorum argumentorum est, sed & altera longè præstantiore, per quam intelligitur, in differendi perpetuatum, quid de multis ad eandem rem pertinentibus, debeat esse discrimen, quid postrequi præcepta de hac collocatione & methodo quæ in Topicis lib. 8. traduntur, cum iis sedulo conferent quæ permulta, illisque longè exactiora, artis Analyticæ parte posteriore ab eodem explicantur. Nam sicut à nobis in Animaduersionibus Dialecticis dictum est, & in præfatione Logici Organi pluribus expositum, ea quæ priore parte eiusdem artis Analyticæ de argumenti delectu & collocatione traduntur, vtriusque artis, Topicæ, inquam, & Analyticæ, communia sunt, sed certis de causis (quæ illic à nobis sunt reddita) ab Arist. cum parte posteriore coniuncta. Iam verò præter illam collocationis perpetuitatem, quæ propria est

methodi, quis nescit ad quæstiones singulas rationis vsus adhiberi, vel simplices rerum notionis definitione & diuisione explicando: vel in coniunctis verum à falso inductione nonnunquam, aliàs verò ratiocinatione, discernendo? De quibus vt definitio in simplicibus multa in vnum colligit, diuisio vnū in multa distribuit: sic in coniunctis inductione ex multis quæ continentur, progressionem habet ad vnū quiddam quod continet, ratiocinatio verò ex iis quæ continent, ad ea quæ continentur. Quæ cum quatuor sint, iis ab Alcinoos quinta adiicitur Analysis, quæ à nonnullis statuitur in perpetua collocatione, vel multarum quæstionum ad eandem rem, vel multorum argumentorum ad eandem quæstionem pertinentium. Quamquam hic etiam simplicibus notionibus & quæstionibus singulis accommodatur. De qua postea hoc ipso capite pluribus differetur. Nunc verò obseruandum est ab Ammonio, Commentario in præfationem Porphyrij de quinque vocibus, Dialecticæ Platonice, quatuor tantum potissima capita constitui, primum de definiendo, secundum de diuidendo, tertium de Demonstrando, quartum de Analyti: præterita inductione, quæ quinto loco ab Alcinoos ponitur, etsi in principibus differendi instrumentis non admodum necessaria. Ergo differendi ars, illa siue quatuor, siue etiam quinque, suis præceptis instruitur, & quo modo componenda sint, docebit. Quibus singula scientiæ in suo genere subiecto tractando, vtentur. Quæ quoniam hæc illis subministrat, idcirco eadem reliquarum scientiarum ministra appellatur. Vnde nata quæstio, quæ ab Aristotelis interpretibus variè disputatur, vtum hoc artificium differendi philosophiæ pars, an huius instrumentum tantum debeat nominari. De qua vide quæ à nobis dicta sunt in præfatione Logici Organi.

2. Locus Platonis est in Phædro, quem ex illo Cicero vsurpat lib. i. de Officiis, libris de finibus, & in Oratore. Aristoteles lib. 2. Analyt. post. de re simplici duo queri ait, an sit, & quid sit: sed primum an sit, deinde verò quid sit. Quoniam frustra queritur de re aliqua quam naturam habeat: nisi prius eam in natura esse constet. Ergo vel locus Platonis intelligendus est in disputationibus quæ frequentissime institui solent de rebus quas causa esse constat: vel in scientiis & artibus de genere subiecto, de quo, vt idem Arist. ait cap. i. lib. i. Analyt. post. initio ponendum, quia est. Vel si hoc quoque transferre volumus ad ea de quibus adhuc dubitatur, sint necne (vt de inani & infinito in physicis) in iis etiam à definitione erit incipiendum, non ea quæ naturam rei doceat, sed quæ vim nominis interpretentur: sine qua non potest de re subiecta, vtum in natura sit, sine errore iudicari. Sic enim Arist. ait cap. 7. lib. 2. Analyt. post. neminem de eo quod non est, scire posse quid sit, sed tantum, quid aut oratio, aut verbum significet.

3. Hic diuisionis nomine complectitur non eam modo quæ in genere proprie dicitur, sed & partitionem totius integri, quam cum illa in argumentandi legibus confundi Cicero verat in Topicis. Id autem fortasse facit Alcinoos ex eo quod Plato scribit in Politico, quicquid alicuius species est, eiusdem quoque partem esse. Galenus verò obseruat lib. 6. de decretis Hipp. & Plat. quantum non omnis pars species dici possit, à Platone tamen rationem, iram & cupiditatem, modo partes, modo species animi appellari: vt hoc loco partitionis exemplum propositum, diuisioni quoque possit accommodari. Nisi mallis diuisionis eius quæ proprie in genere dicitur, nulla hic exempla proferri, sed ea reici in sequentem locum, in quo de cõparatione diuisionis cum definitione differetur. Quod verò distinctionem vocis multiplicis, diuisionem etiam appellat, id facit repugnante Georgio Agricola & in eo ipso Boetium leuiter exagitante lib. i. de Dialecticæ inuentione. Reliqui duo modi, accidentium in subiecta & subiectorum



in accidentia, ita sunt intelligendi, ut non propriè accidens in subiecta, vel subiectum in accidentia distribuatur (nec enim hoc absolute Categoriarum distinctio permittit) sed accidens in accidentia, & subiectum in subiecta: accidentium tamen sub alio accidente communiore contentorum differentia petantur à subiectis, sicut & subiectorum, contra ab accidentibus. De iis plura scripta sunt à Boetio lib. de diuisione. In exemplo autem de diuisione bonorum, quod hoc loco proponitur, multa quidem sunt ad comparationem Platonis cum Aristotele pertinentia: sed ea commodius explicabuntur in tertia philosophiæ parte, de vita & moribus, commentario in cap. 20. libri huius.

4 De utilitate, quam diuisio ad colligendam rei cuiusque naturam affert, multa scribit Plato in Politico. Idemque in Sophista negat quemquam posse latentem rei vilius naturam discernere, nisi in ea ab aliis diuidenda, sit exercitatus. De differentia verò quæ adiecta generi definitionem perficit, sic loquitur extrema pagina Theæteri, Si differentiam cuiusque accipias quæ ab aliis est distinctum, definitionem, ut quidam tradunt, acceperis. Quandiu vero commune aliquid attingeris, illorum definitionem quorum communitas est, habebis. Aristoteles lib. 2. Analyt. post. definiendi rationem diuisione plurimum adiuuari faceret: quod per eam omnes differentia rei propositæ convenientes colligi possint, definitionem tamen ratiocinatione per diuisionem facta, omnino concludi posse negat. Quod hac aut nihil prorsus efficiatur, aut id postuletur quod in quaestione est positum. Idemque exactius hanc comparationem explicat cap. 14. lib. eiusdem, ubi ostendit etiam si breuissima definitio ea sit futura, in qua primo loco ponitur proximum genus rei definiendæ (sic enim minus erit laborandum in colligendis intermediis differentiis) aliquando tamen esse necessarium à superiore remotiorèque initium repetere: nec tum vllam ex intermediarum diuisionum differentiis ad rem pertinentibus, prætermittendam. Quod cum faciemus, plurimum interesse vult quo ordine singula disponantur, & quæ primo, quæ secundo loco constituantur. Atque cum in definiendo cauendum sit ne quid prætermittatur: eodem loco scribit id propemodum sola diuisione præstari. Quoniam, inquit, postquam primo loco genus acceptum est, si quis non proximam diuisionem accipiat, sed ad inferiorem aliquam transiliat: in partes diuisionis non cadent omnia quæ sub genere continentur. Ut si quis animal diuidat in ea, quæ alas habent perpetuas continuasque, & ea quæ diuisas non comprehendit omne animal, sed volucres tantum, quarum hæ sunt propria differentia, in quas non omne animal cadit. Quod idem in aliis generibus est dicendum. Id vero est quod hoc loco Alcinoi precipit, de genere per proximas differentias diuidendo.



O. V. HENRICO Memmio, in secretiore

Regis Senatu, P. C.

Iacobus Carpentarius. S.

SEquens disputatio de methodo, Ornatissimè & Humanissimè Memmi, antè annos octo nescio qua occasione, ex nostris in authorem hunc Commentariis selecta, seorsum in tuo nomine est edita: mihi fortasse antè tempus, quæ in regia professione paulò post inueni, eos motus peperit, quos non dubito quin adhuc memineras. Quare æquum visum est eandem nunc suo loco, melioribusque fortasse temporibus restitutam, te suum patronum, vel potius tutelarem Deum agnoscere: cuius auspiciis in illis fluctibus, saluis rebus, ad portum potuit peruenire. Sciebam equidem tibi multis honoribus aucto, grauiora deberi: sed piaculum erat semel consecrata, alio conuertere: & hoc opere confecto, cum iam cogitare inciperem de nostris in Lucretium disquisitionibus, quæ, ut ex sequentibus intelliges, te authore sunt instituta, sperare ausus sum, fore ut in his quas tibi iam pridè vouimus, cumulatius aliquando satisfaceremus. Modo nos non solum fauore tuo, sed tuis



49
in illum authorem vigiliis adiueris. Quod ut facere ve-
lis, te per philosophiam obsecramus: cui sicut multum tri-
buis, sic certè debes quam plurima. Quia te in Reip. admi-
nistracione imprimis exornauit, & in eum dignitatis lo-
cum extulit, ubi perpaucos habes pares. In quo diu uiue
& Vale.

IAC.



50
IAC. CARPENTARII
de Analytica methodo,
prima digressio.

IN QVA DISPUTATIONES
duæ, contra Thessalum Academia Parisiensis
methodicum,

¶ N E A S I T V N I C A , I N Q V A S E M -
per à generalibus ad specialia descendamus.



Nalyseos vocabulum, cum de methodo agitur, doctrina Aristotelica magis quam Platonica nobilitatum est. Siquidem ab eo Aristoteles Analytica inscripfit vniuersæ artis differendi partem præstantissimam: quam in priorem & posteriorem distinxit, atque libris quatuor est complexus: quibus, meo quidem iudicio, apud intelligentes nihil est in Logico organo admirabilius. Platoni verò familiaris magis est, Diæresis: cui ex altera parte Sinthesin opponit: sicut nonnulli apud Arist. Analyti, Genesin. In quibus primùm nobis obseruandum vocabula hæc, Analytin, inquam, Genesin, Diæresin & Sinthesin, nõ vno modo apud veteres vsurpari. Ideoque eorum multiplicitas hoc loco distinguenda, vt hac perspecta sine errore iudicare possimus de quaestione maxima: quam quidam contra Aristotelem, imò verò contra omnem antiquitatem, explicarunt, vt in omnibus artibus vnica methodus constituenda: De qua nunc paucis liceat cum illis agere: differetur autè de eadem aliàs in Logicae artis descriptione, pluribus: vt intelligant, non quod aiunt, idcirco nouam hanc, quam moliuntur, operis effigiem à nobis damnari, quòd opus nullum vnquam Methodica Aristotelis regula confecerimus, nunquam ab



aliis factum considerauerimus: sed quia in rebus omnibus nobis æterna & sancta est antiquitatis autoritas: nec vt ab ea facile deficiamus permittit, pudor fortasse subrusticus, sed vt arbitror minus reprehendendus quàm horum contra bonos scriptores omnes, confidens audacia.

ANALYSIS, vt intelligi potest ex Arist. cap. 3. lib. 3. Ethic. pertinet ad Geometrarum descriptiones: in eisque significat reuocationem eius de quo quæritur, ad principia in suo genere omnino prima, per ea quæ intermedia sunt. In quibus nullus gradus sine vitio præmitti potest. Hinc ab eodem translata ad artem demonstrandi: quam inde Analyticam appellauit. Vt in explicatione eius, quæ artium omnium exactè tractandarum regulam continet, vel sola inscriptione indicaret se maximè Geometras imitari: vt exactissimos artifices & valde Methodicos: tales enim hos cum antiquitate existimabimus, tantisper dum ex eadem impudentia schola, plaustrum animaduersionum in illos expectabimus. Quanquam verò Aristoteles eandem nonnunquam appelleret artem demonstrandi: non est tamen fortasse omnino idem quæstionis propositæ Analysis facere, & eam per suam causam demonstrare. Analysis enim facit, qui ab illa descendit ad proximam causam, ab hac ad secundam, indeque ad tertiam: donec ad prima omnino peruenerit: in quibus animus conquiescit, nec amplius priorem causam inquirat. Demonstrat verò, qui à causa natura prima, resurgit ad proximam, indeque per intermedias, ad quæstionem propositam: sicut in explicatione secundi exempli notari hoc loco in Alcinoo potest. Qui etiam si cum priore suam Analysis persequente, commune habeat spatium in quo versetur, nempe id omne quod inter quæstionem & causam in eo genere primam, est interiectum: ratione tamen ab illo non minus distinguitur, quàm is qui per aliquod interuallum ascendit, ab altero qui per idem descendit. Sicque Arist. cap. 3. lib. 3. Ethic. deliberationem in iis quæ ad mores pertinent, cum actione quæ illam sequitur, comparans, ait eam Geometrarum Analysis in descriptionibus imitari. Quoniam pro rato posito sine (neque enim de hoc vult deliberari) inquirat quomodo ad eum perueniri possit. Quod si compluribus rationibus eum parari posse constet, tum qua facillimè & optimè possit, inuestiget. Sin vna via, quo modo per hanc, & que eousque faciat, donec ad primam causam ventum sit, quæ in inueniendo est postrema. A qua actio contra, primum excitetur, & per eosdem gradus in finem desinat, qui in deliberando primus ponebatur. Hæc mihi analysis prima vis, in differendi arte apud Arist. esse videtur. Quod nomen postea nonnulli in ea etiam methodo usurparunt, quam in colligen-



da definitione idem præscribit cap. 14. lib. 2. Analyt. post: indeque descensum omnem à generalibus ad specialia, Analyticum appellauerunt, non valde repugnante me. Vt hoc nomine, de duobus ordinibus à Platone laudatis in Phædro, alterum complectamur: quem animaduerto Aristoteli in docendo valde familiarem. Quanquam hic eo loco diarefin potius quàm analysis nominet, ex eoque concludat definitionis colligendæ rationem diarefi valdè adiuuari. Ex quo fortasse est effectum, vt nonnulli diarefin ad Analysis reuocant, illamque huius partem quandam fecerint. Est etiam Analysis quædam totius integri in particulas vltimas, per partes principes, aut alias quasuis intermedias: vt cum ciuitas in suos ordines, hique in singulas familias distribuuntur: vel ratiocinatio in pronunciata, rursusque hæc in attributum & subiectum, quæ inde Analyseos extrema ab eodem appellantur cap. 1. lib. 1. Analytic. priorum: quod in ea ratiocinationis, per media pronunciata, analysis desinat. De tribus autem Analyseos modis qui nunc ab Alcinoo notantur, duo potestiores facillè ad eum referri possunt, quem de Mathematicis ad differendi artem translatum esse volumus. In primo, hæreo. In quo etiam si facillè sit distinguere gradus quosdam per quos animus ascendit à sensilibus, ad ea quæ omnino corporis expertia sunt, & à sensilibus separata, per multa intermedia: vix tamen in Aristotelica aut Platonica loquendi consuetudine, Analyticum hoc videri potest: nisi eadem ratione à rebus singulis ad notionem specialem, & ab hac ad maximè generalem, in abstrahendo facta progressio, analytica quoque esse dicatur. Quod si admittimus, quis non videt non modo Platonis diarefin, sed etiam huic contrariam synthesein, ad analysis reuocari? Sed de huius nominis varietate fortasse plus satis: reliqua breuius persequamur. Genesis, originem significat rei alicuius ex eorum quibus constat collectione atque vnione: si modò illa est eiusmodi vt partes habeat. Et quia totum dupliciter dicitur, nempe quod integrum est, & quod vniuersum: idcirco illa cum de ordine quæritur, significare potest progressionem à partibus ad totum integrum (sic enim partes toto integro genesis priores sunt) & ex formis ad genus vniuersum. De qua, licet ex sequentibus intelligetur, non est eodem modo iudicandum. Usurpari quoque potest in moribus, pro descensu à fine ad media, in deliberando: & pro ascensu à mediis ad finem, in agendo. Sic enim dicimus deliberantibus finem ex se media gignere, & agentibus media de se finem ipsum excitare. Haud dissimilis est varietas in diarefi & synthesei. Nam vt totum dupliciter dicitur: sic eius quoque duplex distributio est, duplexque compositio. Atque vt ex fundamento, pariete & tecto domus componi



dicitur: ita quodammodo ex rebus singulis speciales notiones, & ex specialibus generales. Itēque contrā, vt domus in fundamentum, parietem & tectum distribuitur: sic genera in species, & hæc in res singulas: sed distributionis & compositionis modo valde dissimili.

Quibus ita positis, iam ad nostrum methodicum Thessalum veniamus: sic enim eum qui nobis istam quæstionem attulit, honoris causa placet appellare: quod apte cadere in illum videantur omnia quæ de Thessalo scribit Galenus lib. 1. Methodi.

Hic Methodum vnicam esse vult, eamque Analyticam: repugnante Platone, Aristotele, Galeno, omni denique antiquitate: sed hoc fortasse suo iure facit, pro ea scilicet libertate, per quam illi noua academia concedit, vt nullius nomini addictus, merito omnibus veritatem anteponat. Itaque nullius autoritate nobis premendus est, sed momenta rationum modo consideranda: vt ex horum comparatione veritas elucescat. Qua perspecta facile, vt opinor, illos hac in parte omni suspitione erroris, vel inconstantia liberabimus: eademque opera efficiemus vt intelligatur hunc nostræ academiæ Thessalum in ista quæstione semper sui similem, id est in antiquitatem contumeliosum esse, & nescio quibus nugis, in quibus iam pridem consenuit, modoque repuerascit, sic inolescere, vt suis humeris Philosophiæ regnum gestare videatur: In qua disputatione, ne in verbo magis quam in re laboremus, constituamus quid Methodi nomine significetur: vt ad id tanquam ad regulam, nos in hac disputatione referamus. Sit verò hæc, in multis ad eandem rem siue artē pertinentibus, nec tamen eundem gradum in hac obtinentibus, viæ siue ordinis institutio: in qua primum quiddam quasi pro capite, vel reliquorum fonte ponatur. Deinde consideretur quid ex illo principio sit secundum, quid tertium, ac deinceps quo modo vnumquodque consequatur. In hac Methodi ratione, quæ ex Galeno lib. 9. de placitis Hippo. & Plat. est descripta, video cum Methodico Thessalo mihi bene conuenire. Idque vt omnes intelligant, commemorabo quæ ille superioribus Galeni verbis subiicit: Hic, inquit, Methodicæ collocationis, de qua loquimur, & quam vnicam probamus & sequimur, species videtur à Galeno definiti. Quam definitionem si sequare, eamque rem velis Methodum appellare, & Methodi nomine contra medicas hanc primi, secundi, tertij, quarti loci dispositionem à Galeno locis de quibus differemus, intelligi, & plures atque collocandæ vias & Methodos tales à Galeno constitui, re ipsa iam non verbo dissidemus. Atqui ego sic, intelligo Thessale, & secundum hanc propositi nominis notionem contendo, Methodum

unicam esse non posse. Cedo enim num vt in docendis artibus, postquam iam sunt inuenta, earumque rudis materia est collecta, istiusmodi gradus à peritis artificibus sunt distincti: sic erunt apud solertes artium inuestigatores: nec omnia simul ab illis inquirentur, sed in iis quædam erunt prima, alia secunda, itēque tertia & quæ deinceps consequantur: An in docendis rebus iam inuentis, ignoratione Methodi confusio quædam esse poterit: in earundem inuestigatione nulla vnquam erit: Aut in rerum inuestigationem aliquando confusionem cadere concedes: in illa Methodum esse vllam omnino negabis: Non dicam id tibi propter contrariam summorum Philosophorum autoritatem non licere, sed propter eum vsus, qui te tam multa docuit. Nec enim qui primi in notandis differendi præceptis ex vsu obseruatione laborarunt, sine ordine id fecerunt. & si verum fateri vis, in iis erroribus quos in illorum scriptis tibi fingis, non solum explicandis, sed etiam inuestigandis, sine aliqua Methodo minimè es versatus. Et certè Galenus, cuius definitionem probauisti, id ipsum quod discepto aperte fatetur cap. 4. lib. 1. Methodi. Methodo quippiam inquirere & inuenire, inquit, ex aduerso opponitur ei quod est fortuito temerèque reperire. Est autem id cum via quadam & ordine, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipsum quod ab initio est propositum, sit peruentum. Verum animaduerto quid mihi sis dicturus, te scilicet ordinem aliquem in inuestigandis rebus agnoscere: sed de eo hoc loco non agere, nec completi appellatione eius Methodi, quam vnicam esse contendis. Sic enim scribis eodem loco: Non differimus hic quomodo res *ἐπιστημονικῶν* sint inquirendæ: sed quomodo cum inuenta fuerint, collocandæ & quomodo ordine disponendæ. Et vt apertius sententia tua intelligatur, idem postea repetis. Dico (ais) cum totius artis materia sit inuenta, definitiones, regulæ, partitiones, ceteraque omnia decreta constiterint: cum sit etiam illa materia iudicata, totius huius scientificæ & artificiosæ materiæ dispositionem vnicam esse. Imò vt gratificeris nobis amplius, non modo in inueniendo ordinem agnoscis, sed eum contrarium esse vis Analytico: quem rerum inuentarum explicationi præscribis. Ita enim ineptam Galeni reprehensionem, de qua postea tecum differetur, eodem loco concludis. Omnium artium inuentio & obseruatio, licet summum artis finem propositum semper habeat, à sensibus oritur, & inductione singularium ascendit ad specialia, à specialium inductione ad generalia. Quam comparationem duorum ordinum si ad causas & res effectas, vel ad principia & ea quæ ex principiis oriuntur, referamus: in illa agnoscemus Platonis dubitationem: qui, vt Arist.

*Methodus
quædam in ar-
tibus inuesti-
gandis.*



ait. i. Ethic. quaestionem hanc attulit vtra via esset tenenda, an quæ à principiis, an quæ ad principia: quemadmodum in stadio ab iis qui præmia cursoribus proponunt, ad metam, an contrà. Si quidem omnibus est manifestum eos qui veritatem, causæ cognitione comprehensam, in rebus abditis inuestigant, ex effectis ad principia & causas de quibus illa orta sunt, proficisci: sicut & in simplicibus notionibus efformandis, speciales primùm ex rerum singularum imaginibus, deinde generales ex specialibus effingere. Ex quo ab Arist. hunc ordinem cum contrario descensu à generalibus, comparante, dictum est cap. i. lib. i. de Animo, animal vniuersale, aut nihil esse, aut esse post singula. Et tamen hic noster Methodicus, illum Platonis locum, veræ Methodi turbatorem appellat: quod eum suis somniis parum accommodum arbitretur: quem minimo negotio, salua etiam hac falsa sua opinione, poterat retinere. Sed hoc postea videbimus cum huic disputationi nostram, id est Platonis & Aristot. de Methodi varietate, sententiam subiiciemus. Nunc ex huius ore hoc vt confessum & manifestum arripiamus, analytico ordini contrarium esse alterum rebus & artibus inuestigandis accommodatum: sed eum hoc loco certis de causis prætermitti, ex eoque cõcludi, reliquum ordinem esse vnicum. Sed dic mihi, Thessale, cur illum prætermittis: aut certè si pro tua regia autoritate, sine ratione prætermittere potuisti cur eos reprehendis qui non solum docendum putauerunt quo ordine res explicanda, postquam iam sunt inuenta, sed etiam quâ Methodo essent inuestiganda? Atqui necessariis rationibus videor efficere posse, illam Methodi partem non esse à te prætermittam, sine magno vitio eius artis, de qua in integrum restituenda tam superbè cogitas, & in quam ab annis quatuor & viginti totus incumbis, sudans, nitendo, neque proficis hilum. Etenim Logicam artem, quæ rationem instruit, perficere vis. Atque pro fundamentis tuarum Animaduersionum & Institutionum à te alio loco est positum, eius explicationem tam latè patere oportere, quam rationis vsum in natura: vt imago, quoad fieri potest, suo exemplari respondeat. At rationis naturalis vsum in ordine appareret, non solum cum de explicandis rebus iam inuentis quaeritur: sed etiam cum in eisdem inuestigandis est laborandum. Cur igitur illam naturalis rationis partem tuis præceptis de Methodo, vt tu quidem arbitraris, excoluisti, vt verò docti iudicant omnino, peruertisti: alteram non modo non attigisti, sed eos reprehendisti qui eam suis scriptis illustrare sunt conati? An quia de explicatione artium iam inuentarum cum Aristot. imò verò cum omni antiquitate contendebas: in earum autem inuentione minimè laborabas? Sed finge ea tempora quibus res naturales vel medicæ nondum erant obseruata. Cum earum multi gradus sint, an de omnibus notandis homini natura solerti &

Lib. i. Animaduersion. & lib. i. Diale. Instit.

sagaci simul cogitandum existimabis? Atque hoc sine magna confusione facere non poterit: nec certè is faciet in quo singularis naturæ bonitas apparebit. Quid igitur hic, nulla adhuc harum artium cognitione instructus (talem enim fingimus) facturus est? Si de rerum naturalium, aut medicarum simplicibus notionibus efformandis agatur: à singulis quæ in sensum cadunt, ducet initium. Ex communiōne naturæ in illis perspecta, speciales notiones effinget: ex iis rursus inter se comparatis, aliam generalem colliget: donec ad summam peruenierit, in qua vniantur omnia quæ arti inuestiganda sunt subiecta. Si verò ad ea progrediatur quæ in affirmatione & negatione, veritatis aut falsitatis significationem continent: rerum effectus notabit & in iis quidem primum eos qui sunt in natura potestremi. Ab iis progredietur ad proximos: deinde à rebus effectis ad causas: quas gradatim persequetur, nec prius inuestigare desinet quàm ad primam peruenierit. Hanc progrediendi rationem in illo naturæ tuæ splendore, quo veteres omnes superas, sape, credo, sensisti. Si verò in eo ne conuictus tenearis, verbo magis quàm sententia, mihi resistis: testes appello omnes eos qui in hac rerum inuestigatione, quid natura solers possit efficere, in se ipsi sunt experti. Quoniam iam in eas angustias sum redactus, vt contra Thessalum, omnium veterum iuratum hostem, Platonis, Aristotelis, Galeni autoritate vti nō liceat. Porro eiusmodi solertiam arte aliqua regi, vel perfici posse, ex eo intelligitur, quod id omne in quo vnum ab alio naturæ impetu, vel solæ exercitatione, quam nulla ars adhuc antecessit, superari contingit: cum in pluribus fuerit obseruatum, artis præceptum parit. quod post artem natam, ceteris bene agendi consilium præstat. Ergo si non solum in explicandis inuentis, sed etiam in inuestigandi solertia, ordinis obseruatione alius alium natura plerumque superat: sicut certè superatamque suis præceptis explicare, & aliis imitandam proponere? Ea opinor, quam Logicam appellas. Quoniã hæc, sicut vis, rationem instruit: ad quam pertinet hæc ordine facta rerum inuestigatio: tamque latè patere in suis præceptis debet, quàm latè susus est rationis ipsius, in vso naturalis perfectio. Cur igitur in hac rerum inuestigandarum Methodum prætermittis: cum de Methodo explicandarum rerum quæ iam sunt inuenta, tam multa scribendo eaque tam frequenter repetendo nos eneces? Sed quid tam multis rationibus contra te opus est, cum id ipsum quod contendimus, tua autoritate conficere posse videamur? Lib. 3. tuarum Institutionum, exercitationis Dialecticæ duas partes facis, eaque inter se cõtrarias: vnã in exploratione disputationis iam factæ, alteram in nouæ effectione & compositione. hanc Genesin, illam Analysin vis nominari. Verum si vtra-



que Dialecticæ artis est, eaque non ad singulorum inuentionem vel iudicium pertinet, sed ad perpetuitatem operis, quod vel per Genesim conficiendum est, vel de quo iam confecto, per Analysin iudicandum: annum in vtraque Methodum aliquam sequi erit necesse? Non eandem opinor, siquidem illa duo sunt inter se contraria. Fatearis igitur necesse est Methodum esse vnam construendis artibus accommodatam, alteram eisdem retexendis, atque vtramque Dialecticæ exercitationis propriam. Quibus omnibus si te eod expediri arbitraris quod in Dialecticis Institutionibus, vbi de exercitationis partibus agebatur, vtraque Methodus distinguenda fuerit & explicanda, hic verò minime idque, quoniam de collocandis artibus iam inuentis, non de earum prima origine quærat: nō satis animaduertis ex quo Aristotelis loco nata sit hæc tua de Methodo digressio. Recordare verò ex eo profectam quod Aristor. cap. 2. lib. 1. Analyt. Post. Cùm priora & notiora dupliciter dici proposuisset, ad eorum distinctionem explicandam talia subiicit. Dico nobis quidem priora & notiora, inquit, quæ ad sensum propius accedunt: absolute autem priora, quæ longius à sensu sunt remota. Remotissima verò sunt quæ maximè vniuersalia: proxima, quæ singularia. Atque hæc inter se opponuntur. In quibus quamquam vulgaris notiorum priorumque distinctio (quæ mihi quidem certè in Philosophia necessaria esse videtur) variis rationibus à te exagitetur: de ea tamen nunc non disputabo, quod ad eam quæstionem alius locus mihi sit institutus. Sed id solùm contendam, Aristoteli in illa non minus, aut etiam fortasse magis, ordinis rationem habuisse in rebus inuestigandis, primæque veritatis inuentione, quam in eadem explicanda, postquam inuenta est & cognita. Ideoque de specie in rebus singulis proxima, hic aliter sentit quàm cap. 1. lib. 1. Physic. Si quidem ex iis quæ nunc dicuntur, effici, vt opinor, vides speciem suo genere esse nobis notiores: quia rebus singulis propinquior est. Ac in Physicis contra, genus sua specie nobis est notius & ad nostram imbecillitatis captum accommodatius. Quæ duo, sententiæ in Arist. nullam contrarietatem habent, etiam si falsa eius imagine nonnulli interpretes in illorum comparatione valde laborent. Sed existimandum est illum in Analyticis obseruare primam notionem in animis efformationem, in qua est inuestigandæ veritatis principium (Sicut idem confirmat cap. 24. lib. eiusdem & cap. vlt. lib. 2.) in Physicis verò non iam id agere, vt doceat quo ordine notionem communes rerum naturalium in animo omnino rudi, vel in intellectu tanquàm in tabula nuda, primum colligendæ sint: verùm quomodo assiduis auditoribus (quales illa acroamatica desiderant) qui iam in illis aliquid sunt adepti,

pti, explicandæ & enodandæ. Atqui certum est vel te ipso iudice, specialem notionem facilius efformari quàm generalem: quoniam ad illam pauciorum obseruatione opus est. At postquam vtraque iam efformata, prius & facilius nostra imbecillitas re quamque obiectam apprehendit sub genere confuso, quam sub eiusdem specie enodata. Adde quod Analytica ars, quæ tibi tuam in Animaduersionibus digressionem peperit, apud Aristotelem non minus est inuestigandæ veritatis & in animis nostris diiudicandæ, quàm cum aliis communicandæ & explicandæ. Quoniam in ea potissimum ostenditur quomodo à proposita quæstione ad primam causam, per intermedias, proficisci debeamus. Hoc verò inuestigandæ veritati imprimis est accommodatum. Quæ postea à causa prima incipiendo, & per intermedias, ad eandem quæstionem redeundo, doceatur & explicetur. Cur igitur eo loco in quo de prima notionum efformatione veritatisque inuestigatione potissimum agitur, cùm eam digressionem adornas quæ vniuersum tuum lepidum artificium continet, vel eum ignem quem de celo clepsisti, Methodum rerum inuestigandarum omnino respicis, de altera tanto studio contra antiquitatem disputas? Equidem cùm attentè mecum considero quomodo possis hunc nodum soluere, & de eo nonnunquam cùm illis communico quos existimo in tua doctrina inter alios magis exercitatos (etenim vt id tecum faciam nescio quid non permittit: & etiã si id maximè velim, intelligo tamen quàm inutiliter sim facturus cùm eo homine qui nihil noui habet in promptu, sapitque tantum ex commentariis in aliquot locis communibus, quasi in suo Marathone & Leuctris) cùm, inquam, hoc considero, soleo mihi fingere, vel existimasse te hanc Methodum ad priorem partem huius artis, quæ de inueniendo est, pertinere: vel eandem iudicasse cùm tua Analytica: vel denique eiusmodi vt ex Analytica facilè poterit cognosci. Quid enim quartum possis comminisci? Atqui si ad inuentionem pertinere vis, mancas hac in parte Dialecticas tuas Institutiones fatearis esse necesse. In quibus cùm inuentionem tradis, ne verbum quidem est vnum de hac inuestigandi Methodo in prima notionum efformatione, vel artium inuentione per certos gradus distincta. Quæ tamen si illius est, in ea principem locum debuit obtinere. Nec verò potest ad inuentionem quàm tu eo loco definis, referri: nec in illius explicatione, quàm ipse affers, comprehendit. Posita quæstione, ais, de qua differendum est, argumenta quærentur. Deinde iis via & ratione dispositis, quæstio ipsa explicatur. Tertia mentis actio in differendo nulla. Non vides totam inuentionem tuam, esse sitam in excogitandis singulis argumentis, per quæ singulæ quæstiones, in quibus de veritate vel falsitate agitur, possint tractari? At hic de ve-



ritate quaestiois nondū agimus, nec de singulis argumentis ad quaestione pertinentibus: sed quo ordine rerū multarū varia notiones in animo nudo efformāda, aut in ea obseruatione, qua artes parit, quid debeat esse primum, quid postremū, quid medium. In quo retexendo, post artem inuentam, ipse artifex secundum alteram Methodi speciem elaboret. An igitur ex locorum ordine, quem praescribis, existimasti hanc Methodi partem potuisse intelligi? Erras, si id credis. Primum enim locum tribuis causis, secundum effectis, tertium subiectis, quartum adiunctis: quae quanquam in exacta rerum iam inuentarum tractatione isto ordine soleant collocari: prima tamen inuestigatio ferē contrario modo ex adiunctis ad subiecta proficiscitur, deinde ex effectis in causas definit. Quae verō artis tuae pars illius ordinis inuertendi rationem explicauit? Aut in illa inuersione cum duplicē Methodum nobiscum agnoscas, cur in Arist. Analyticis post. vnicā in ea arte quae rationem instruit, retinuiisti: de altera, cuius esset, ne verbo quidem indicasti? Maiore fortasse probabilitate existimare potuisti hanc Methodi partem quam in tuis scriptis desideramus, cum illa quam amplecteris eandem esse. Et certē, vt tibi nonnihil concedam, in eodem interuallo vtraque versatur: atque eadem habet extrema, sicut & media, vnāque est eo modo quo viam eandem dicere solemus quae fert Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Quod Arist. ait lib. 3. Physic. Verūm, vt in loco si interuallum reipsa vnum est & idem, non continuō efficitur motus omnes in illo, vnius & eiusdem speciei existere: sed plerūque eos contingit esse contrarios (sic enim ascensum descendui contrarium esse dicimus, etiam si motus vterque in eodem spatio versetur) haud aliter de duabus his Methodi partibus videtur esse constituendum. Nam quanquam vtraque versetur in percurrente spatio quod inter res singulas & summum genus, vel primam causam & summos rerum effectus existit: alia tamen est ratio, atque adēd contraria, progrediendi à rebus singulis ad summum genus & regrediendi à summo genere ad res singulas, per ea quae sunt interiecta. Nec verō distinctio Methodi tam ex ipso spatio spectari debet, quam ex modo progrediendi. Itaque de tribus illis quae ad erroris, vel negligentiae tuae excusationem proposita sunt, vnum vides esse relictum: vt dicere posse videarishanc Methodi partem rebus inuestigandis accommodatam, ex altera, tam multis verbis à te celebrata, tam facile potuisse intelligi, vt nouo praeepto vel consilio non egeat. Quid enim, inquires, facilius quam cum docueris per quos gradus à summo ad imum descendendum sit, per eosdem intelligere ab imò ad summū prius fuisse ascendendum? Atqui non quaero, Thessale, quam multis debuerit explicari: sed hoc solum contendo, cum de

Methodi distinctione in Aristotelis doctrina ageretur, hanc partem in illa non potuisse sine vitio praetermitti: etiam si cum in ipsa diuisione esset numerata, breuius potuerit explicari, propter multa quae habet cum altera Methodi parte communia. Neque verō hinc plus tibi debes arrogare, quam Aristoteleis voluisti licere: quos seuerē reprehendis si quando ea praetermiserint, quae facile intelligi posse concedis. Recognosce enim tuā in illos animaduersionē de neglecta Dialectica definitione & distributione. Aristoteles, ais, non definit Dialecticam in vniuersum, non distribuit: non definit denique artem. Aristotelei fatentur. At inquit, haec facile intelligi posse. Video inquam posse, neque despero quin aliquando intelligantur. Sed obsecro te, Aristotelee, qui ista defendis, si pictorem aliquem ad te pingendum certo pretio conduxisses, isque tui corporis imaginem truncam & sine capite, sine principibus membris tibi pinxisset: cum portentosam illam picturam proponeret, quamuis meminisses te caput & humeros habere, num tibi stomachum faceret? cachi num excitarer? id credo non negabis. Cur hanc igitur animi tui (quae tantò tibi tot studiorum, laborūque pretio paratur) imaginem, prima summāque sui parte carentem probabis? Non sunt, non sunt, inquam, o Aristotelee, artes idcirco inuenta ac laudata, quia praetermitterent quod intelligi possit: nihil est enim in artibus comprehensum, quod sine artibus intelligi non possit: singulae enim res antè cognitae sunt, quam vniuersae praeeptis concluderentur. sed laudantur artes, quod tam facile explicent res omnes sibi subiectas, vt facillimè & certissimè earum praeeptis intelligi possint. Sed nimis yrgeo & hac in parte sic haeo, quasi hoc solum in Methodici arte, de Methodo peccatum sit, quod eam praetermiserit quae rebus inuestigandis est accommodata: cum in illa alia tam multa sint, vt mihi verēdum sit ne in singulis persequendis, non possit haec disputatio exitum reperire. Itaque iam bona fide tecum paciscar, Thessale, nos de ea tantum agere secundum quam, vt ais, cum artis materia sit inuenta, definitiones, regulae, partitiones, ceteraque omnia decreta constiterint: cum etiam materia illa fuerit iudicata, iam disponenda est, & cum hominibus aliis communicanda. Quam tu Methodum doctrinae appellas, vt eam significes rebus docendis magis quam inueniendis esse accommodatam. Hanc, inquam, doctrinae Methodum vnicam esse vis: ego verò multiplicem: eiusque partes inter se differentes esse contendo. De quo si mihi cum Aristoteleo esset differendum, quoniam vnum sicut & multa, dicitur partim genere, partim specie, partim numero (sic enim Aristoteles, ipse distinxit. lib. 1. Top.) quaereret quo horum modorū Methodū, quam Analyticam appellas, vnicam esse velis? Et quoniam quod ab-

Lib. I. Anomal.



solutè vnicum esse verè dicitur, id aut numero, aut certè ima specie (quàm Aristoteles nonnunquam indiuiduam appellat) vnum esse oportet: facillè opinor, efficerem, vel te iudice, Methodum doctrinæ specie ima vnicam, id est in alias species indiuiduam dici nullo modo posse: multo verò minus numero. Nam si Analysis, sicut vis, complectitur descensum à generalibus ad singula, per intermedia specialia: à fine ad media: primum quidem ea quæ illi sunt proxima, deinde ad alia quæ ab eodem sunt remotiora: à partibus totius integri eiusdemque primis elementis ad totum: à causis ad res effectas quæ ex illis manant (hos enim quatuor doctrinæ modos animaduerto te Analyticos nomine esse complexum) quis Aristoteles in tanta partium varietate, dicere auderet Analysis, quæ hæc omnia sic inter se differentia complectitur, omnino vnicam esse? Quid enim vnusne & idem descensus videri potest à genere ad species, à membris & partibus ad totum integrum, à fine ad media, à causis ad res effectas? At qui vnum & eundem esse oportet, si omnino vnica est: aut si vnica non est, neque omnino vnica est Methodus, etiam si Analytica esse dicatur, quæ tam multiplicem descensum in se complectitur. Sed ea tantum genere fortasse vna, quæ in species multas à se inuicem proprietate quadam differentes, eademque communiōne naturæ inter se connexas, distribuatur. Hoc si dicere voluisti, nihil habet, hac in parte, ista doctrina quod tuum dicere possis, præter affectatum studium contradicendi. Quis enim negauerit eius Methodi quæ ad docendas res accommodata, generalem rationem esse vnā, positam in progressionē à primis ad vltima, per intermedia: hanc verò non omnino vnicam, sed diuiduam in species siue modos tam differentes, quàm diuersa illorum graduum habitudo in genere & formis, in fine & mediis, in partibus & toto integro, in causis & effectis. At verò quia mihi res est cum Thessalo, qui illud Aristotelis, de tribus rerum differentiis, non probat, sed pro eo suum commentum nobis opponit, res eadem diuersas esse causas, effectis, subiectis, adiunctis, dissentaneis, collatis, nomine, tributione, definitione, testimonio (eius enim verbis vtendum est, ne in suo regno offendatur) aliter disputatio institueda, atque quarendum: num quatuor illos Analyticos modos vno eorum quæ enumerata sunt, vel etiam pluribus differre arbitretur. Quibus si plurimum differunt, vt certè differunt, cur Analysis in illos modos distinctam, vnicam esse contendit? Quanquam dum eius scripta attentius considero & quod pudet me fateri, in istis nugis inter se conferendis oleum & operam perdo: animaduerto huic aliter placuisse Analyticam Methodum vnicam esse. Nempe quòd in ea semper à generalibus ad specialia descendamus. Sic enim ille concludit.

Lib. 9.
Animad.

Aristotelis igitur veram doctrinam à scholastica fallacium & mendacium interpretum inertia, vindicemus: vnicam denique ab vniuersalibus & generalibus ad singularia specialiaque Methodum Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni etiam Methodum teneamus. Ergo in Analysis quadruplicem illum descensum retines, à genere ad species, à fine ad media, à causis ad res effectas, à partibus ad totum integrum: & tamen Analysis vnicam esse vis, quia semper à generalibus ad specialia progrediamur. Cur igitur cum primo loco descensum à genere ad species in illa notasti, huic reliquos tres modos tantquam differentes subiecisti: quandoquidem etiam in iis fateris nos à generalibus ad specialia descendere? Deinde si in iis à generalibus ad specialia descendimus, finis igitur generalior tibi erit mediis, causa rebus effectis, & partes toto integro. Hoc enim vides, opinor, si tibi constare vis, necessariò esse consequens. Quanquam quid ago, aut factisne sanus sum, qui in eo laboro, vt ratione extorqueam, quod ipse profiteris: imò verò nouæ tuæ doctrinæ palmarium ducis? Dicunt interpretes, ais, primo loco finem, secundo proxima fini, tertio tertiam ac deinceps reliquis locis reliqua, vt erunt fini viciniore, aut ab eodem remotiora, sic prius posteriùsve subducenda. Hæc rerum per tales gradus subductio, Methodus est Aristotelica: quam sequor & laudo. In quam interpretes, licet id minimè reputantes, quocumque consilio faciant, incidunt: quia via hæc progreditur à natura prioribus & notioribus, à generalioribus denique prænotionibus. Rationem verò audiamus propter quam finis, sicut arbitraris, mediis est generalior. Nam si finis est, ais, sunt etiam ad finem relata, non contra. An hoc est probare finem mediis generaliore esse? Atqui nobis, Thessale, animal generalius est homine, nec tamen si animal est, hominem esse oportet, sed si homo est, animal esse, necesse. Sic enim ex Arist. Topicis, & iis quæ Categorias sequuntur, didicimus. Sed reprimam me: ne in hac tua conclusionē aliquid lateat noui artificij, quod mihi nõdum satis sit perspectum. Nobis, Thessale, generaliora sunt quæ pluribus communicantur, de eisque interrogantibus quid sint aptè enunciantur. Nec verò tu in tuis institutionibus, in quibus serio philosopharis, generis rationem aliam attigisti. Ad quam si te hoc loco reuocamus, non vides quàm difficilè futurum sit, finem mediis, partes toto integro, causam rebus effectis, generaliore dicere? Quanquam in toto integro cum suis partibus comparato, vel in tota re naturali cum principiis, quem ordinem seruari velis, quisque, si tibi constare vis, in eo Analyticum dicere possis, profecto non video. Nam in animaduersionibus, de Physicis Aristotelis ita scribis. Vera hæc Methodus in Physicis seruatur, & quod verbis initio confunditur, id verbis



63
melioribus eodem initio corrigitur: & opere toto præclarissimè vindicatur, & à causis ad causata, à generalibus ad specialia, ab vniuersalibus ad singularia, à simplicibus ad confusa compositaque proceditur, non contrà. Et eodem loco scribis ex illa Methodi Analyticæ regula, in Grammaticis primo loco statui literam, ex qua dictio, ex dictione oratio: In Arithmericis vnitatem, vnde numerus. In Geometricis punctum, vnde linea, ex qua superficies, & tandem ex superficie corpus oritur (hæc enim tua sunt, quæ pro meis vsurpare non audeo, ne videar ex punctis lineam, ex linea superficiem, contra Aristotelis doctrinam componere) atque in illis omnibus quòd primo loco constituitur, *γενωότερον* videri ex eo confirmas: quod possit eius doctrina facilè sine consequentibus accipi: consequentium sine illo antecedente non possit. In quo duo sunt, Thessale, quæ efficiunt vt meritò in te maiorem prudentiam desideremus. Vnum quidem quod contra Peripateticos disputans, vnicam esse Methodum Analyticam, vt hac compositionem complectaris, quam illi ex altera parte Analytici opposuerunt, postulas tibi concedi id omne sine quo alterum intelligi non potest, esse illo generalius. At illud tibi hi non concedent nisi id ipsum de eo quo generalius esse dicitur, sicut dictum est, enunciatur: ac in eo tibi resistent, quòd priuatio sine antecedente haberi cognosci non possit: nec in prima notionum efformatione, species sine antegressa rerum singularum obseruatione: cum tamen nec habitus priuatione, cui contrarius est, generalior videri possit, nec res singularæ, sua specie. Dicentque te pro arbitrio nouum Dialecticarum vsusum constringere: non æquabili iure ex antiqua loquendi consuetudine contrà Arist. doctrinam disputare. Quis enim ante te peritium in totum Analysin esse dixit? Quod si, Thessale, de ordine inuestigandis rebus accommodato dicendum tibi esset, nonne fatereris in illo esse progrediendum ab antecedentibus ad consequentia, antecedentiaque ea esse, sine quibus consequentia intelligi non possent? Ergo si generalium rationem à te positam retinemus, etiam in rebus inuestigandis, non solum in docendis inuentis, à generalibus ad specialia fiet progressio. Quod, sicut vis, ordinis est Analytici. Et tamen hunc in docendis rebus, quæ iam inuentæ sunt, retines: in inuestigandis repudias. Non sentis quibus difficultatibus hæc noua opinio sit impedita? Alterum, quod cum hoc loco punctum linea generalius esse vis, non meministi te paulò ante finem mediis generaliore hac ratione collegisse, quòd si finis sit, sint etiam media relata ad finem, non contrà. Quam si in puncto & linea sequi nobis liceat, efficietur profecto contra quam statuis, lineam puncto esse generaliore. Quandoquidem manifestum est, opinor, si linea est, punctum esse o-

64
portere non contrà. Sed hæc non persequimur subtilius: ne institutionem de comparatione totius integri cum partibus, quæstionem præmittamus. Vis in Animaduersionibus nos in Analysin progredi à simplicibus partibus ad totum integrum, quod ex illis est compositum, in eoque, sicut antea dictum est, partis nomine in puncto cum linea comparato, abuteris. At lib. 2. tuarum Institutionum, cum in Grammaticæ explicatione, Methodi Analyticæ exemplum proponis, arbitraris in ea totius artis naturam primum definitione comprehendendam, secundo loco statui debere quatuor illius partes, Orthographiam, Etymologiam, Syntaxim, Prosodiam: tum partium harum definitiones tertio gradu superioribus connecti. Atque ita deinceps ad extremas particulas, ab integris rebus dispositionem debere progredi, eamque viam vnicam in tradendis artibus esse seruandam. Opinorum varietatem, ne dicam contrarietatem, vides. In hac quid sequar, Thessale? Ego quidem certè quanquam non dubitem, quin in docendis artibus progredi possimus à fine ad media & ab elementis simplicissimisque partibus ad composita: vix tamen assentiri possum vtrumque ad Methodum vnicam & specie indiuiduam pertinere. Quoniam in illis duobus video ea quæ pro extremis constituuntur, ex sua natura considerata & cum nostra cognitione comparata, rationem quodammodo contrariam obtinere. Nam finis, à quo in priore ducitur initium, cum destinatis mediis comparatus, totius rationem habet, summam destinatarum perfectionem in se continet, illisque fortasse vtroque modo est notior, & certè nascendi ordine postremus. At simplicissima totius integri particula, contrà, perfectionem suam à toto capiunt, illoque nobis longè obscuriores sunt, & nascendi ordine prima. Quomodo igitur ab iis facta progressio, vna Methodo eademque secundum speciem indiuidua, includitur? Eos qui à primis elementis totius integri, ad totum compositum progrediuntur, vis Analyticè ex simplicibus ad confusa proficisci (hæc enim tua verba sunt.) Atqui tu, tu inquam, qui doctrinæ instantiam tam superbè aliis soles obiicere, descensum à genere ad species, ad Methodum Analyticam cum superiore vnam & eandem, vis pertinere. Cum tamen certum sit generum notiones in hac primo loco positas, confusas esse, enodationisque indigere: quàm à formis, in quas diuiduntur, accipiunt. In quibus vides quid ex tua sententia efficiatur: Methodum scilicet Analyticam omnino esse vnicam, in qua à generalibus ad specialia semper descendamus: in illa tamè nunquam nos progredi à simplicibus ad confusa: alias verò contra, à confusis ad enodata, quæ eadem in naturæ ambitu sunt simpliciora. Id autem quid est aliud quàm hoc nomine abutèdo, vno genere velle



complecti ea quæ veteres in duas species distributa, suis etiam nominibus distinxerunt, vnũque compositionis, alterum Analyse esse dixerunt. Neque verò magis id mihi probatur, quod à partibus ad totum integrum tanquam à simplicibus ad confusa, vis analyticè nos progredi. Quoniam non valde commendabilis in docendo tua Analyse est futura, si ad confusa nos deducit. Præsertim cum proprium doctrinæ sit, non confundere, sed distinguere & enodare. Et certè quanquam à toto integro ad partes descendere, sit à confusis progredi: non tamen contrà, à partibus ad totum tanquam ad confusum dicimur ascendere. Quandoquidem partes eiusmodi prius quàm ad totum ventum sit, à se inuicem sunt distinctæ: nec amplius in illo confunduntur: etiam si in eodem coniungantur & vniantur. In quo vereo ne non satis attentè consideraueris, in quam sententiam partes modo confuse, modò distinctè in toto cognosci dicantur. Sed hoc tibi condonandum, quoniam fieri non potest quin ignoratione labatur in plerisque, qui in omnibus ad contradicendum magis quàm ad intelligèdum se comparat. Sed mihi crede, Thesale, solidiorem gloriam hac in re, sicut in aliis permultis, esses consecutus, si vetera retinere, quàm noua omnia facere maluisses. Si que in eis quæ, vt ingenue fatear quod sentio, ab Arist. interpretibus non sine magna obscuritate tractabantur, illustrandis, tantum studij posuisses, quantum in contaminandis. De quibus attende, si placet, quid in illorum præceptis à nobis primum sit obseruatum, deinde ex vsu notatum in grauissimorum Philosophorũ scriptis. Nec enim in hac quæstione tuos Poetas vel Oratores iudices esse volumus: lepidos quidem scriptores & venustos, quis negat? sed ferè semper contentos in collocando ea Methodi parte quam ipse communis prudentiæ esse vis: de qua hoc loco non differimus: vixque vnquam tentantes alteram exactam & philosophicam, rebus ipsis partim inuestigandis, partim docendis accommodatam, ac ne vix quidem eam in dicendi scribendive perpetuitate sine vitio seruantes. In quibus considerandis si possis ad aliquod tempus componere te, & indecorum ardorem istum senilem (ne verbo vllò grauiore te offendã) reprimere: senties fortasse illum tuum olim imberbem iuuenem, non esse fabrum huius nouæ architecturæ, quam adornas, omnino ignarum: nec solum præclari operis veram imaginem optare, sed eius in tuis scriptis falsam speciem merito damnare. Quippe qui Aristotelis Methodo, operis alicuius compositionem non infeliciter tentauit, & de ipsa fabricandi regula diu multum quæ cogitauit. Sed certè diligentius quàm vnquam antea, ex illo tempore quo est à te ad legendas tuas, de ista quæstione, nugæ ante annos quinque inuitatus.

Maxima

MAXIMA quæstio est de Methodo, & in differendi arte digna philosophi præstantia: vt in ea explicanda laborantes, minimè vereri debeamus, ne à nostræ professionis munere recessisse videamur. Nec verò in vsu solùm obseruationem longam desiderat (quod te nò later) sed in artis præceptis explicationem habet (quod minimè vis) difficillimam: quæ veterum & recentiorum philosophorum ingenia variè exercuit. In qua recum non dicam Aristotelem posse superari, si vlla re superari potest: sed cum potius tantum consecutum, vt huius beneficio longissimo interuallo antiquis præstiterit, & doctrinæ splendore posteritati præluxerit, spemque assequenda singularis industria omnino ademerit. Hæc autem in differendi perpetuitate ex collocactione multorũ ad eandem rem pertinentiũ, sed in illa non eundem gradum obrinentiũ, partem vnã instruit rationis eius, quã nobis natura dedit: eo ferè modo quo præcepta quæ de singulis argumentationũ formis traduntur, dirigunt alterã, singulis quæstionibus per singula argumeta probãdis accommodatam. Itaque perficit vt ea re homo homini præstet, in qua posita est summa eiusdẽ excellẽtia & propria naturæ dignitas: vt quæ hæc ipsa philosophiæ pars, siue ministra, quæ de differendo est, suo iure esse dicatur ars artiũ reliquarũ, nò modò explicandarũ, cum earum materia iam inuenta, sed inuestigandarum atque constituendarum. In qua cum eius iudicij quod à ratione manat, eademque dirigitur, summa vis appareat, soleo mirari, Thesale, cur in partibus huius artis Methodum à iudicio separaueris, & in diuisione dispositionis tanquam generis vnus, illi ex altera parte opposueris: eoque magis quòd hoc ipso loco primæ tuæ cogitationes, quibus olim Methodum iudicio, vt speciem suo generi subiecisti, postremis longè meliores mihi esse videntur. Hoc verò in scriptis tuis valde laudo, & cupidissimè amplector, quòd istam Methodum duplicem esse vis: vnã doctrinæ exactioris, alteram communis prudentiæ per omnia fusa & in diligenti circumstantiarum omnium obseruatione sita. Quam tamen fateris artis non nihil habere, in qua à priore, longo interuallo superetur. Sed cum istam posteriorem Poëtarum & Oratorum, vt popularium artificum, esse velis, illam Philosophorum & Oratorum agitur, eam prætermittendam putes: verum nescio quàm constanter in artis differendi vsu, ad Poëtarum & Oratorum auctiores minus, potius quàm ad summorum philosophorum grauissima scripta, nos reuoces: cum in illis eam Methodi partem deesse fatearis, quæ potissima est, & quam penè solam huius artis propriam esse vis. Quanquam nobis opera danda est, vt ex iis tuis nugis colligamus si quid inest boni. Equidem veritatis vis te coëgisse videtur ad pro-

Quæstio de Methodo qualis.

Dialecticarum Instit. editione 1.

N



bandam hanc distinctionem, quam à circumstantiis materiae petiram, alio loco superbe damnasti: & idcirco à communi arte omnino alienam esse putasti. Quam cum primum in institutionibus tuis olim animaduerti tibi placere cepisse, speravi quoque futurum, ut aliquando cum veteribus in gratiam redires. Si modo, ut Roscius in senectute numeros in cantu remiserat, ipsasque fecerat tardiores tibi: sic tu feruorem istum, ne dicam furorem, qui te transuersum agebat, si non prudentia tua, at certe longae ætatis beneficio componeres. Nam & Platonem alio loco ostendimus, primam quoque Methodi distributionem, in duas partes fecisse in Timæo, cum rebus que tractantur quandam cognationem habentes: & Aristotelem in Logico Organo, quod Methodi præcepta potissimum complecti debet, eandem partitionem secutum: quam si verum fateri vis, adhuc in eo perspicere non potuisti. Quoniam hic artis differendi duas partes ut nouas artes constituit (sic enim Cicero initio Bruti quinque partes eloquentiæ, quinque artes appellat) vnã Topicam, alteram Analyticam. Ac in artis Topicæ, libro 8. ostendit quando popularis disputatio instituta est, qualis debeat esse collocatio, non modò singulorum argumentorum, sed multorum ad eandem rem pertinentium, in quibus quaeritur quid debeat esse primum, quid secundum, quid tertium. Quod antea constitutum est ad Methodum pertinere. Libris verò duobus Analytic. Post. siue in coniunctis quaestionibus, in quibus de veritate agitur, demonstrare velis, siue in simplicibus definire: docet quo ordine vtrunque sit faciendum. Nec tantum quis in singulis artibus partium ordo sit: sed etiam in ipsa artium omnium encyclopædia, quid debeat esse primum, quid postremum, quid interiectum, quæque de ipsis artibus aliis inferiores sint, quæ superiores. Idem quoque in duabus illis Methodi partibus moderandis & in maxima varietate circumstantiarum, (quarum obseruationem Methodo prudentiæ subiectam esse vis) tum rei, tum auditoris rationem habendam arbitratur. Rei quidem, quoniam ut scribit cap. 3. lib. 1. Ethic. hominis est eruditi atque periti subtilitatem requirere in omni genere, eatenus quoad rei natura patitur. Nilque interest vtrum Mathematicum popularibus rationibus vrentem probes, an ab oratore necessariam rationem requiras. Auditoris verò, quia ut idem ait, lib. 1. minore Metaph. ad audiendum, morem consuetudinemque afferre solemus: utque audire consueuimus, ita alios volumus dicere. Nec quæ ab iis abhorrent, similia nobis videntur, sed ignotiora & magis peregrina, propter insolentiam. Ex quo est profecta operum eius distinctio in Acroamatica & Exoterica, quam Cicero notat lib. 5. de finibus. Sed illam popularem quæ om-

Arist. Acroamatica & exoterica.

nino præceptis definiri non potest, relinquamus: de eaque tantum agamus quæ Philosophum, ut exactum veritatis inuestigatorem ac iudicem instruit. Hic, ut opinor, non modo veritatis iam cognita explicator esse debet, sed eiusdem inuestigator ac diligens obseruator. Et quanquam maximam laudem in inuentis apte, & distinctè tractandis consequatur: non minus tamen admirandus est in rectè inuestigandis & obseruandis. Circa verò inuentionem duo notanda sunt: vnum quidem, quo modo ad rerum inquisitionem ille excitetur, alterum cum iam excitatus est, quanam insistat via. In priore, ab initio posito sine, ad laborem erigitur, deinde gradatim descendit per media fini proxima, ad ea quæ ab illo sunt remotissima: sicut colligi potest ex Aristot. lib. 1. Metaphysic. Cum autem vel necessitate, vel vite vsu, vel ingenua voluptate (taliam enim ferè sunt quæ propositis finibus adiunguntur) ad ferendum laborem in rebus obseruandis, excitatus est: tum contrarij ordine in harum obseruationem incumbit, ab vltimis progrediendo (quæ eadem alia ordinis ratione prima sunt) atque ab iis per medios gradus ad finem ascendendo, in quem definuit. In priore manifesta est ea Analysis, cuius rationem antea exposuimus ex lib. 3. Ethic. in posteriore, Genesis. Nam proposito sine, media quaerere per quæ is parari possit, eaque gradatim persequi, ad eam Analysin pertinet, quàm in deliberationibus humanis Aristoteles eo loco notat, atque Geometrarum Analysin in descriptionibus imitari. Ascendere autem à medijs ad finem, contrarij ordinis est: in quo Genesis ponimus. Et quanquam vtraque progressio naturalis dici possit, id tamen diuersa ratione accidit. Si quidem prior naturæ est res instituentis, aut de rerum procreatione quasi deliberantis: posterior eiusdem iam gignentis. Quæ duo si verum fateri vis, Thessale, non agnouisti, nec certè in Galeno exagitando satis acutè distinxisti. Ille ait per istiusmodi Analysin artes esse inuentas. Tu, quia hoc aduersari videretur doctrinæ tuæ de vnica Methodo Analytica, tractandis artibus iam inuentis, non autem eisdem inuestigandis accommodata, scribis hoc Philosophiæ Aristotelicæ (id est vt eigo quidem interpretor, tuæ) contrarium esse. Omniumque artium inuentionem & obseruationem licet summum artis finem propositum semper habeat, à sensibus oriri, & inductione singularium ascendere ad specialia, & rursus à specialium inductione, ad generalia. Atqui ad artes inuestigandas homines proposito sine excitatos esse, indèque ad præceptorum obseruationem (quæ à rebus singulis incipit) descendisse, Aristotelis sententia est Metaph. 1. omnium Philosophorum firmata consensu. In illòque descensu à fine, Analysin consistere, non modo idem fatetur lib. 3. Ethic. sed ipse quoque agno-

Duplex ordo naturæ.



scis, cum eius Methodi quam vnicam esse vis, eandemque Analyticam, partes quatuor distinguis, à fine ad media, à genere ad species, à partibus ad totum integrum, à causis ad res effectas. Sed aliud est querere quid homines excitauerit ad artium inuestigationem, & postquam excitati sunt, quo ordine in obseruatione præceptorum sint versati. Excitati sunt Analyti, quæ diæresis quædam ipsius finis videri potest. At in obseruatione præceptorum, secuti sunt genesin: quam per me etiam licet Synthesin nominare. Sed fortasse in superiore Galeni loco hoc te male habet, in quo nonnulli eius interpretes sunt perturbati: quod per Analytin artes inuentas ille ait: tu ex Arist. contendis illas potius perpetua Analyti debere explicari. Cum tamen apud omnes certum sit, & à nobis antea positum, ordinem in inuenièdo non minus esse diuersum ab altero, qui in perpetua explanatione inuentorum tenendus est, quam descensum ab ascensu: etiam si vterque in eodem spatio versetur. Quo modo igitur, inquis, per Analytin artes inuentæ, & per eandem postquam inuentæ sunt, expli- catur? Facit hoc, Thesale, nominis huius multiplicitas: quam ab initio distinximus. Nam quia Analytis dicitur de descensu à fine ad media, & à generalibus ad specialia: priore ad artium inuestigationem homines excitati sunt, atque deliberando ab illo per media gradatim descendentes, in animis artes ipsas constituerunt: posteriore, in eisdem explicandis sunt vsi, siue quia vt Arist. significat cap. i. lib. i. Physic. post efformatas in animis rerum ad aliquam artem pertinentium notiones, intellectus noster ab vniuersalioribus tanquam confusis, ad specialia vt distinctas, & enodatas progredi solet: siue quoniam, vt idem ait cap. i. lib. i. de partibus animalium, magnum in docendo vitium est sapius idem dicere: hoc verò effugere nemo potest, nisi hac Methodo à maximè communibus ad ea quæ in specialibus ima sunt, per intermedia proficiatur. Quibus ita positis, facilè iam est videre quam turpiter erres, non satis perspecta istius multiplicis distinctione: vel quàm malitiosè, tuo more, in hac disputatione Aristoteleis falsam interpretationem affingas: vt in ea habeas commodiorem occasionem calumniæ. Aristotelis interpretes, ais, si huius logicam probe nossent, nunquam fecissent Analytin genesi priorem: sed contra, genesin Analyti, vt Aristoteles fecit priorum Analyt. primo: fecissentque omnino cum doctore suo Geneleos Analytin, non cõtra magistri doctrinam, Analyseos genesin. Tu verò Thesale, repudiata illorum sententia quid nobis sequendum arbitraris? an semper genesin Analyti priorem esse vis? In Methodo tota via aberras, si id credis. Nam in iis quæ ad mores pertinent deliberatio, Analytis quædam est ipsius finis in media: actio eiusdem ex mediis quasi

Genesin. At in illis certissimum est, vt deliberationem actione, sic finis Analytin eiusdem Genesi natura esse priorem. Quæ si ad artes referamus, in illis Genesin tecum appellamus à singulis horumque obseruatione, ascensum per inductionem ad vniuersa (qui quidem artium præcepta peperit) adhuc vera Analytis per quam antea, ex Galeni sententia, diximus homines posito fine ad harum inuestigationem excitatos, Genesin istiusmodi antecedit. Quis enim tibi concedet eos prius in rerum singularum obseruatione laborare cõpisse: quàm ad eum laborem proposito fine, eiusque facta Analyti, essent excitati? Vides igitur, si modo quod rectum est videre potes, Aristotelis interpretes non sine iusta ratione Analytin Genesi priorem dixisse. Nunc consideremus quid te in ista comparatione cõfellerit: aut quomodo hoc tuum, quanquam superbum de antiquitate iudicium, aliqua ex parte verum videri possit. Genesin fortasse appellas solam Platonis in Phædro eã synthesin, per quã in prima obseruatione singularia dispersa, in vnam speciem colliguntur. Cuius quanquam in Platoniorum doctrina noua origo in animo dici non possit: sit tamen per recordationem quædam excitatio, ideòque quasi Genesin. Analytin verò eiusdem Diæresin, per quam, vt ait, articulati res vnaquæque, sicut natura postulat, per species diuiditur, postquam scilicet vniuersæ notiones in animo, sicut Plato vult, excitatæ sunt: vel, vt Arist. arbitratur, nouæ efformatæ. Quæ si tua est de Analyti & Genesi sententia, per me licet dicas, Genesin Analyti priorem, & Geneleos esse Analytin, non Analyseos Genesin. Quoniam non ex illo descensu notiones in animis efformantur, quarum est Genesin: sed illæ potius per ascensum natæ vel excitatæ, perpetua quadam Analyti explicantur. Verùm si harum vocum neglecta multiplicitate, quæ Aristotelis interpretibus, atque etiam huic nostro Alcino Platónico, est familiaris, cum te ad vnicam speciem reuocaueris, & in huius angustias nominis communionem contraxeris, in eisdem illos velis cogere, de eaque significatione hoc ab illis dictum arripere, de qua eo loco nõ sunt locuti (sicut ex eo intelligi potest, quod tu ipse de Analyti finis, in Logico organo ex illis commemoras) an non sentis isto modo contra antiquitatem disputare, Sophistarum esse, non Philosophorum? At Arist. inquis, in prioribus Analyticis ratiocinationis Genesin prius explicat, quàm eiusdem Analytin. Fateor. Sed in eo primum aliud Sophissima agnosce, quòd à quæstione contra veteres instituta de ea Analyseos specie quæ finis est in media, disputationem transfers ad alteram, quæ integræ ratiocinationis est in pronunciata & simplices voces, tanquam in partes & elementa. In quæ nemo potest illam sine errore dissoluere, nisi qui prius nouerit ex iis eandem componere.



*Distinctio
Logici
organi.*

71

ALCINOI INSTITVTIO AD

Deinde tu de Logici organi explicatione contra veteres agis, atque ex Aristot. confirmas in illa Genesin prius quam Analysin tractari: illi spectarunt consilia hominum de constituendo Logico organo deliberantium. In quibus per Analysin descensus factus est à fine ad media: Contra verò in eiusdem explicatione, ascensus à minimis ad id quòd in eiusdem Analysis, de arte deliberantibus, erat omnino primum. De distinctione autem Logici organi ad Analysin vel Genesin accommodata, in qua veteribus Aristotelis interpretibus non omnino, tibi verò multò minus assentior, pluribus hoc loco non disputo: verum id solùm contendo, si in eo Topicam artem ab Analytica separaueris (quæ quo ordine ad illam se habeat docere alterius est instituti) ac in Analytica Categorias & librum de interpretatione (communis quidem vtriusque artis elementa, sed vt alio loco contra te disputauimus, huic potius quam Topicæ, propter dignitatem adiuncta) fueris complexus: in hac per Genesin siue vt Galenus loquitur, per synthesin, à primis elementis quæ Categoriis continentur, progrediendum ad id quòd est in eadem summum & imprimis expectandum. Sed ita tamen vt eiusmodi graduum distinctionem prius cognitam fateamur per contrariam Analysin, à fine ad illa prima elementa descendente. Quàm secuti sunt qui ad hanc artem spectato sine excitati, de eadem constituenda primi certa quadam Methodo cogitarunt. Nec verò synthesis siue Genesin, de qua in exemplo proposito loquimur, ea est per quam notiones ex singulorum obseruatione in animis efformantur (hanc enim tecum agnoscimus, ex Platone & Aristotele, ad obseruationem præceptorum, non ad explicationem pertinere) sed altera quæ in constructione totius integri primum dicitur, indeque ad genus vniuersum transfertur: quia hoc, vt Aristote. ait. cap. i. lib. i. Physic. totum quoddam est: quippe quòd multas species quasi partes, complexu suo continet. Sed ita vt illa sola nominis communionem in toto integro & genere vniuerso esse dicatur, nec sit in vtroque eadem ratio: neque in illis explicandis Methodus omnino vnica, sed potius contraria. Ex quo accidit, vt quando id quòd eidem arti vel scientiæ subiicitur, cum diuersis comparatum, vtroque modo totum quoddam est: nempe & integrum, quòd ex quibusdam quasi membris componitur, & vniuersum, quòd naturæ suæ ambitu species plures cõplectitur (qualè in arte differendi, nostri ratiocinationem esse volunt & in Physiologia corporis naturale) tum in ipsius artis vel scientiæ perpetuitate, Methodus non vna semper & eadem, sed duplex adhibeatur. Siquidem in illa, priore loco totius integri ex membris compositio aptè explicatur, per eam quam Genesin vel Synthésin diximus posse nominari: poste-

DOCTRINAM PLAT.

72

riore, generis in species suas distributio, ex altera Methodi parte quæ ad Analysin, vel Diæresin pertinet. Nam cum in vtrâque illius perpetuitatis parte multi gradus sint & in illis primum quiddam, aliud vltimum, itémque intermedium: Methodum aliquam ponere est necesse. Quàm si tu vnica & specie indiuiduam asseris: fatearis oportet, si consentanea dicere vis, genus vniuersum ad species vltimas & intermedias eodem modo se habere, quo prima elementa ad totum integrum, & eas partes quæ sunt interiectæ. Quòd quidem non solum doctrinæ Aristotelis omnino contrarium est, sed tuis nugis non satis consentaneum. Nobis verò non magis vitiosum esse videtur in eiusdem artis perpetuitate, pro diuersa ratione partium quæ incidunt, docendi Methodum variari: quàm in ipsius perpetuitatis particulis, eandem quæstionem tractari argumentis, quorum collocatio partim ad differentes ratiocinationum figuras, partim ad diuersos eiusdem figuræ modos pertineat. Vt tibi in illa perpetuitate vnica Methodum asserenti, licuerit profectò eodem iure omnium ratiocinationum formam vnica constitutere. Adeo vt soleam mirari, hoc etiam in mentem non venisse, vt noua omnia faceres. Præsertim cum te ad id excitare potuerit optimus magister tuus Laurentius Valla, ex cuius maledicentia quasi copiam cornu, tam multa in Dialecticas animaduersiones transtulisti. Vis autè, vt hoc ipsum quòd de Methodo in eadè arte varianda hoc loco cõtendimus, apertius intelligatur, profecto aliquo exèplo illustretur: Non dicam Aristotelis logico organo, ratiocinationis vt totius integri Genesin vel Synthésin ex pronunciatis, de quibus agitur libro de interpretatione, & pronuntiatorum ex simplicibus vocibus, de quibus in Categoriis, primum explicari: deinde eiusdem vt generis vniuersi, Analysin vel diæresin in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, quorum natura explicatur in Analyticis, Topicis & Elenchis. Quòd quanquam id probabiliter dicatur à multis, sequi tamen non placeat hoc tempore: quoniam à te iam pridem explosum est, & mihi, vt libere dicam quòd sentio, non satis probatum. Sed illud modo rogabam, si quando Physica attigeris, atque hæc, quibus tuæ declamationes, nescio quid minitantur mali, in integrum, si diis placet, restituere ceperis: an num in eis corporis naturalis compositionem ex materia & forma primum trades: deinde à generali huius ratione ad species vltimas per intermedias descendes? Hoc enim tibi placere ex tuis scriptis conicio: & certè Aristotelem ita fieri voluisse facile colligo ex initio libri. i. Physic. cuius sententiam quorundam interpretum errorem secutus, omnino peruertisti. Verum si id feceris, The-sale, eritne omnino eiusdem Methodi à materia & forma ad corpus



naturale ascendere, & à corpore naturali ad eiusdem species descendere? Ego quidem in posteriore Analyseos speciem vnã facile animaduerto: in priore qualem eam comminisci possis prorsus non video: aut certe quoniam de vocabuli vi rectòque vsu inter nos agitur, si hanc Analyseos esse contenderis, nescio quorum Philosophorum consuetudine tuam in eo opinionem possis confirmare. Atque vt in illa rerum naturalium explicatione, Genesin cum Analyseos in variis partibus perpetuitatis docendi, obseruamus: & in hac coniunctione Genesin, per quam corporis naturalis compositio explicatur, eiusdem, tanquam generis vnus, Analyseos priorem facimus: sic accedere potest, vt in eadem etiam perpetuitate Analyseos cum Genesi coniuncta, hanc meritò nonnunquam antecedit: præsertim in artium compendiis, in quibus ad hominum studia excitanda sine primo loco posito, eoque aliqua definitione concluso, artes ipsas Analytice constituiamus: deinde in eisdem à primis elementis breuiter expositis, ad id quod maximum est, per Genesin ascendimus. Quam duplicis ordinis coniunctionem nos in artis differendi compendio non infeliciter seruasse videmur, & si tua consideras paulò attentius, eandem in tuis dialecticis es secutus. Hoc verò quicumque facere instituant: ab earum artium, quas tradere volunt, definitione incipiant est necesse. Non quod ab hac artis compositio progredi debeat, in quam ipsa potius desinit: sed quia Analyseos, quæ Genesin præcedit, caput illa continet. Quod quidem in fine est positum: à quo optima artis definitio duci debet. Et certe Galenus in arte medica, quæ parua, id est, compendiaria appellatur, id ipsum quod disputo secutus videtur: in eo ordine quem definitionis esse ait. Quoniam hic non tam fortasse nouam Methodi speciem continet à duabus prioribus omnino diuersam: quam duarum in vnã, collectionem quandam compendiariam. Si quidem quod eo libro medicinam primo loco definit artem salubrium insalubrium, & neutrorum: deinde hæc tria quæ in definitione sumpta sunt, per varios gradus diuidit, donec ad ima quædam (qualia tamen, vt loquitur, non autem singula) ventum sit: hoc ad Analyseos tuo more dictam, haud dubiè pertinet. Quoad autem in explicandis partibus, quas Analyseos parit, ascendit à primis eiusdem artis elementis ad ea quæ in illa sunt summa, vt ad morborum curationem & valetudinis conseruandæ rationem, id non amplius ad Analyseos, sed ad Synthesin potius videtur esse referendum. Et tamen hoc totum ordinis definitionis esse vult: non solum quod à definitione incipiat, sicut es arbitratus, sed potius quod in partibus omnibus quas illa siue Analyseos, siue Synthesis parit, breui definitione referè sit contentus. In quibus explicandis, aliis de Medicina scriptis,

idem

idem solet esse longè prolixior. At cum artem iam inuentam, & per Analyseos constitutam, gradatim componere volumus: nec tam ad eam hominum studia excitare, quam rudes instituerè, atque hos à primis elementis, ad id quod habet summum, per Genesin vel Synthesin, quasi manu ducere: tum, vt ab eius definitione incipiamus, nihil necesse: satisque est, si cum ad parrem principem summamque ventum fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. Quoniam vereri debemus ne artis magnitudine, quam definitio breuiter solet comprehendere, statim initio proposita, rudes omnino deterreantur, potius quàm excitentur, ac desperatione debilitati, id in ea experiri nolint, quod se assequi posse diffidant. Itaque potius in ipsis elementis illi sic erunt exercendi, vt adhuc nesciant quæ instituti summa sit: ac tum demum hoc sentiant, cum ad principem partem peruenerint: in qua totius artis definitio primo loco ponetur. Tu quidem, Thesale, pueritiæ memoriam vltimam repetès, de studiorum tuorum forma nobis concedes quod voles: ego verò fatebor me puerum grammaticam sic didicisse, vt in iis quæ de literis, syllabis, singulisque nominibus & verbis, tum tradebantur, omnino nescirem quo magistrorem, in Aristotelis Categoriis, & libro de interpretatione sic esse versatum, vt agnoscerem in illis rudimenta tantum duarum artium, Topicæ & Analyticæ: quarum summam definitio, earundem artium initiis ab Aristotele posita, esset aliquando explicatura. Scio quid tu postea contra veterem doctrinam hac in parte disputaueris & de præterita dialecticæ definitione, quam graues contentiones contradicendi studio inflammatas, in peripatetica schola excitaueris. In quibus vt tibi facile concedo potuisse definiti, non Dialecticam (nec enim vt alio loco contra te disputauimus, Aristotel. vniuersam differendi vim, hoc nomine vnquam est complexus) sed artem rationis: quæ deinde posita definitiones, per Analyseos in principes partes harumque elementa dissolueretur: à quibus rursus Genesin duceret initium, & in finem artis eiusdem definitione comprehensum, desineret: sic tibi pernego ita fuisse necessario faciendum. Et si fortè hoc modo communis ars fuerit exposita: contra te constanter contendovtrunque, ad vnum & eundem ordinem non posse pertinere. Sed descensum à definitione artis finem continente, ad prima elementa (qui breuiter initio fieri potest, partim vt auditor excitetur, partim vt rudibus primisque lineis ductis, non omnino nouus ad artem accedat) ad eam Analyseos speciem esse referendum, quam in deliberationibus de vita, antea obseruauimus. Ascensum verò ab elementis ad id quod eadem ars habet summum, ad Ge-

O



nesin: non eam per quam notiones diximus efformari, sed alteram, in qua ostenditur quo modo vel totum integrum de suis partibus, vel finis de mediis exciteretur. Atque etiam illud addo, dum singulos gradus in Analyfi, vel Genfi persequemur, si quid in illis occurrat quod generale sit & suapte natura commune multis, id ita esse explicandum, vt Analyticè semper à generalibus ad specialia descendamus: ne in illud vitium incidamus quod ex Arist. lib. i. de partibus animalium, antea indicauimus. Hoc autem in eiusdem doctrina tam frequentem Analyfin effecit: vt ex eo, meo quidem iudicio, in hunc errorem de vnica Methodo Analytica, sis impulsus. Atqui iam ex superioribus potes intelligere, vel certè facillè intelligent hi quos nondum infatuasti, non modo non esse eandem in Methodum inuestigando, & eo explicando quod iam inuentum est: sed neque artis eiusdem partes omnes in docendi perpetuitate, eadem Methodo tractari: Nec eam quam Analyticam appellamus, docendis inuentis tantum esse accommodatam: sed pro diuersa Analyteos ratione, ad artes in animis constituendas, cum de illis inuestigandis agitur, esse necessariam. Quod de contraria Genfi, itémque de Platonica dieresi ac Synthesi, pro earum multiplicitate, eodem modo est explicandum. Sed in ampliorem disputationem quam ab initio sperabamus, excreuit nostra digressio, & nescio quo studio fortasse prouecta longius, quam commentandi ratio permittit. Itaque iam finem faciam, si vnum indicauero, in quo errorem tuum excusare nullo modo potes. Scribis Galenum gloriari se Methodi Analyticæ inuentorem & authorem esse: idèoque te in illo non solùm modestiam, sed memoriam valdè requirere, qui antea Platonem totius *ἰατρικῆς ἰσθμῦ καὶ ἀνοδος* scriptorem & authorem è Phædro & Philebo produxerit & appellarit, & in artis medicæ constitutione veterum Philosophorum documentum esse dixerit. Atqui, Thessale, nullam ex eo gloriam Galenus captauit: nec se, pace dixerim tua, huius Methodi inuentorem prædicauit: sed eam quam à veteribus Philosophis acceperat, primùm ad artis medicæ constitutionem accommodasse, & in huius origine explicanda vsurpasse: cum per synthesin superiores Medici plerique, vt Herophilij & quidam Erasistrati sectatores, ac Atheneus Attaleus, eandem tractare essent conati. Quam fuisse illius sententiam non contendam tecum pluribus, quoniam hi facillè iudicabunt, qui quasi in rem præsentem venientes, initium libri de arte Medica, quàm paruam appellant, sed dulcè cum eo comparabunt, quod ab illo scribitur, libro de eiusdem artis cōstitutione. Nunc quia satis longa digressione, Thessali digressioni de Methodo satisfacisse videmur, ad Alcinoi interpretationē reuertamur. In qua quanquam hoc capite alia permulta sint quæ disse-

rendi arte contra eundem pro vetere disciplina poterant disputari: ea tamen potius reiicienda putauimus in commentarium descriptionis Logicæ: in quo nostra Elenctica contra hanc scholam, doctrinæ peripatetica, imò verò bonarum omnium artium perturbaticem, complectemur. In illo verò edendo quorundam efflagitationibus iam pridem satisfacissem, nisi in annuis animaduersionum sc̄ribis, ab Academiæ nostræ Thessalo adhuc meliora in dies expectarem, eaque in quibus hic tandem aliquando resipiscens, veteremque suum errorem agnoscens, in illo detegendo magna nos laboris parte leuaret.

F I N I S.

O ij

IA. CARPENTARIUS,
Candido Lectori.

S.

SUPERIORE disputatione Theſſalus ſic affectus eſt, ut quanquã antea ſape à doctiſſimis viris in multis reprehensus, nunquam tamẽ grauius comotus fuiſſe videatur. Credo equidẽ, Candido Lector, quod illa peti ſe in eo ſentiret quod habebat omnium chariſſimum: quoque omnibus philoſophis ſuperior haberi volebat. Quare is qui antea omnes alios aduerſarios contempſerat, hic magna animi impotentia, à doctrina, de qua inter nos erat inſtituta contentio, rem traduxit ad conuicia: in quibus exercitatiſſimus, facile quemuis in arenam deiicit. In ſententiis autem & argumentis, ſic hære viſus eſt, ut eruditorum omniumque philoſophorum iudicio nihil eſſet contraria eiufdem diſputatione frigidius. Quæ tamen apud imperitos aliqua ex parte ſuo ſuco ſplendeſceret, eidemque præſtaret, ut reuera victus, alios in triumpho portare videretur. Quod ubi animaduerti, iterum cum illo de eadem quæſtione congregiendum exiſtimaui. Vt quod feliciter inchoatum videbatur, magno rei literariæ commodo, tandem aliquando conficeretur: quo vetus doctrina de Methodo ſemper eadem retineretur, contrariæq; huius nugæ omnino exploderentur. Hoc verò non modo in hac academia ex illo tempore videor conſequutus, ſed exterorum permultorum testimoniis in eodem maxime cõfirmatus. Sed eius contentionis euentum & eas Tragedias quas illius recordatio poſtea in regia profeſſione mihi excitauit, tacitus nonnunquam conſiderans, lubens proſecto illud uſurparem,

Vtinam ne in nemore

Niſi publicæ utilitatis, quam rerum mearum rationem habere mallem. Quoniam facile mihi perſuadeo ad diſſenſionem de religione, hanc potiſſimum cauſam acceſſiſſe, propter quam in illa à Theſſalo tam acriter ſum oppugnatus, penèque (prout tum erant tempora) regionum profeſſorum ordine exclusus: quod eius maiestatem grauius laſiſſe viderer in oppugnanda ſententia de Analyticiæ Methodo, in qua idem doctrinæ ſuæ ſummam & denique antiquitatis palmarium iampridẽ poſuiſſe videbatur. Hoc verò etiam, Candido Lector, quod ſecondæ congreſſione reſpondimus, ſuperiori diſputationi ſubiiciendum exiſtimaui, ut nihil eſſet quod hac in parte poſſes deſiderare. Vale.



AD EXPOSITIONEM
DISPUTATIONIS DE METHO-
do, Contrà Theſſalum Oſſatum, academia
Parieſiſis Methodicum.

Reſponſio Iacobi Carpentarij, Claromontani Bellouaci.

Quæ digreſſionis primæ, pars poſterior.



Factum bene quod opinionem tuam de Methodo oppugnauimus! Tandem tibi hoc perdoluit, Theſſale, Laudo: vir es. Antea quanquam à nobiliſſimis aduerſariis, de quæſtionibus maximis in certamen vocatus, nunquam tamen adduci potuiſti ut reſponderes. Nunc verò grauius comotus es. Quid ita? Arcem tuæ ſapientiæ voluimus inuadere, tibi que id de manibus eripere, in quo de victa omni antiquitate triumphas. Et tamen ne tua maiestas lædi videretur, ſi tu **ELOQUENTIÆ, PHILOSOPHIÆ REGIUS PROFESSOR, GRAMMATICÆ, RHETORICÆ, LOGICÆ PHYSIOLOGIÆ, MATHEMATICARVM ARTIVM RESTITVTOR, IN RELITTERARIA DEVICTIS FABIO, CICERONE, ARISTOTELE, PLATONE, EVCLIDE, OMNI DENIQUE ANTIQVITATE, MAGNIFICVS TRIUMPHATOR, CÆSAR SEMPER AVGVSTVS.** aperto Marte in ſingulare certamen cum gregario doctore, & vix vno è multis deſcenderes: alieno nomine eoque in Academia nouo, vultum tuum velaſti, ſicque eleganter proſecto, perſonatus, indignationi tuæ voluiſti obſequi: atque ſperauisti ſalua exiſtimatione tantæ maiestatis tuæ, iſtum canem tibi adlatrantem (ſic enim de nobis quodam loco ſcribis) poſſe non dico vinci, verum pedibus miſerè conculcari & confici. Sed tamen iſta larua, Theſſale, commodior erit



quam sperasti. Teget enim splendorem tui vultus: in quo inest quiddam suapte natura dignum imperio, variisque victoriis etiā amplius elatum: atque fortasse præstabit, vt nihil metuendum sit à tuis radiatibus iracūdis oculis, quibus haud dissimiles in C. Mario, terrori fuisse dicuntur militi ad huius necem properanti. Quanquam quid cum illa facias? aut quo modo te occultare possis? Vox ipsa Thessalum sonat: quæ semper suas habet ampullas & sesquipedalia verba. Deuisti, & hoc pace dicā tua, O AMPLISSIME REX ET SEMPER AVGVSTE, vt personatus in hac disputatione nobis facilius illuderet, tuos cothurnos ad aliquod tēpus deponere, & nostros foccos induere. Verum vt simia etiam in purpura, semper est simia: sic tu cum Ostatus quidam videri vis, semper es Thessalus: id est in dicendo elatus, & ita inflatus, vt si de tricis agendum sit, non minus vehemens esse videaris, nec in tuis splendidioribus ornamentis frequēs, quam si in causa centumuirali pro maiestate regis esset dicendum. Hæc enim, si nescis, tua est illa Pytho quæ iam pridem tonat, fulminat, permiscet vniuersam Academiam. In cæteris, eadem apud Germanos, Italos, adde etiam si voles apud Indos, quantumlibet admirabilis. Nam per me licet diuinam etiam dicas: nec ego de eius gloria tecum contendam: nec mecum male agi existimabo si nostro sermoni puritas deesse non videatur: atque hæc quidem, non illa quam tuæ aures teretes & superba vbiq; summam expetunt, sed quam simplices & philosophicæ, non omnino respuunt. Ideoque IOVI SERVATORI magnam gratiam habeo, quod in superiore disputatione, sententiis quidem, fateor, quoad potui & licuit, elaborata, verbis sua sponte fusa & fluente, vnicum (multiplicitatis) verbum te offenderit. Et quanquam pro illo possim alia permulta tibi eloquentiæ & philosophiæ regio professori, reponere (quæ cum voles seorsum indicabo) illudque imprimis quod statim initio à te non satis, emendate dictum est (*Eheu misero tibi*) cum illa interiectio casum eiusmodi non regat, ne in illo quidem Vergiliano (*Eheu quid volui misero mihi*) in quo puerili imitatione videris esse deceptus: id tamen minime faciam. Quod illud meum, loquendi consuetudo philosophorum receptura sit, cui hac in parte seruire satis est: quodque intelligam non in eo sitas esse opes philosophiæ, hoc ne an illo verbo utamur: sed questionem omnem inter nos de re esse institutam quæ sit contenta doceri. In qua nobis iam aperto vultu agendum est cum personato Thessalo. Qui antea prælij tantum spectator esse consuevit: ipse fraterculum suum in arenam aliquoties misit, Porentem sanè & caurum luctatorem: de quo non erat verendum ne ab isto dictata referret: sed tamen pugna enētū semper infelicem. Credo, quod deteriore causa pugna-

ret, & contra eos quorum impetum Thessalus adhuc merito reformidat. Nunc vero huic fraterculus ereptus est: dicerem rei literariæ, si in cōmunem vtilitatem veterisque doctrinæ exornationem, suum studium & industriam viuus conferre voluisset. Gyganti, inquam, fraterculus ereptus. Qui quia sentit iam se non nihil premi in quaestione de methodo, quam habet omnium maximam, à Carpentario philosophiæ quidem professore gregario, & si huic credendum est, omnium bonarum literarum prorsus experte: sed tamen in quo negare nō potest aliquid inesse veteris philosophiæ peripateticæ, quam sophisticam appellat, quamque certis de causis odit & metuit: anceps in varias partes distractus, perlecta illa disputatione de methodo, quod vnica non sit, initio hæret, dum secum ita cogitat. Quid hic faciam? hominē me sicut antea, omnino cōtemnam? Natura quaestio- nis non permittit. Nam & ipsa per se magna est: nec vnquam quisquā post alios scriptores in docendo magnus haberi voluit, qui non idem aut nouam methodum instituere conatus sit, aut quàm ab aliis acceperat, meliorem facere. Nobis vero tēque quaterque maxima. Si quidem in septem artibus que libero homine dignæ, eam celebritatē peperit, quæ in literario regno, omnium regum triumphos superare videtur. Quid enim est cuius beneficio Grammaticam græcam, latinam, Vernaculam, nostris restitimus? METHODVS. Quid est per quod in Rhetorica, Fabio, Cicerone, imò verò omnibus græcis & latinis huius artis magistris, superiores videri potuimus? METHODVS. In logicis autem cum vnus Aristoteles pro deo coleretur, huiusque de disserendo scripta semper essent summo antiquitatis probata consensu, qui potuimus cōsequi vt iis de suo gradu deiectis, nostra iam in eruditorum omnium manibus versentur? METHODO. Iam vero cum in mathematicarum artium quadro ante annos quatuor rudes omnino essemus, & eo ipso tempore domi ab eruditis viris dictata, postea in Cathedra regia referre conaremur: quo modo consequi potuimus vt rem eandem eo ipso die quo didiceramus, cum tāta celebritate publice docere, eosque à quibus omnia acceperamus, tanto interuallo superare videremur? METHODO. Atque, quoniam propter expectationem quam in iis restituendis, de nobis maximam omnes non modo Galli, sed Germani & Itali conceperunt, iam omnium eruditorum oculi in nos videntur esse coniecti: quo tādem modo illam de nobis expectationem sustinere, tantūque opus conficere poterimus? METHODO. Ergo hæc nobis retinēda est: per quam melioris notæ scriptores omnes, in nostro triumpho portantur, & contra illum tuenda: qui etiam si omnino eam non possit de manibus eripere, facile tamen consequetur vt aliquid effecisse pu-



etur. Sed qua ratione id fiet? Dignus ira nostra non est iste disputator: & tamen contra hunc dicendum est aliquid: ne sapere in ea quaestione putetur, cuius explicationem nobis propriam semper videri volumus: & respondendo etiam de nobis multa magnifica oratione predicanda. Hæc verò si nudo vultu apertoque dicantur, verendum est ne hoc audiamus à viris bonis & modestis, verecundiores olim fuisse præcones ludorum gymnicorum: qui vbi cæteris coronas impoferant victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciauerant: cum ipsi ante ludorum missionem corona donabantur, aliam præconem adhibebant, ne sua ipsi voce se victores esse prædicarent. Itaque ipsi quidem respondebimus: sed responsioni nostræ, Ossati discipuli nomen præteximus: atque ita consequemur, vt præter consuetudinem commoti minime videamur, & ab hoc profecta quantauis doctrinæ nostræ commendatio, ea non insolens, sed officiosa & à discipulo, doctori debita censeatur. Quis hoc singulare artificium in alio non admiretur? Atqui in Thessalo tritum est & vulgare. Hinc verò profecta est libelli tui contra nos inscriptio: à qua iam ordiamur. **THESSALI**, suos fumos, sicut antea semper, sic nunc de integro volentis magni venditare, in Carpentarij disputationem de Methodo, **EXPOSITIO**, id est scriptorum à Carpentario contaminatio (Nam in Thessali schola, quæ officina est omnis impudentiæ, bonos scriptores exponere, est aliorum contumeliis omnibus obiicere suisque conuitiis fœdare) velata nomine **OSSATI** discipuli. Hic vero nescio an vsquam vllus sit: aut si est, is, sicut intelligo à nonnullis auditoribus nostris, ex eo tempore quo ista edita est præclara expositio, ad hæc disputationem sæpe prouocatus, ne hiscere quidem adhuc ausus est: magistellus trium literarum, in hanc urbem tenui conditione allectus, & in eadem nescio quid affectans quod adhuc nolo dicere. Et tamen tu qui in Philosophia & Mathematicis, Rex Regum videri vis, sub illius nomine, valde ineptè profecto & indecorè, loqueris vt philosophus maximus & in erudito mathematicorum puluere exercitissimus. Quid si tecum agendum putauissem isto modo? Nun potuissim sine fraude opponere notos tibi, notos omnibus ordinibus, primarios in hac vniuersi schola, eloquentiæ & philosophiæ professores, in nostro ludo institutos, & à nobis etiam ad magistrerij pileum vocatos, qui Ossatum tuum facile exossarent, & te tuamque doctrinam omnino eneruarent? Nec enim nescis, aut quantumuis impudens negare potes, me talibus plarisque auditoribus in nouas celeberrimasque colonias deductis, abundare: tuos verò tuo prelo semper fuisse conclusos. Sed ista quaestio, sicut ipse arbitraris, omnium maxima, discipulis omnino committenda non est: nec indigna in quam nos ipsi,

iis in-

iis intuentibus, incumbamus. Quare, si placet, aperto vultu hoc agamus: nostris contentionibus fortasse veritas elucescet. Nec ego inuitus de priore sententia aliqua ex parte decedam, si meliora attuleris. Quoniam verò in superiore disputatione valde confusus tibi fuisse videor (idque ex eo facile credo quod in illa neque potui, neque volui, eam methodum obseruare quam vnicam esse vis) danda nunc est opera vt quoad possumus, rebus nostris saluis, stomacho tuo indulgeamus: & popularioris methodi, saltem speciem aliquam in disputatione de philosophica methodo, persequamur. Hoc autem perficiemus fortasse, si, quando in hac contentione quædam ad personas pertinet, quæ quasi in iudicio versantur, alia ad res ipsas de quibus quaeritur, de illis priore loco, de iis posteriore tecum agamus. Sic enim, vt spero, expositionis tuæ fucus detegetur: in qua dum ea quæ ad vtrumque nostrum pertinent, cum rebus ipsis permisces, consequeris nonnunquam vt in frigidissima responsione, quia maledicendo superior es (quis enim in eo tecum paria fecerit?) vicisse videaris. In singulis differendi accuratè versato (talem enim iudicem, sicut video, vterque nostrum postulat: quoniam quaestionem hanc in illa omnium maximam vno consensu fatemur) tibi satisfactum videri possit: in aliis fortasse par pari relatum quod te remordeat. Dicam vero de eo primo loco, quod tibi molestum est in libri nostri inscriptione. **PETRV M RAMVM** nominari **THESSALVM ACADEMIÆ PARRISIENSIS. METHODICVM**. Molestum esse facile credo: sed nolui placere. Quod si amicè scire vis cur ita fecerim: verebar ne audito tuo nomine, omnes ad nos vtrinque concurrerent: quasi sopitam sapientissimo regis edicto, de religione contentionem in Academia renouare vellemus. In qua vtrique nostrum talem se præstitit, qualem meminisse potes. Itaque eo nomine vsus sum quod nolebam ab omnibus intelligi, & quo intelligentibus maximè significari cupiebam qualis esses, qualis antea fuisses. Meliore ne occasione tu, aut ingenio acutiore, vel, si voles, maiore humanitate, olim **P. Gallandium** collegam tuum, de re literaria bene meritum, Gallo-nium, Epicureo nomine appellasti: Equidem cur id dicere possis non video. Nam Thessali nomine domestica tua vita non læditur, quam ego nunquam attingam: sed de modo professionis tuæ intelligentibus nonnihil significatur, quod omnibus in Academia notissimū. *Et, inquis, qui Thessalus fuerit nescis, nisi per aduersariū Thessali: cuius scripta si extarent, collatis contrariarum sententiarum momentis, indicari denique posset vtra iustior & verior causa esset.* Hui, quam aptè hoc! Quis enim nos inter illos iudices esse voluit? Quasi vero cum te Thessalū Academiae

Ramus cur
Thessalus a-
cademia.



nomino, id agam vt in te Theſſali opinionem omnino condemnem. Sed video quid velis. Si Theſſali ſcripta extarēt, ex illis fortasſe erueres aliquid, ſicut es valde ingenioſus, quo probares eius opinionem meliorē fuiſſe quam Galenus videri vult: eamque fortasſe amplectereris, atque Theſſalum methodicum te nominari minus moleſtē ferres. Credo. Et ſi Epicuri libri omnes extarent monumentaque frugalis vita, qua, vt Cicero ait, in vna domo eadēque valde anguſta, continentiffimē vixit, virtutem coluit: & P. Gallandius adhuc viueret, putas ille ſe Gallonium atque adeo Epicureum nominari moleſtē ferret? Nihil, credo, magis quā Fabritium aut Curium. Tantum igitur hoc loco tibi videndum fuit, an ea ſatis apte in te caderēt que de Theſſalo methodico Galenus ſcripſit. Vis autem in tuam gratiam comparationem hanc excutiamus? Opus eſſe videtur. Vt ex ea inſcriptionis noſtræ ratio intelligatur. Theſſalus artem medicam, quam Hippocrates merito longam eſſe ait, ſex menſibus perfectē traditurum ſe profitebatur, eoque diſcipulos quā plurimos alliciebat. Tu perfectæ artis diſſerendi cognitionem duobus vel tribus menſibus parari poſſe dictitas: in qua tamē annos viginti & plus eo verſatus, nihil adhuc habes certi quod ſequare. Et in illa tua oratione pro philoſophica diſciplina, vt omnes bonarum artium ſtudioſos pollicitationibus ad te pertraheres, tuoque prelo includeres, prædicabas perfecturum te vt puer vel ex incunabulis deductus & tuæ curæ commiſſus, intra annos ſeptem Grammaticam primam latinam & græcam perfectē teneret, deinde Rhetoricam, Dialecticam, Phyſiologiam vniuerſam & in Mathematicis, Arithmeticam integram, Algebraicam, ſicut ais, ſubtilitate Archimedis Cylindrica, Theodoſij ſpherica: non prætermiſſis etiam Opticis, Catoptricis, Muſicis, Aſtronomicis. Vt exacto anno ſeptimo, hic, ſicut vis, iſtarum omnium artium magiſter ſit perfectus & abſolutus: qui non ſolum illa omnia perfectē didicerit, ſed alios aptè docere poſſit. Hęc enim tua verba ſunt. Atqui tu toto ſuperioris vitæ tuę decurſu, vix illorum omnium partem minimam adhuc es cōſecutus. Non putas igitur ſentire nos, in iſtis tuis nugis quanto Theſſali vanitatem ſuperes? Theſſalus in epiſtola ad Neronem, prædicat ſe nouam ſectam inſtituiſſe, quæ vera ſit: quoniam ſuperiores omnes medici nihil vile prodiderunt, vel ad ſanitatem tuendam, vel ad morbos propulſandos. Quid aliud ab annis quinque & viginti de tuis Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Phyſicis, Mathematicis audiuiſmus? Cur igitur mihi non licebit quando eadem cum Theſſalo facis, vel etiam lōgè deteriora, iſdem verbis affari te, quibus illum eo loco Galenus? Quid improbè, quæ bona ſunt calumniari tentas, vt multitudini pla-

ceas, cum potueris in veritatis contemplatione excellere, ſi diligens eſſe ac veritatem colere voluiſſes? Quid ita ruditatis auditorum patrocinio abuteris ad veterum blaſphemiam? Theſſalus audebat Hippocratem accuſare, in ſuiſque nugacibus libellis iudices græcos conſtituebat: Ipſe ferebat ſententiam, nullam ab illis expectabat: Ipſe ſibi palmā dabat modo de medicis, modo de græcis omnibus. Hęc enim, inquit Galenus, inſignis audacia ſapientiſſimi, ſcilicet Theſſali, profiteri ſe omnes medicos viciffe: ſed ſeiſpo litigatore, ſeiſpo agonoſthera, ſeiſpo iudice. Poſt medicos, reliquos etiam græcos in certamen prouocauit Rhetoras, Geometras, Grammaticos, Aſtronomos, Philoſophos. Sic Theſſalus vbique primas partes obtinet. Primus omnium hominum eſt. Non putas hęc omnia, eadem ironia de te dici poſſe? Ergo ex eodem Galeni loco pergamus, tēque his verbis demulceamus. Theſſalo omnes hymnos cantent ſcribāntque victoriæ carmina. Publicum orbis Theatrum conſtituatur, acceditōque aliquis qui canat eum qui in fornace carbonaria natus eſt, in eadēque educatus, viciffe Fabium, Ciceronem, Platonem, Ariſtotelem, Euclidem ceteroſque oratores, philoſophos, mathematicos: palmā denique eripuiſſe omnibus. An etiam vis ex eodem illud addam? Quis tam magniloquus poëta nobis exiſtet, qui hęc poſſit exornare? Quis dabitur Homerus qui hexametro hanc Theſſali victoriam celebret? aut quis lyricus qui velut Pindarus, altè in dythirambis canat? Quis que ſicut olim Bacchi, ita nunc præconium Theſſali efferat? An potius nullum horū requirere debemus: ſed eorum qui ſcribunt iambos Archilocum aliquem, aut Hipponactem, aut ex tragica ſcena quempiam qui hominem ſic compellat,

Quiſce dum miſerrimè in ſtratis tuis.

Nanque haud vides quæ te putas noſſe probè.

Oreſtus mihi ſomnium narras, Theſſale.

Percurre reliqua (ſunt enim eodem loco alia permulta quæ de te dicta eſſe videntur) tūque intelliges, ſi modo intelligere voles, cur ego te poſthac in omnibus artibus liberalibus Theſſalum haberi cupiam & nominari. Quod ſi feruorem illum, ne dicam furorem, quem in Theſſalo Galenus deſcripſit, in animo tuo ſentis (nec enim dubito quin ſentias) ſed Theſſali libros nobis ereptos eſſe doles, quoniā hi ſi extarent cauſam tuā fortasſe adiuuarent: cogita idem exitium tuis eſſe propoſitum. Nam ſi viuus magna laterum firmitate, magnis, vt ita loquar, grandiloquentiæ tuæ viribus, anais quinque & viginti de nouæ doctriinæ vel potius fatuitatis, aliquot capitibus ad rauim in hac vniuerſi ſchola tam ſape declamitans, nihil conſequi potuiſſi: quid te mortuo futurum ſperas? Aut quem adhuc de tuo



ludo excitasti, quem huius sectæ vindicem tantæque gloriæ heredem sperare possis: Illa mihi crede tecum omnino extinguetur: quæ te ipso viuo à nemine vnquam omnino probata est, nisi turbulento, rerum nouarum cupido, & in antiquitatem hoc ipso malè animato, quod facilius esse putaret eius decreta contaminare, quàm pro dignitate tractare. Eo ipso loco quo de Thessali nomine cõquereris, *dolere te scribis me ex ea patria esse natum, quæ multos huic Academia viros diligentes & fructuosos extulit. Fabros, ais, Syluios, Fernelios, Hortensios, Flesselios, & iam denique Ramos aureos.* Non pudet sub Ossati tui larua, te Ramum aureum appellare. Imo verò putrem, vel potius ferreum, qui vt alio loco scripsi,

Iunoni inferna dictus sacer.

Et ad inscitia orcum viam aperit, sicut ille Vergilianus ad inferos. Equidem Picardorum ager siue natiua proprietate (qualis in aliis locis certa quædam laudatur à multis: siue bellorum calamitate, quam frequentissimam nostra patrùmque memoria sensit, multa ingenia peperit, nō præcocia, non ardētia, non turbulēta, sed matura, graui, sedata, & quæ tardius fortasse quàm alia permulta, literarū studia attingerūt: sed in iis fructus tandē attulerunt familiæ suæ, atq; adeo Reip. vtilis & gloriosos. Quoniam iis loco humili & bellis afflictio, natis,

Labor, vt ait pœta, ingenium miseris dedit & sua quæmque, Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

Verum hoc in eisdem semper fuit maximum & omnium aliarum nationum summo probatum consensu, quod vt sine fūco sunt, sine fraude (hoc vero cum aliorum probro dictum minimè velim) sic in proposito constantissimi & veteris disciplinæ obseruantissimi. Tales enim non solum verè nominare potuisti Fabros, Syluios, Fernelios, Hortensios, Flesselios: sed ex Theologorum ordine adiciere, vel potius primo loco ponere, Lexouensem Episcopum Ioan. Hānonium, olim in Aristotele magistrum tuum, nunc verò grauius dolentem quod in te facem ardentem Philosophiæ pepererit, Episcopum Cabilonensem Anth. Erlanteum, Io. Arboreum, A. Democharem hisque priorem arate Iodocum Clithoueam, Iacobo Fabro quem doctorē habuerat, in explicando Aristotele eodēque ornando simillimum. Nec dubito quin illos fueris nominaturus, nisi certis de causis huic ordini iam pridem inimicus extitisses. Ego vero aperte fatebor clarissimorum illorum virorum ortu nobilitatam patriam, nihil splendoris à nobis expectare debere: atque illud etiam addam, esse quod in nobis merito doleat: nempe quod verendum sit ne illis amissis, orbetur ea celebritate quam in re literaria per illos suos alumnos obtinuit. Sed dic mihi, bona cum venia, qua fronte ausus es inter eos qui

in Academia nostra Picardi dicuntur, cum illis te isto loco ascribere? Non putasti scire nos qui sis & quo loco natus? Recordare præleam scholam, cui iure præfectum te esse gloriaris, ego vero non nego, si sexagenarium senem, à quo fueras ex Mariano Gymnasio allectus & in filium adoptatus, fortunis non orbasses, recordare, inquam, hanc suis institutis in moderatorem eum solū admittere qui in Sueffionum agro sit natus: hunc verò academiæ nostræ legibus à Picardia separari, apud nos vel pueris notum est. Ideoque meminisse potes eodem tempore quo illi Gymnasio, nescio quo iure, præfectus es, in Picardorum tribu esse quæsitum, vtrum te quasi transfugam, sua comitia repetere volentem, deberent admittere: an ad Gallos, quibus ex veteri ordinum descriptione in Academia Sueffiones sunt subiecti, relegare? Nū etiā sentis in tuo cerebro aliquid eius affectus qui Sueffionum agro dicitur esse proprius? Sed age quoniam inter nos ius dicendæ sententiæ tibi olim dedimus, Picardum te esse concedamus, reliqua quæ huius loci sunt accuratè expendamus. Grauius dolebit patria, ais, Carpentarium suorum popularium tam dissimilem inueniri. Deliras, credo, Thessale, & mihi ascribere vis, id in quo ego de te iam pridem potui triumphare. Cedo enim vter nostrum illorum popularium, quos antea nominasti, similior est, non dico facultate (quæ in te est quanta vis, in me sentio quam sit exigua) sed studio & professionis modo? Tu cum primum ad docendas liberales artes accessisti, de veteribus eloquentiæ & philosophiæ magistris nullum prætereundum putauisti, quem non linguæ tuæ petulantiæ fœdare: atque ad hoc te singulari studio comparasti, vt bene nata iuuentus classicos omnes scriptores prius contemneret, quam quemquam eorum primis, vt dicitur, labris gustaret. Tu incredibili genere maledicentiæ, feruorem tuum iuuenilem in omnes bonos nobilitari voluisti, illoque aucto & in furorem conuerso, eousque es progressus vt etiam si animo nondū sis in hac arate senili bene composito, illa tamen vetera tua non audeas agnoscere. Ego vero, Thessale, nullius vnquā nominis in re literaria fuerim. Triobolaris magister semper extiterim, ἀναγόμενος adde etiam cetera quæ voles: hoc tamen adhuc habeo factum rectum, quod extant monumenta quædam conatus mei in illustranda veteri Aristotelis doctrina, nulla prorsus effrenatæ in antiquitatem impudentiæ. An non hæc (quæ negare non potes) satis erunt ad efficiendam vt intelligatur Carpentarium in philosophiæ studio grauissimos illos viros imitantem, tantum quidem quantum voluit non esse consecutum, semper tamen cum illis hoc habuisse commune, quod perficere voluit vt Aristoteles retineretur, illustraretur, amaretur: quæ tu quacunque ratione explodere conabar, & tuis declamationibus fœda-



tum, viuis & posteris odiosum reddere? Quid si Ia. ille Faber Stapulensis, qui patrum nostrorum ætate Aristotelem quasi ab inferis euocauit, in singula Gymnasia, quibus tum fere erat ignotus, deduxit, eundemque in omnibus philosophiæ partibus suis scriptis illustrauit, atque perfecit ut in eruditorum manibus pro veteribus sophistis versaretur: hic, inquam, si reuiuisceret & vtriusque nostrum conatus in philosophia intueretur, quid putas de splendore patriæ in nobis esset dicturus? Grauius doleret profecto, eam doctrinam abs te omnino damnari, in qua excitanda tantopere laborauit, acerbè etiam obiurgaret: nostra vero studia in ea retinenda, blandiore fortasse aliqua cohortatione digna arbitrareretur. Sed intelligeret, inquires, non modo in Gallia, sed apud exteros omnes celeberrimè popularis sui Thessali nomè, Carpètarij verò obscurissimū. Sit ita sanè. Verū idè respoderet, insignis & valdè impudicè meretricis nomè solere apud oēs esse nobilius quàm verecundæ & castæ matris familias, non tamè idcirco patriæ gloriosius. De cæteris quæquæ ego te nouerim bene & gnauiter impudentè, valde tamè miratus sum quo ore ausus sis in meritis erga patriam remque literariam cū Syluio, Fernelio, Flesselio eundè ordinè affectare, & ad eam gloriâ quàm exulta ornatâque antiquitate illi maximam sunt consecuti, te in hæc furentè, quasi socium illis adiungere. Qui vini, nostra memoria nobisque audiētibus (quod minimè ignoras) tua somnia tam sæpe damnauerunt, atque publicè sunt insectati: ut si hodie reuiuiscere possint, patriam sint renunciaturi potius quam vllam partem laudis & gloriæ ex doctrina comparatè, tecum communem habituri. Quid enim? cum olim in funesta disputatione contra A. Goucanum, ad tuas nugas defendendas Ia. Syluium inuitali, nun ex eius ore sensisti populari suo Thessalo quàm oblectaretur? Aut cum audis illius pro Galeno contra Vessalum tonitruum, nun metuis reuiuiscētis senis, pro Aristotele, rit nobis rectoribus apud selectos Academiæ iudices, contra tuam scholam, Fernelij atque Flesselij sententia? In hac illi ea dixerunt ex quibus facile quiuis intelligere potuit, quam molestè ferrer te inanis gloriæ cupidum, turbulentum, elatum, nouarum opinionum æstu penè furentem, ex ea patria esse natum, quæ huic Academiæ peperit viros per multos veteris disciplinæ amantissimos, iudicio graues, laboribus constantes & huius fructum ad exornationem classicorum scriptorum semper referentes. Neque verò amplius id ago ut restantur viuarum voces multorum, qui cum illis familiariter sunt versati. Et quæquæ extabunt Fernelij atque Syluij monumenta doctrinæ, eaque cum tuis conferentur: posteritati facile probabunt in tanta animorum sententiarum dissimilitudine, quam illa maximam

semper apertè indicabunt, fieri nullo modo posse ut illi, si reuiuiscant, Thessalū popularè suū potius quàm Carpètarij agnoscant. Sed de patria fortasse plus satis. Iam id aggrediamur in quo epistola nostra, animū tuū grauius videtur exulcerasse. *Proemium tuum (ais) nihil habet contra P. Ramum præter conuitia impotentis animi & maleuoli. Verū quid ista probra ad quæstionem de Methodo artis informanda & probra præsertim laudis & gloriæ plena? Eū tu Regis edictis dānatū, ais qui tot annos liberales artes tanta bonorum omnium utilitate & letitia, cæta regis sui non solum liberalitate, sed gloria proficitur. Vbi pudor solum calūniis tuis & tuorum liberauit: sed publici & honesti in Academia gymnasiij præfectura exornauit: tandem postea in huius quæ exprobras tēpestatis æstu, senatusconsulto suo & restitutionem bonorum & quæstionem absentis decreuit: & pace constituta primum omnium in Academia restituit. Vt iam P. Ramus bonis omnibus & doctis tanto charissimus sit, quanto tu odiosissimus esse meruisti.* Hæc tua sunt, Thessale. De quibus postrema in loquendo Poeticam imitationem habent quam, nisi tantum posses in Laurentij Vallæ regno, propter studiorum in contradicendo communionem cum illo maximam, non ferremus. Cætera apertè significant te tibi male consciū, plæraque de meis in eam partem arripuisse de qua scribendo, ita me Deus amet, nihil cogitabam: nec te in religionis causa, vllare grauari volebam. In qua si te aggrederer, quas ruinas ederet? Quamquam hoc non faciam. Quoniam inter nos non de religione, sed de bonarū artium & liberaliū professione quaritur. Vnū liberè dicā, quod periculosissimis tēporibus dicere semper ausus sum: & cū amplius dicere non licebit, eadē vrbe, aut etiā si opus sit, cedā vita. Dicā vero plene de re Christiana contentio, quæ per multos annos nobis pueris erat grassata, vidisse in hac permulta quæ in hominibus nostris, vel potius in nobis ipsis, merito notabatur. De hac vero semper credidisse, tam prudenter à maioribus constitutū, tamque feliciter & sanctè sacras leges ab illis expositas, vel quæ ad cæremonias pertinēt, tam prudenter ab eisde instituta: ut qui melius aliquid quæreret, non posset vitare iis, quibus offenderetur, longè deteriora. Quo animo cū essem, optauī quidē semper oēs mei simillimos: & quotiescūque in publico dicēda fuit sententia, tantū fateor à me extorsit iustus dolor, quantum iis licere videtur qui pro aris & focis cōtēdūt. Sed Deū testor me neminē vnquam in periculū vitæ vel fortunarū adduxisse: imo vero dedisse operā ut per me salui essent oēs, quæ cū Rep. salui esse possēt. Fui quidē cū de intercessione nescio qua ageretur, Mathurinēsi Comitibus in te vehemētior fortasse quàm voluisti: sed non certe quàm debui. Cur enim tibi licuisset vetera eadēque sicut arbitramur, facta audacter oppugnare, nobis cōiunctis?



Tu pro ea dimicatione prædicabis quantum voles, te tuis viris bonis esse charissimum: ego certo scio me meis non esse odiosum. In ceteris fruamur ea tranquillitate, quam nobis sapientissimum Regis editum peperit: atque fruamur tantisper dum tempus aliud expectabimus. In quo quemcunque casum fortuna inuexerit, feremus fortasse pulchrius quam sperasti: atque si Deus nobis istam mentem seruaerit, consequemur ut non tam leuiter, quam plerique vestrum, in re omnium maxima, hominum metu videamur esse percussi. Sed ridiculum est profecto, Thessale, quod nos diximus te Regis editis & Senatûs consulto iam pridem esse damnatum: id nescio quo artificio, ad quæstionem de religione transferre voluisse. Nempe ut alios multos contra nos commoueres: quos habebas huius recentis calamitatis socios, & in hac, bonorum virorum commiseratione longè digniores. Verum expende quid à me dicatur. Loquor de doctrinæ & philosophicæ professionis tuæ, contra quam disputationem instituo, damnatione peruertere: ideòque nominatim scribo te iam pridem esse damnatum. At ista de religione, sicut scis, sunt recentissima. De publica vero calamitate & priuato casu quod eodem loco subiicio, quid habet quod non potuerit de vnoquoque nostrum verissimè dici? Et tamen ista esse ais conuitia impotentis animi: in quibus nihil est quod dictum videri possit contumeliosè, nihil petulanter iactatum. Sed age quoniam tu ita vis, contumeliam istam, siue conuitium, in legitimam accusationem vertamus: rem argumento probemus: testibus confirmemus. Ego doctrinam tuam (nam de hac mihi tecum, non de religione quæstio est) Regis edito iam pridem damnatam esse dico. Negas? En profero quæ ad sempiternam nominis tui memoriam, in commentariis Reçtoratus Guilliemi Montuellij, ante annos viginti descripta sunt. Ea iam fideliter recitentur: ne posthac negare audeas.

Reçtoris Parisiensis testimonium de Thessalo.

GVILLIELMO MONTVELLIO REÇTORE,
nescio quo genio malo irrumpente in Academiam, ingens facta est studiorum omnium de repente perturbatio, edito recens libello, cuius titulus erat *Animaduersiones Aristotelis*, composito ad extinguendam in totum doctrinam vniuersæ Aristotelis, omnium philosophorum facile principis. Cui sanè morbo non leuiter grassanti & mentibus puerorum ad quiduis quod nouum sit & inauditum, facile sequacium, paulatim sese insinuanti, maturè & consulto est occursum. Partim decreto iudicum, qui prudenter librum illam statim suppresserunt & ne diuenderetur publicè inhibuerunt: partim editis breui aliquot libris pro Aristotele, quibus authoris libelli istius calumniarum & mendaciorum pleni, interclusæ sunt furia. Postremo eandem Christianissimi Regis consilio, cum superiora omnia non viderentur esse satis ad tantum ignem, qui quotidie magis flagrabat, restringendum, delecti sunt tres in omni linguarum & literarum genere

genere exercitatissimi. Qui cum libellum illum & alterum eiusdem authoris, propius pernitiusque inspexissent, & libellorum authorem iuxta Regis decretum presentem, pro se dicentem, presentes ipsi audissent: ex aquo & bono iudicantes, magnam inclusam esse libellis impudentiam & ignorantiam Regi declarauerunt. Qui pro sua in academiam solita beneuolentia, confectis & regio sigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc pestem significandum censuit. Vis etiam hoc loco in eadem sententiam audire literas regias: quarum exemplar ut esset immortale, arcis publicis academia nostræ est inclusum: Lubentissimè sanè tibi, hac in parte præsertim, gratificabimur: ut omnes intelligant quanta cum sua gloria potentissimus Rex literarumque amantissimus Franciscus, professionem tuam existimauerit esse coniunctam. Hunc igitur suo sermone (ne quid in eo latine reddendo, à nobis immutatum criminari possis) de te tuaque doctrina statuentem audiamus.

FRANÇOIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE, A tous ceux qui ces presentes lettres verror, salut: Come entre les autres sollicitudes que nous auons tousiours eues de bien ordonner & establir la chose publicque de nostre Royaulme, Nous auons mis toute la peine que possible nous a esté de l'accroistre & enrichir de toutes bonnes lettres & sciences, à l'honneur & gloire de nostre seigneur, & au salut des hommes. Es puis n'agueres aduertiy du trouble adueny à nostre chere & aymée fille L'uniuersité de Paris, à cause de deux liures saictz par maistre Pierre Ramus, intitulez l'un *DI ALECTICAE INSTITVTIONES.* & l'autre *ARISTOTELICAE ANIMADVERSIONES.* & des proces & differens qui estoient pendant en nostre court de Parlement audict lieu, entre elle & ledict Ramus pour raisons de saictz liures, nous les eussions euequez à nous, pour sommairement & promptement y pourueoir, A ceste fin eussions ordonné que maistre Anthoine de Gouea, qui se estoit présenté à impugner & debatre lesdictz liures, & ledict Ramus qui les soustenoit & defendoit, estlieroient & nommeroyent de chacun costé, deux bons & notables personnages cognoissans les langues Grecques & Latines, scauantz & experimetez en philosophie, & que nous eslirions & nommerions vn cinquième pour visiter lesdictz liures, oyr lesdictz de Gouea & Ramus en leurs disputes & debat, & sur le tout nous donner leur aduis, Suyuant laquelle nostre ordonnance eust ledict de Gouea esleu & nommé maistres Pierre Danes, & François à Vicomercato: & ledict Ramus maistres Iehan Quentin docteur en decret, & Iehan de Bomont docteur en medecine: & nous pour le cinquième eussions nommé & ordonné nostre cher & bien aymé maistre Iehan de Salignac docteur en theologie, par deuant lesquelz lesdictz de Gouea & Ramus eussent esté oys en leur dispute & debat, iusques à ce que pour entreromppe l'affaire, iceluy Ramus se



seroit porté pour appellant desdictz Censeurs, dont nous aduertiſſions decer-
né noz lettres à nostre Prouost de Paris ou à son Lieutenant, pour contraindre les-
dictz de Gouea & Ramus à parfaire leur dispute, à fin que par lesdictz Cen-
seurs nous fust donné ledict aduis, nonobstant ledict appel & autres appellations
quelconques. Suyuât lesquelles noz lettres eussent lesdictz de Gouea & Ramus
de rechef comparu par deuant lesdictz Censeurs: & voyant que par iceluy Ra-
mus lesdictz liures ne se pouuoient soustenir, eust déclaré n'en vouloir plus di-
sputer, & qu'il se submettoit à la censure des dessusdictz: & comme l'on y vou-
loit procéder, lesdictz Quentin & Bomont l'un apres l'autre, eussent déclaré
ne s'en vouloir plus entremettre: Au moyen dequoy eust iceluy Ramus esté som-
mé & requis d'en eslire & nommer deux autres, ce qu'il n'eust voulu faire, &
se fust du tout soumis aux trois autres dessusnommez: lesquelz apres auoir le
tout veu & considéré eussent esté d'aduis que ledict RAMUS AVOIT
ESTE TEMERAIRE, arrogant & impudent, d'auoir reproché &
condamné le trait & art de Logique receu de toutes nations, que luy mesme
ignoroit: & que par ce qu'il en son liure des Animaduersions il reprochoit Ari-
stote, estoit euidentement cogneue & manifestée son ignorance, voire qu'il auoit
mauuaise volonté, en tant qu'il blasmoit plusieurs choses qui sont bonnes & ve-
ritables, & qu'il mettoit sus à Aristote plusieurs choses ausquelles il ne pensa
oncques: & en somme ne contenoit sondict liure des Animaduersions que tous
mensonges, & vne maniere de mesdire. Tellement qu'il leur sembloit estre
le grand bien & profit des lettres & sciences que ledict liure fust du tout sup-
primé. Semblablement & l'autre dessusdict intitulé *DI ALECTICAE
INSTITVTIONES*, comme contenant aussi plusieurs choses faulces &
estranges.

SCA VOIR FAISONS, que ven par nous ledict aduis, & eu sur ce
autres aduis & deliberations de plusieurs sçauantz & notables personages es-
stants lez, nous auons condamné, supprimé & aboly, condamnons, supprimons
& abolissons lesdictz deux liures, l'un intitulé *DI ALECTICAE IN-
STITVTIONES*, & l'autre *ARISTOTELICAE ANI-
MADVERSIONES*, & auons fait & faisons inhibitions & defenses
à tous Imprimeurs & Libraires de nostre Royaume, pays, terres & seigneuries,
& à tous autres noz subiectz de quelque estat ou condition qu'ilz soyent, que
ilz n'ayent plus à imprimer ou faire imprimer lesdictz liures, ne publier ne
debiter en nosdictz Royaume, pays, terres & seigneuries, sur peine de confiscation
desdictz liures & de punition corporelle. Soit qu'ilz soyent imprimez en
iceux noz Royaume, pays, terres, & seigneuries, ou autres lieux non estans de
nostre obeyssance: Et semblablement audict Ramus, de ne plus lire lesdictz li-
ures, ne les faire escrire ou copier, publier, ne semer en aucune maniere: ne
lire en Dialectique, ne Philosophie, en quelque maniere que ce soit, sans nostre
expresse permission. Aussi de ne plus user de telles medisances & inuectiues

contre Aristote & autres auteurs anciens & approuuez: ne contre nostre dicte
fille L'vniuersité & supposz d'icelle, soubz les peines que dessus. Si donnons en
mandement & commandons par ces presentes à nostre Prouost de Paris, ou à son
Lieutenant Conservateur des priuileges par nous & noz predecesseurs Roys do-
nez & octroyez à nostre fille L'vniuersité, que nostre present iugement & or-
donnance il mette ou face mettre à deuë & entiere execution, selon sa forme &
teneur: Et à ce faire souffrir & obeyr, contraigne & face contraindre, tous ceuz
qu'il appartiendra: & pour ce seront à contraindre par toutes voyes & manie-
res deues & raisonnables, nonobstant oppositions & appellations quelconques:
pour lesquelles ne voulons estre differé. Et pour ce qu'il est besoin faire notifier
noz dictes defenses en plusieurs lieux de nostre Royaume, terres, & seigneuries,
à fin de les faire obseruer, nous voulons que au vidimus d'icelles fait soubz
seel Royal, ou signé par collation par l'un de noz aymez & feaulx Notaires &
Secretaires, soit adioustée foy comme au present original. Mandons en outre à
tous noz autres iusticiers & officiers, & à chacun d'eux si comme à luy appar-
tiendra, que noz dictes defenses & inonctions ilz fassent obseruer en proce-
dant par eulx cōtre les infracteurs d'icelles, si aucuns en y a, par les peines cy dessus
indictes, & autres qu'ilz verront estre à faire par raison. Testmoing de ce nous a-
uons fait mettre nostre seel à cesdictes presentes. Doné à Paris le x. iour de Mars,
l'an de grace 1543. & de nostre regne le 30. Ainsi signé sus le reply. Par le Roy,
vous present, la Chesnaye, & seellé du grand seel sur double queue de cire iaune.

Inunc, Thessale, & dicitote tot annos, liberales artes tanta bono-
rum omnium vtilitate & laetitia, tanta regis tui non solum liberali-
tate, sed gloria profiteri. An etiam coges de senatusconsultis, quibus
doctrina tua tam saepe damnata est, hoc loco dicere? Vnum tibi in-
dicabo, quod antecedentis actionis celebritate, atque praesentia illu-
strissimi Cardinalis & principis à Lotharingia, vsque adeo nobilitate
tuum est, vt adhuc eius memoria recens sit in animis hominum. An-
no 1550. nobis Rectoribus, de Praeleis, id est tuis philosophiae pro-
fessoribus & auditoribus, quaesitum est in philosophorum ordine
primum, deinde in Academia. Quod illi in docendo, contra nostras
leges, pro Aristotele poetas & oratores suis exposuissent. De quo
cum quidam ex tuis (quem non necesse est nominari) à philosophicis
censoribus interrogaretur, palam dicere ausus est (quod ab Actua-
rio nostro ex eius ore fideliter exceptum, adhuc habemus in manibus)
toto illo tempore ab Academia ad philosophandum definitum, se vt doctrinam
Aristotelicam vsum, si diis placet, commodius illustrare posset, Aristotelis
quidem libros in paucissima breuissimaque capita contraxisse, amplissimas
verò philosophiae opes ostendisse in accurata interpretatione Elegia-
rum Ouidij de Ponto, Artis poeticae Horatij: Itemque in Virgilij Geor-
gicis, Ciceronis actionibus in Verre, eiusdemque Philippicis, libris de

Thessali do-
ctrina à Se-
natu dānata.



Oratore, de Officiis, & dialogo de amicitia, Qui cū te victore hoc etiam adiecisset, melius ex istiusmodi poëtis & Oratoribus, quam ex ipso Aristotele, philosophiæ partes omnes posse repeti: factum damnatum est à philosophorum ordine primum, deinde ab Academia, ad quam cum tuis professoribus prouocaueras: atque ita damnatum, vt auditores, quorū simplicitati scholæ tuæ fucus illuserat, philosophiæ magisterio, ad quod aspirabant, non excluderentur, sed tui doctores postea cogerentur, si Academiæ præmiis frui vellent, in Aristotele melioribus horis suos exercere. Humanissima profectò sententia, sed hoc ipso tibi grauius, quod eum philosophiæ principem à tuis haberi vellet, in cuius euerfionē iam pridē iuraueras. Itaque secuta est altera tua prouocatio ad senatū, ad hancque instruendam à te edita illa præclara oratio, PRO PHILOSOPHICA PARIISIENSIS ACADEMIÆ DISCIPLINA. Sic enim, quanquam verbis sophistas semper insecteris, tamen nescio quo sophismate, aut vano somnio, fingebas & intelligentissimis hominibus persuadere volebas, te eius Academiæ causam agere, à cuius sententiâ prouocaueras: aut umbrā esse Academiæ quæ te dānauerat: germanā vero huius sapientiā in tuo cerebro residere. Imo verò ad perorandā causam, Academiæ patronos isto nomine tibi impetraueras. Quis ab eo tēpore in variis contentionibus, quæ de religione sunt exortæ, videre nō potuit ex quo ludo illæ argutiolæ essent profectæ: Et tamen nonnullis impudentiam tuam hoc ipso initio dānantibus, aliis stolidum acumen ridentibus, prius quam de prouocationis iure diceretur, disceptandum fuit, esset ne ea Parisiensis Academia quæ Thessalum damnasse dicebatur. An vero nos, qui cū illius auctoritate & publica fide obfignatis literis aderamus, in Thessalo, qui Academiæ princeps videri volebat, sustinendo, contra Academiam ageremus. De eo senatores rogantur. Vna omnium sententia decretum est, tuo nomine cōtra Academiam, istā causam esse perorandā: tibi que priuatim temerarię prouocationis periculū esse subeundum. Atque quoniam Academiæ in illo amplissimo senatu versanti, locus honoris ergò ad dicendum semper fuit cōstitutus, is ex quo principum in Gallia patroni, si quādo illi in iudicio versantur, causas perorare solent: cū tu illum prior occupauisses nosque exclusisses (O singularem hominis impudentiam!) eadē sententia cedere es coactus, & cū tuo patrono in aduersam partem abire. Quod tuæ victoriæ valdè gloriosum fuit exordium. Nobilis causa, ad quam factus erat concursus ex omnibus Academiæ partibus, vtrinque per nobilissimos patronos nobilissimè peroratur. Tuus, poëtas in cælum laudibus effert, atque efficere, conatur nullum esse locum in philosophia in quo pertractando, illi Aristotelem longo interuallo non su-

perauerint. ¹²⁶ in Aristotelis philosophiā inuehitur paulo acerbior. Non quòd eam odisset (quī enim odissē poterat, à qua ipse excultus & valdè ornatus, hodie cum maxima omnium admiratione vniuersi senatus quasi clauum tenet?) sed vt causā seruiret & hanc naturā deteriorē patribusque parum gratam, leniret orationis suauitate, qua apud omnes plurimum poterat. Noster verò, contra, poëtarum musas non aspernatur: sed aliud esse docet cum iis amœnioribus velle ludere, aliud in Aristotele & Platone serio philosophari: recreandòsque philosophorum animos poëtarū lectione, non ex poëtis philosophiā esse petendam. Atque etiam illud addit, de superioribus disciplinis actum esse: nisi hæc Thessalica philosophandi ratio, seuiore aliquo iudicio in magistro coerceatur, Præsertim cum omnis harum dignitas, Aristotelis philosophia censeatur: & quantum quisque ex hac ad illas capeffendas adiumenti attulit, tantum in eisdem ornamenti postea sit consequutus. Quibus auditis, cum senatorum omnium animos in rem nostram propensos facillè animaduertes: atque metueres ne illi ad ignominiosam doctrinā tuā damnationem, temerarię quoque prouocationis pœnam adiicerent, vt tui commiserationem aliquam excitares, ipse pro te inclinata voce dicere cepisti, atque causari, non Aristotelem à tuis omnino neglectum, sed eorum quæ hic de differendo multis libris præcepit, vñum in poëtis & oratoribus esse quæsitum. Ego verò cum pro eo quod mihi tum Rectoria dignitate nuper defuncto, vniuersa Academia commiserat, magna animi alacritate, quasi iam victoriam præsentens, de artis differendi vsu in philosophis potius quam in poëtis quærendo, nonnulla dixissem, atque adiecissem duas partes esse exercitationis philosophicę, quas ab Arist. accepimus, vnā in dicendo de thesi perpetua oratione, alteram in concisa disputatione, quarum vtraque in philosophorum scriptis esset perfecta, in poëtis & oratoribus vix adumbrata: factum est senatus decretum in hęc sententiam, Tibi tuisue ne posthac liceret in philosophia docenda quicquam innouare, vel ab Arist. (cuius scripta de puncto in punctū explicari nostra lex iubet) recedere, aut pro illis, tuas nugas, imo neque poëtarū neque oratorū amœniores musas proponere: Quod esset verendum ne harum suauitate quasi Syrenū cantibus, plerique à solidiore philosophorum doctrina reuocati, ad easdē quasi ad laxa adhærerent: denique ne philosophiæ professoribus in iis amplius quicquam liceret, quam succisuis temporibus nonnunquam ludere, & hoc totum ad doctrinæ peripatericę illustrationem referre, non in eo philosophici studij partem vllam ponere. Qui contra faceret, is in legem peccare videretur, & hoc ipso omnibus Academiæ muneribus priuaretur. An num hæc grauius tua doctrinæ

Senatus decretum de Thessali doctrina.



damnatio? Quæ si verum fateri vis, tibi tam molesta fuit, ut ex eo temporis philosophiæ professionē, à tuo prelo relegare omnino malueris, quam te istis legibus addicere. Quid ergo contra doctrinā tuam hac in parte dictum est, quod ab vlla animi immoderatione profectum videri possit? Pergis vero eodem ore, cum scribis non modestiam solum, sed communem penè sensum in eo mihi defuisse, quod ad senatus consulta ausus sum adicere, commentis tuis omnino cōtrarias doctissimorum hominum sententias. Imo verò communis sensus omnino effem expers, nisi hoc de illis iam pridem sensissem. Quid enim, Thessale, tamne stupidus es ut hanc doctrinā tuā, vel potius fatuitatis, damnationem nondum senseris? Deum immortalem! quid non auderes si contra alios tibi esset agendum: cum in eum tam sis impudens, quem non ignoras posse teltibus infinitis istam tuam impudentiam reuincere? Doctissimorum hominum sententiis non es damnatus! Dic mihi, quatuor Academiae nostræ ordines, num doctissimos viros continent? Si negas, patriæ es valdè iniurius. At illi vno consensu millies tuas nugas damnauerunt, & in illis venditandis, tuam insolentiam seueriore aliquo iudicio coercendam existimauerunt: idque ut facere liceret, apud senatum, apud regem, apud primarios huius consiliarios, per literas, per legatos suos frequenter egerunt. Quod si post hac negaueris, atque mihi amplius stomachum moueris, dabitur aliquando ab actuariis nostris eruere exempla eorum quæ de tua doctrina decreta sunt, & literarum quæ contra te scriptæ, illaque omnia edere: ut exteri atque posteri intelligant quo hic apud omnes bonos & doctos semper fueris loco. Verum ut astutè nonnullos excipias, homines istos doctissimos intelligere me scribis mei similes, & logica mihi pares: id est, ut ais, sophistas. Atqui Thessale, in illis sunt non solum doctores theologi, quos scio tibi esse odiosos, sed etiam medici: quorum doctrinam in hac ipsa disputatione de methodo, merito admiraris. An igitur etiam hos, quia te damnarunt, sophistas fuisse clamabis? Ego profecto cum vtroque, ordine atque adeo cum vniuersa Academia, sophista haberi malo: quam in Thessalica sapientia principatum obtinere. Sed age, Academiam nostram nihil nisi sophismata nosse fateamur: atque hoc etiam concedamus, nullos in ea sapientes de tua doctrina sententiam tulisse: nec idcirco te doctissimorum hominum sententiis esse damnatum, quod illa ab omnibus Academiae ordinibus iam pridem sit explosa. Doctos, credo, fuisse non negabis eos quos Christianissimus & literarum amantiss. Rex, Franciscus ad cognitionē causæ tuæ ante annos viginti delegerat. Vis verò audire horū de te tuisque libris præclarū iudiciū? Atqui ad sempiternā admirabilis doctrinæ tuæ memoriam, cum eiusmodi inscriptione ab illis est editum.

Academiae
sententia de
Thessalo.

IVDICIUM LIBRORVM PETRI RAMI,
à Iudicibus, tum à principe, tum à partibus delectis
factum. Lutetia anno M. D. xliij. Calend. Mart.

Cum christianissimus rex noster, pro suo in philosophiam & recta studia animo, nobis id oneris imposuerit, ut librum quendam P. Rami, quem is Animaduersionum Arist. nomine inscriptum, aduersus Aristotelem edidit, accuratè legeremus, & quæ de illo sententia nostra esset exponeremus: nos diligenter perlecto libro & singulis eius animaduersionis & ponderatis sententiis, ita cœsumus. Ramū temerè, arroganter & impudenter fecisse: qui receptam apud omnes nationes logicae artis rationem, quam ipse praesertim non teneret, damnare & improbare voluerit. Ea autē quæ in Arist. reprehendat eiusmodi esse, ut hominis cum ignorantia & stupore, tum verò improbitatem & malitiā arguant: cum & multa quæ versissima sunt, criminetur, & plerazq; tribuat Aristoteli quæ is nunquam sensit: deniq; toto eo libro præter mera mendacia & scurrilem quandā male dicentiā nihil cōtineatur. Vt resp. literaria plurimum, nostra sententia, interesse videatur, librum omni ratione supprimi, vnaq; librum alterū Dialecticarum Institutionem: quod is quoq; aliena multa & falsa contineat. Quid hinc potes comminisci, Thessale? An doctorum virorum iudiciū fuisse negabis? Id si feceris iam cum tribus ornatissimis & magnarū artium cognitione clarissimis, Salignasseo, Danesio & Vicomercato, qui adhuc viuunt, non mecū tibi res erit. Quid si tibi opponerē Ioachimū Perionū, vel Antoniū Goueanū? Num horū scripta, fatuitatis tuæ locupletissima testimonia suppeditare possent? Quorū fides si fortè hac in re suspecta esse potest, audi iam alterum testē omni exceptione maiorē. Tu in tua oratione post reditum, P. Montaurēū eruditissimum prædicas, cuiusq; vigiliis decimū librū Euclidis præclarè explicatū & illustratū fateris, nec sane sine causa. Est enim ille doctissimus & viri melioris etiā dignus elogio. Atqui eo ipso libro, vis audire quid de te sentiat? Ergo, inquit, repertus est, si diu, placet, qui cum bellū nefariū omnibus bonis artibus indixisset & sapientiæ fructū iam planè maxima bonorū omnium gratulatione renascētis, nobis inuideret, Lutetia in luce atq; oculis non modo Gallia, sed totius Europa, castra figeret ignorantia: & vniuersa philosophia vitæq; adeo & philosophia cōstituendæ auctore Arist. oppugnatum, palam etiā accederet, nihilque in Dialecticis, nihil in physicis, nihil usquā veri viderisset, aut tradidisset argueret. Audax negotium, dicerem & impudens, nisi verborum omnium acerbiteriam rei ipsius per se inaudita, neque iam audiendā, indignitas superaret. O Imperitos maiores nostros, qui nunquam quauerūt istud intelligere! Quid est quod profectum esse dicitur: am recenti sophistarum clade atque exilio, si sophistas alios asciscimus? Quasi vero non iam miserimā rerū omnium ignorantia deprece-



mur, sed mutationē tantū in ipsis ignorātia magistrus expectādis. At certē totū illud eiusmodi est, vt censoria magis animaduersione, quam cuiusquam omnino contra disputantis oratione reprimēdum sit. Neque verō de hac ipsa re verbum vllum facturū eram, si moderatius insaniendum sibi putasset: suāque ipse contentus, iuuentutis credula & rerum imperita non augetet ignauiam. Nam de ipso quidem lenior omnino iactura fuerat. Impune esse cui libet debet, periculo suo insanire: sed cum ad aliorum perniciem morbus animi conuertitur, id verō ferendum non est. Huic certē malo nisi maturis consiliis obuiam eatur, atque audacissimos impetus, diligentia continuerit magistratuum, nā praeclara illa studiorum nobis promissa compendia, permagno constiterint iuuentuti: cum grauisima mercede totius temporis iactura didicerit, nihil ē nouis illis, sed non satis eruditus magistris, interea nisi arrogantis cuiusdam & confidentis ignorantia ignaui, eque praecepta didicisse. Non sentis quam magnificē de te loquatur, & quos fructus polliceatur credulae iuuentuti, arrogantis nescio cuius fatuitatis magistrum sectanti? An non erunt haec satis ad efficiendum vt intelligatur te doctorum vitorum sententiis esse damnatum? Age, nolo adhuc his credatur: nec causam dico quin poenam impostori debitam feram, nisi id ipsum quod proposui luce clarius efficiatur. Iam verō de te tuāque doctrina collegas tuos, professores regios audiamus. Erunt forrasse hi in te humaniores, atque etiam si in illa quaedam peccata sint, dissimulabunt tamen vel occultabunt, ne tu nobilissimo ordini dedecori fuisse videaris. A quo igitur vis incipiam? An à Francisco Vicomercato? Hic apud nos nunquam de te est locutus, nisi vt de homine in philosophia omnium indoctissimo, & in illius principes furente: nec dubito, quin vbicumque terrarum sit, nobis adsit fidelissimus testis fatuitatis tuae. Vis à Leodegario à Quercu, viro suo ordine dignissimo, nec vnquā in quenquā nisi publico nomine, commoto? Is quodam loco in tuā laudem sic praefatur. Cum hisce temporibus in hac schola, vniuersi terrarū orbis principe, infelix nescio quis Ramus extitisset, qui arbori matri suae vim afferre cupiens, in eius parietes, Quintilianū, Ciceronem & Aristotelem ita petulantur & propemodu furiose debacchatus esset vt non seminus ignorantem esse, quam calumniatorem ostenderet: cum doctis & probis viris quamplurimis sic comotus & concitatus sum, vt si me iudice tanta temeritas animaduertenda fuisset, culleum aliquem literarium, cui insutus perpetuo multaretur, ei paraturus fuissim. Cetera tibi nota sunt. Vis post illos in P. Gallandij iudicio acquiescamus? Video te in illius nomine pallefcere, futurūque vt exanimaris, si paulo vehementius vrgeam. Quid enim eius illa praeclarissima oratio contra nouam tuā Academiam? Equidem vt ab illustrissimo Cardinali Bellaio, cum eam legisset, dictum memini,

Aperit Ramum qui veste latebat.

Vicomercati
sententia de
Thessalo.

Leod. à Quercu
sententia de
Thessalo.

P. Gallandij
sententia de
Thessalo.

Iam

Iā igitur quid dices, aut caufaberis? Illos doctos fuisse negabis? Credo. Qui enim docti tibi esse possēt, cuius palato Cicero, Fabius, Arist. Galenus, Euclides non sapiunt satis? Sed bona fide dic mihi, Thessale, de Adriano Turnebo modestissimo homine, & in bonis literis omnium quos tulit nostra aetas doctissimo, quid sentis? Hūcne in ista causa testem recusare audebis, aut eius fidem tibi suspectam dicere? Vide quid agas, & caue ne hunc tibi aduersarium reddas: quem non ignoras ad disputationem de methodo, sicut ad alias omnes, contra te esse instructissimum. Nam si is testis recusatus, ad hanc causam mihi patronus accesserit, quas ruinas edet? hoc si fit, profecto de te actum est, periisti. Quanquam nihil potes in eo teste excipere, cuius integerri-mos mores, cum solida doctrina, omnes boni & docti merito admirātur, & quē ipse alias saepe, atque nouissimē in postrema tua oratione plenissimo ore laudasti. Ergo huic credamus, & quod de tua doctrina statuerit, id tantū habeamus. Omitto cetera quibus ille in disputatione de legibus & de fato, suis coloribus depingit Thessalum, qui, vt ait, non solum logicus esse, sed dialecticus haberi vult: locum vnum ex illo describam, in quo pulchrē concludere & perorare videbitur, quod antea Leodegarius à Quercu est praefatus. Tantum admonebo te, inquit, ne posthac tantum tibi in dialectica sumas, vt rudem eius verustatem, te prudentissimum censeas: hoc enim vnum mihi videris toto tuo commentario agere, hoc docere velle, te non modo Chrysippo & Diodoro, verum etiam Cicerone meliorem disputatorem esse. Si enim quandocunque in eos differis, ita pueriliter laberis, vt non modo non disputandi scientiam, sed ne intelligēdi quidem mediocrem prudentiam praeter te ferre videaris, ab illa praestantia quam opinionis errore tibi finxisti, ita longe profecto distas, vt non tam in dialectica tibi laus vlla expectanda sit, quam venia deprecatio querenda. Ne philosophiam quidem & eloquentiam posthac, si mihi credis, tibi arrogabis. Est inuidiosum, est superbum: etiam vt vere dicam, ridiculum. Itaque homines vulgo dissimulos detrahat, de industria tibi illudens tribuat: qui te summis laudibus in caelum efferat, vt olim ille Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, reliquos sophistas: quorum imaginem nullam haberemus, si te amississemus. Sed & nonnulli aiunt expectare te debuisse dum hominum iudicio & suffragiis isto honore afficereris. Verecundi enim hominis fuisse non à se predicari, sed tanquam per praconē, vt qui in Olympicis ludis victores declarabantur, pronuntiari. Quanquam tu à victoria longissimē semper abfuissti, in omni contentione & pugna semper superatus atque triumphatus.

Ac quoties esses victus & à quibus, memorarem, nisi etiam nunc in hominum mente, triumphalium illorum memoria haereret, ad quorum nomen semper exhorrescere, semper expallefcere soles. Sed tamen si tu toties victus, toties

Adriani Tur
nebi sententia
de Thessalo.

R



ludibrio habitus verisque censorum animaduersionibus atque iudiciis notatus, audes ea de te pradicare, quae illi quibus de te optima spolia parta sunt, nec agnoscerent & recusarent: quid fecisses si eum aduersarium habuisses, qui aut imbecillitate ingenij, aut fraude prauaricationis, tibi in disputando cessisset? Cuius enim nunc velut militis gloriosi spiritus vix ferimus, victoris insolentis & exultantis insanam sine modo & modestia gloriam quomodo ferre possemus? Vitiam grauitatem sine arrogancia, dignitatem cum verecundia sequeris, exemplumque nostrae iuuentuti proderes non stultae ostentationis, sed modestiae liberalis (haec enim virtus illam atatem potissimum commedat) non ambitiosa leuitatis, sed grauis constantiae. Me tibi inimicum esse queri non debet: nihil ad contumeliam loquor: ab inanitate ad veritatem, ab ambitione fucata ad vera laudem, ab adumbrata specie ad expressam imaginem, a sophistarum captione ad philosophorum disciplinam te reuoco. Itaque tuorum familiarium nemo tibi melius unquam voluit, nemo prolixius & magis ex animo fauit. Illi morbum volunt tuum & insaniam fouent: ego tibi semper mentem sanam optaui: quo nullum a diis immortalibus maius precari bonum possumus. Quod utinam tibi tam facile esset ad te, quam ad tuos domumque redire: non solum existimationi tuae consuleres, ista arrogantia tollenda: negligenda enim tibi bonorum & prudentium opinio non est, qui quid de te sentiant passim audimus: tu gloria impeditus non exaudis. Erubesceres enim. Verumetiam si quando in scriptoribus explicandis, librisque scribendis errares, equiora hominum iudicia experireris. Nunc enim nulli tuo errori venia impetrari potest, cum pro Phidiae quodam signo tanquam in arce Mineruae, in augustissimo eloquentiae & Philosophiae templo, velut vtriusque alumnus & cotubernalis vnus post hominum memoriam, tuo suffragio, tua tabella te consecraris. Nam cum homines tuis titulis commoti eam in te absolutionem requirant, quam in nullius vnquam artificis signo viderunt: pro eloquentia tamen inanem verborum profluentiam, pro philosophiae modestia arrogantiam, superbiam, intolerantiam non ferendam: pro literarum latinarum scientia, earum ignorantiam: pro philosophiae cognitione, inscitiam quaedam leuitate sophistarum, & ambitione insolentem: in scriptis tuis & commentariis pro eruditione, vberissima errorum messem: cum denique in his nihil ingenij, nihil iudicij, nihil doctrinae reperiant: nulli delicto tuo veniam dare possunt: insimulare procacitatem & intemperantiam tuam, mores & ignorantiam damnare possunt. Satis insanisti, satis pueriliter & iuueniliter lasciuisti: haec tua aetas alios mores postulat. Sit illa datu aetati tuae superior ludus: omitte puerilem istam insaniam: desine etiam nobis verba dare, eloquentiamque & philosophiam, quam iuuenili ambitione tibi assumpsisti, aut usurpare noli, aut etiam factis & exemplis vtraque praestato, vtraque in te esse comprobato. Quod si te tuo vitio indulgere iuuat, nihilque mereas ut factum & ambitione deponas: vide tamen ne nomen & famam huius Academiae ignominia & infamia cuius in gremio & sinu, ut pradicas, crenuisti, quamque pro matre charissima semper habuisti, tibi compares. Nam ei quam apud exteras

nationes ignominiosum futurum est, te in eum peruenisse locum in quo duabus amplissimis & nobilissimis artibus praesidis, quem tamen neque dicendi facultate, neque copia scientiae consecutus sis, sed procacibus in scriptores conuictis, effrenata maledicendi libidine, cum impudentia & ignorantia vitio coniuncta, promeritus sis? Hoc fere triennio vir quidam doctissimus, qui amplissimo regis Lusitaniae honorario Conimbricae professor, in Galliam decedens, cum per Salmanticam iter haberet, homines eruditos qui in ea urbe erant, salutauit: quibus cum se Lutetiam redire dixisset, si quid vellent ad notos & familiares, quos hic forte haberent, mirari se dixerant quod primaria conditione & regia relictam huius urbis desiderio teneretur, ex qua litera & eruditio exularent: quarum si quis esset in ea respectus, non tibi locum docendi vllum futurum, qui ad maledicta & ignorationem natus viderere. Quod ubi intellexi, etsi antea cause tuae non fauebam, tanto tamen tui odium flagrare capi, ut pro publico huius Academiae opprobrio & dedecore odisse te ceperim. Cuius enim nomen olim vltimis in terris omni laude celebrabatur, nunc vile & contemptum tuo magisterio tuamque professione vix hominum iniuriam & contumeliam a se deprecatur. Vt enim si parentem meum qui huic corpori vitam lucemque dedit, aliquo scelere sam: sic cum hanc parentem, quae quantulumcumque in me est ingenij tanquam procreauit & aluit, insaniam tuam & auctores insectandi maledicidique intemperantia acerbissime vulneraris, ignorantia & inscientia apud exteros omnino probro affecteris (quod enim tu peccas, in eius redundat vituperationem) ut desipientibus aetate patribus & male rem gerentibus bonis interdicitur: sic eam a disciplina maiorum & professione literarum remouere tentaueris, ut animum aetate delirantem, & nouam quandam docendi rationem praeclearus auctor instituire conatus sis: nonne pro hoc sacrilegio & parricidio tuo quicquid odij possim, meritisimo in te expromere debeo? Hac ratione quam instituisti, admirationem, cui studes, aliquam consequi potes, sed cum publico bonorum omnium odio coniunctam. Sic monstra, quae natura in suo opere labente gignuntur, pariter & admirari & auersari solemus. Sed nescio quo studio laudum tuarum ex fidelissimo Turnebi testimonio recitandarum, longius prouehor quam fortasse deceat: nec tamen dubito quin pro ea voluptate quam ex illis cepisti, mihi facile ignoscas. An verò etiam nondum agnoscis Thesale, melius tibi fuisse dissimulare quod de doctrinae damnatione dixeram, quam per Ossatum tuum id impudenter negando, me ad eiusmodi probationem adigere? At, inquires, domestica sunt haec testimonia nostrorum ciuium & aequalium, cum quibus mihi de professionis gloria frequens fuit contentio. De nobis autem exteri sine inuidia melius iudicant. Ecquom de iis doctum virum nominare potes, qui sine assentationis suspitione, philosophicam doctrinam quam in te insectamur, probauerit? Nos verò

tibi opponimus Germanos omnes & Italos qui serio philosophantur, non in hoc genere studij leuia conſectantur, atque nominatim Anth. Bernardum Mirandulanum, à quo te laſum ſenſiſti, ideoque eum Animaduersionibus tuis, in ſophiſtarum numerum, ſicut & nos, retuliſti: & Bernardinū Lauredanum, qui in Agrarias tuas tam ſeuere multis locis animaduertit: Philippum Melacthonem, qui quia te indignū arbitratur cum quo diſpuret, quodam loco ab omnibus eruditis poſtulat, vt iſtum Gallum in Ariſtotelem inſanientem (ſic enim te nominat) ſinant ſuo frui ſomnio. Nicolaū Hemingū, qui in diſputatione de methodo, quā nuper edidit, te nominatim reprehendit quòd hanc vnicam eſſe velis. Cornelium Gemmam, qui libro 2. artis Cyclognomicae, in eadē quaſtione, tua opinione damnata, nobis id nominatim attribuit, quod vix audeo agnoſcere. Quid? Iulium Caſarem Scaligerum, principem philoſophorum noſtrę ætatis, noſti? Illum, inquam, Iulium Caſarem qui tam ſubtiliter contra Cardani libros de ſubtilitate diſputat, noſti? Seis quā magnificē de te ſentiat. Habeo apud me eius manu ſcriptam epiſtolam ad doctorem tuum in Mathematicis, Magnam eum: quam tibi oſtendam cum voles. Docta ſanē eſt & animaduersiones multas in Arithmetica tuam continet, quibus per me vti poteris, cum nouam eius editionem adornabis. In ea, ſcire vis, quomodo de te loquatur? Fideliter duos locos deſcribam & ea lege vt per quòsuis cum quibus ego illam, ſi opus ſit, communicabo, poſſis in iis meam fidem experiri. Prior eſt eiufmodi: *Perlibaui, potius quam legi, Rami Arithmetica elementa, in quibus proſecto non poſſum ſatis demirari hominis tum imperitiam, tum audaciam, denique ſycophantiam adoleſcentibus pernicioſiſſimam. Quid enim aliud molitur hac illa totius Academiae pernicies, quam vt optimos quoſque auctores vna cum ſuo caduere Taleo, Harpyarum inſtar ſcedent & corrumpant, & purioribus omnibus diſciplinis interuentionem afferre omni ſtudio laborent? Proſecto cum tu homine vtaris familiariter, non arbitror te ad eiufmodi ſcelera (ſic enim appellare licet) conuiuere. Videtur is nunquam Euclidis conſilium intellexiſſe in ſcribenda *τοις στοιχειοσις*. At quaſo quomodo intelligeret, cum animo coniuuato, ne dicam ulcerato, ad cuiusque optimi auctoris lectionem ſe parat, quoſumam hinc caperet nequiſſimus & inertiſſimus ſycophanta: illius fortaiſſe imitatus exemplum qui Diana Ephēſia templū deſiſit. Sed hac, dices, *τοιαύτην τὴν ποσὴν* quā deſcet. At verò eo ſum à natura ingenio comparatus, vt laruas eiufmodi nullo modo ferre poſſim qua ex optimi cuiusque ruina ſibi laudem & triumphum (ſed illum quidem inanem, imò verò putidum, & qui magno tamen credula iuuentuti conſtat) moliantur. Legiſti opinor, praefationem inſantia plenam (omitto ſolacos qui Ciceronianum dedecent) atque adeo ipſum exiſtimo nunquam percepſiſſe veram demonſtrandi methodum. Omitto quā*

*ineptiſſimè cogmentes Euclidis theoremata, nouo quodam ordine: quum tamen neſcio quem magnum methodi artificem ſe iactet apud ſuos. E qui bus ſi qui huc aliquando videndi, ſeu potius rimandi, ridendi, ſatagendi, & calumniandi ſtudio aduolent, nullam unquam maiorem peſtem agnoſcimus. Neque enim quicquam ſibi intactum relinquunt audaciſſimi & indoctiſſimi omnium nebulones. Atque adeo futurum ſpero vt Ramus iſte (niſi maturè in meliorem viam ſingulari dei beneficio reducat) ne religionem quidem intactam praeterat, & venenum quod forte iam ab aliquot annis concoquit, tandē nolens euomat. Deus Opt. Max. faxit, non dicam vt mentis ſanitati reſtituatur, cum in eo nihil unquam vix bene doctus vllus, ne dicam pius, offenderit: ſed vt ſe perniciem communem iuuentutis agnoſcat, & non modo (licet iam canefcēs, vt de ſe idem ſcribit) ad meliora, verum etiā ad ſolidiora & utiliora ſtudia ſe parat, & melioribus inſtitutis iudicium ſibi formet. Hic ſi quid eſt in te dictum paulo acerbius, de tua religione praefertim, mihi ignoſce, & Scaligerum, non Carpentarium ſic loqui exiſtima. Locum alterum videamus, erit fortaiſſe in te humanior. Is poſtquam ignorationis tuæ in Mathematicis argumenta multa recenſuit, de methodo in qua rex quidam videri vis, ita concludit. Denique ſui oblitus non perpetuo ſequitur egregius hic methodi artifex, natura illum ordinem quem tantopere affectat: neque intelligit, opinor, alium eſſe ordinem in tradendis principiis diſciplinariis & alium demonſtrationis. Proſecto mihi videtur *ἰσχυρά* vel etiam in tenuiſſima philoſophia parte, vt me pigeat quicquam unquam huius hominis legiſſe. Longum eſſet omnia recenſere qua tibi vel notiſſima eſſe exiſtimo. Sed hac ad te ſcribo vt intelligas me nullo modo probare huius *Ala Zonis & Sycophanta* ingenium: qui meo iudicio bonis omnibus diſciplinis perniciem molitur, quo ſua nugae & ſumi in pretio tandem habeantur. Vis etiam his exterorum & domeſticorum de tua doctrina testimoniis, nonnihil amplius adiciam: Iacobus Schegkſius inter Germanos noſtra ætate nobiliſſimus philoſophus, te toto opere ſuo de demonſtratione, Pariſienſis Academiae ſophiſtam paſſim nominat. Ac libro 1. hac laudis tuæ eloquia ad verbum recenſet. *ſtudium deprauandi præcepta artis, inquit, ſummū in Petro Ramo fuiſſe animaduerto: qui veterem artem tanquam inutilem & obſoletam è medio remouens, totam propemodum in nouauerit, vt vix eius artis agnoſcatur priſtina ſpecies & dignitas. Sed qua impudentia auſus ille fuit præſtantiſſima artis fundamenta conuellere, eadem fuit auſus etiam principem eius artis doctorem Ariſtotelem, ſummum philoſophum, homuncio inſcientiſſimus philoſophia, iniurioſiſſimis animaduersionibus flagellare, ſummo ſuo decore, & Scholarum (ſi qua ipſius nugis delectantur) maximo detrimento: vt qui non intellectum auctorem illum, Scholis contemnendum, non diſcendum, vt par erat, propoſuerit. Quid autem aliud eſt reprehendere & exagitare non intellecta, quam ſuam inſcitiam cum impudentia coniunctam, cum ſumma lenitate**

ſcurrilitate morum ridēdam doctis & modēstis exhibere? Nec verò idem hanc in te vehemētiam scriptis suis terminauit, sed superioribus bel-
lis ciuilibus, cum propter ingenium tuum nō minus in religione quā
in philosophia turbulētum, ab Vrbe & patria (ne quid dicam grauius)
abesse cogereris: hic qui fortassē tua calamitate literarum nomine
non nihil cōmoueri debuit, non modo te per Germaniam peregrinan-
tem, nullis humanitatis officiis complexus est, sed rebus afflictis, in il-
la natione nouam docendi prouinciam affectantem, quibus modis
potuit, prohibuit: imo hoc ipsum docendi munus in quibusdam eius
partibus aggressum, ipsa cathedra statim tandēque vniuersa Germa-
nia expulit. Atque ex eo tempore ea contra te tuasque philosophicas
nugas edidit, in quibus nullam testis fidem amplius asserere potest:
quoniam personam induit grauissimi & potentissimi aduersarij, in
qua sicut ille ad nostram causam multis partibus accedit, eoque gra-
tissimus est quod perfecit vt Scholarum que sunt in eadem Germania
multa & celeberrima, eadem fuerit sentētia de tua doctrina quæ fuit
cōstans & perpetua Academię nostræ ab annis triginta: sic nos nostro
Cōmentario in descriptionē artis disserēdi, quē nunc habemus in ma-
nibus, ea diligentia tuas animaduersiones aliquando excutiemus, in
qua idem fortassē sentiet apud nos nunquam defuisse qui istius fatui-
tatis tuæ fucos viderint atque oderint. Sed illū omittamus hoc tem-
pore. Vis vero de tua philosophica doctrina in eorum iudicio acquie-
scamus qui tibi multis de causis amiciores semper extiterunt, & tales
se ipsi in suis scriptis profitentur? Simon Simonius Lucensis vbi-
cunque terrarum sit, quam tibi amicus esse debeat omnes sciunt qui me-
minerunt eum à te in hanc Academiam allectum, Regiæque profes-
sionis expectatione lactatum, imo regiæ cathedræ vltra ad dies a-
liquot tuo beneficio ornatum: cum tu interea nescio quid mon-
stri hinc aleres, quod ex eo tempore cœpit in apertum erumpere. At
audi quid idem de te statuat, eo ipso loco quo se tibi amicum profi-
teretur. Libro primo eorum quæ scripsit contra eundem Scheg-
kium, dum se de eo purgare vult quod tecum in doctrina philoso-
phica communicare diceretur, *Respondeo, inquit, primum me Petri Ra-
mi amici mei Animaduersiones in Aristotelica scripta, in plerisque &
fere in omnibus non probare: quod aut seipsis leues sint, aut si quid ponderis
habeant, non bene percepta mente, vel arte Aristotelis afferantur: aut
etiam quod nulla ratione circumstantiarum habita, summo quodam iuris ri-
gore, omnia persequi tum Ramus voluerit, cum non debuit. Et paulo
post.*

*Quo animo scripserit animaduersiones suas noua, etiam Logices author vi-
deri voluerit, nescio, neque etiam ut sciam laboro. Ille mihi scriptis primum,*

*deinde facio, tandem etiam consuetudine notus fuit. Admiror acutiem eius in-
genij, eloquentiam, multiplicem eruditionem multaque alia dona quæ dominus
in illo collocauit: probo eius mores, ac præter ceteros, comitatem ac in loquendo
modestiam. Id non probo, quod dum in optimum quemque scriptorem ac præ-
sertim Aristotelem, non bene illius mente ac philosophandi ratione percepta,
in mehi se nescio quibus, argutus quidem, sed vanis rationibus, posse putauit, in-
cautam & inruditam iuuentutem, ab utilissima planēque necessaria lectione
auocare conatur. Nemo enim est qui de scriptis Aristotelis ac tota eius philo-
sophia, optimè sentire ac loqui, summum eius ingenij acumen ac dexteritatem
admirari, studium, Methodum, ordinem, summis laudibus celebrare, inuenta
traditaque ab eo, studiosis omnibus cuiusvis generis disciplinarum quasi perne-
cessaria proponere, eosdēque ad vniuersi illius inter philosophos lectionem horta-
ri, publicè priuatimque omnibus modis non debeat.*

Vides opinor quò iure dicere potuerim te doctissimorum hominum
sententiis esse damnatum: aut si nimius tui tuarūque nugarū amor
impedit quò minus id videas, at certè qui de hac nostra contentione
iudicaturi sunt, facillè intelligent, quantum sine vlla contumelia aut
animi impotentia in eum mihi licuerit, qui omnibus solidiore aliqua
doctrina imbutis, maximo suo merito est odiosus. Verum enimvero
audiamus quo artificio hoc eleuari posse potes. *Quid, inquis, iudicium
illud commemoras, cum te etiam consentiente ordines omnes Parisiēsis Acade-
miæ P. Ramo nouos honores decernendos censuerint, quòd primum in causa præ-
ti publici salutem, deinde in conseruandis privilegijs dignitatem vniuersis pro-
curasset. Et huius quidem honoris testimonium tandiu feretur, quandiu publi-
carum Academiæ tabularum memoria extabit. Quasi verò in quæstione de
prato nostra salus versaretur. Nobilis profecto ista est veteris nau-
fragij tabula: quam si me audis, summa cura conseruabis, ne si quis eā
de manibus cripiat, nullam posthac apud Academiæ patres tui com-
miserationem possis excitare. Quanquam quid dico conseruandam?
iam tibi erepta est. Nescis cum exul literas ad Academiam scripsisses,
in quibus hæc tua singularia penēque diuina in rem literariam meri-
ta commemorabas, qui risus in omnibus ordinibus excitati? Sed hæc,
tamen, qualia sint expendamus. Tu olim P. Gallandij odio, sicut scis,
quæstionem de prato nostro excitaueras, aut certè ea iam grassante,
vt in effrenatam iuuentutem popularis videreris (hoc enim in omni-
bus dictis & factis soles imprimis expetere) quasi oleum igni addide-
ras: & illum regiæ professionis collegam, concionibus tuis in grauis-
simum vitæ discrimen sæpe adduxeras, Res testata est, & adhuc ver-
satur in recēti hominū memoria. Aequū igitur erat te hominē huma-
nissimū scilicet, ei malo remediū adhibere cuius auctor ipse extiteras.*



De conseruatione autem nostrorum priuilegiorum (quod gloriose legationis tuæ caput erat alterum scis) quam gratiam tibi habeant Parisienses mercatores, Academia nostræ nunciij: Præuicatore te appellat, & eius quod tutandum susceperas, dum apud Illustrissimum Cardinalem genio tuo magis quam causæ seruire vis, proditorem. Intelligis quid loquar. *At verò omnes ordines, inquis, nouos honores nobis decernendos censuerunt.* Erras Thessale, non sunt isti honores noui: sed tam frequentes in Academia ut iam penè incipiat vilescere. Quis enim unquam vel in leuissimis, pro re literaria laborauit, de quo cum esset ad Patres relatum, non sit statim auditum eiusmodi aliquod elogium? Tu Academia nomine ad regem eras profectus: sumptus in ea legatione feceras: ad nos reuersus te non infeliciter gesta, eos poteras tuo iure exigere: pro tua liberalitate Academia remisisti: omnes tibi gratiam habendam cœsumus. Quid minus tuo nomine potuimus? Equidem cum tu hos nouos honores appellas, videris in Mustaceo magnam coronam querere. Quanquam ego ipse erro. Nam istiusmodi honores tibi quidem certè, valde erant noui. Siquidem nouum erat & antequam diem inauditum in Academia, Thessalo gratiam haberi, qui semper in illa audiuerat pessimè. Quid enim? nescis quam multa proferre possim ex illis eisdem tabulis, quas propter istam gloriolam sempiternas expetis, monumenta temeritatis tuæ, arrogantia, ignorantia, fatuitatis? An verò in isto prato summa doctrinae tuæ versabatur? Ridiculum est profecto hominem & logico artificio regem regum, ex eo concludere doctrinam suam ab Academia Parisiensi non esse damnatam: quod ab eadem aliquando in procuratione huius negotij ad doctrinam nihil omnino pertinentis, bene audiuerit. Ecce verò crimen aliud enascitur. Tu me maledicum conuiciatorem nominas, quod te in antiquitatem contumeliosam in veterum iuratum hostem dixerim: atque contra audes opponere, te honorem & dignitatem Hippocratis, Platonis, Aristotelis imprimis, deinde reliquorum summis illis proximorum, omni studio tueri. Hæc enim tua verba sunt. O insignem impudentiam, & mihi cum hæc ipsa lego, prorpsus incredibile! Tu foetido ore tantum venenati puris in omnem antiquitatem, atque imprimis in Aristotelem tota tua vita euouisti, ut nemo bonus sit, vel mediocriter literatus, qui à te non abhorreat: & tamen prædicare audes te huius imprimis illorumque dignitatem & honorem tueri. O miseros veteres eloquentia & sapientia magistros, qui in immemores & ingratos sua beneficia contulerunt! Quid enim de nobis bene merendo sunt consecuti? Nempe ut in ea Academia, in qua castra sunt eloquentia & sapientia, spectantibus nobis, neque iis ignorantibus qui reipub. clauum tenent, cū vnus Thessali fastu conculcati sint, conqueri

conqueri tamen nō liceat. Imo in summo squalore & sordibus, audire cogantur se ab eo ornatos nouaq; dignitate auctos, à quo sunt spoliati. Quis vnquam latro vel archipitata ausus est agere isto modo? Et tu me maledicum conuiciatorem appellas, putidè, quòd te in antiquitatem contumeliosum & veterum iuratum hostem dixerim! Caue ne iustus dolor grauiora extorqueat, quæ ego verè possum de te dicere. Sed reprimam me, ne in huius ardoris specie legitimam probationem videat eludere voluisse. Ego te in antiquitatem contumeliosum fuisse dixi, eiusdemque iuratum hostem: addidi etiam veteris disciplinae contemptorem, insolentem, nugatorem: fateor. Sed illud Thessale non tamen fuit tibi dolendum quòd ista ex me audiueris, quam quòd ea antea feceris & dixeris, propter quæ maximo tuo merito, iis etiam longè grauiora ab omnibus bonis possis audire. An maledicus conuiciator est, qui id obiicit quod tuo testimonio potest confirmare? Atqui è scriptis tuis infinita exèpla proferre possum contumeliae in antiquitate, hostilis animi, insolentia. Vis incipiam à primis & rem perducam ad extrema? Sic enim obsignatis quasi tabulis, tecum agendum est quoniam nisi tuo testimonio vrgearis, negas quidlibet imò verò neque in hoc semper conuiciscis. Etiam si ipse quodam loco scribas, nullum valentius argumentum esse ad conuincendum reum, rei ipsius testimonio & confessione. Age omittam distinctiones tuas in Oratorias Institutiones, quibus Fabium artis dicendi præceptis magnam laudem apud omnes consecutum, miserè tractasti. Non repræsentabo Brutina tua conuicia in Ciceronem, quem Romani in dicendo admirati, regem fori appellarunt: tu verò ut putidum Rhetorculum vel rabulam de foro, iuueniliter exagitasti. De Aristotele tantum agam: quod hunc imprimis à te honore & dignitate auctum dicas. Ac ne quid tibi imponi videatur in his quæ primo aspectu erunt incredibilia, teque à nobis noua inuidia grauari calumnieris, non solum librum indicabo ex quo deprompta erunt pulchra scilicet, honoris & dignitatis in illum testimonia, sed libri folium, paginam, lineam etiam si opus sit. Primis Animaduersionibus tuis fol. 3. pag. 2. ut in Aristotelem non odio, sed veritatis studio agere videaris, à Deo optimo maximo ita exordiris,

*-O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, & fulmine terras,
precòrque ut imaginem diuini caelestisque luminis (quod in animis inspirasti
atque accendisti) à miseris tenebris eripi liberarique patiari. Equidem
vota hæc cum audio, facile mihi persuadeo ab homine tam sanctè
& religiosè agente, nihil in Aristotelem esse dictum nisi ex animo:
& eo quidem longè præptiore ad excusandam huius doctrinam,*



quam ad insectandam: vt si quando in eam fueris paulo acerbior, credibile sit acerbiter hanc ab ardente veritatis studio, non ab vlllo odio esse profectam. Quid enim aliud vir bonus existimare possit ab eo qui initio Deum testem adhibet, id est rectam conscientiam? Ergo audiamus ea de Aristotele dicta, quæ tu Deo præsentem sancta videri vis fol. 16. pag. 2. incipis ab amarulæta hac in illum acclamatione. *Dij veterator & impostor eradicent: nimum diu fefellisti, induxisti, nocuisti.* Sanctissima sane oratio. Eadem sanctitate fol. 18. pag. 1. eum vocas *Archisophistam.* iteratque hoc fol. 19. & 33. Vt nobis amplius contumeliosum esse non debeat nomen *sophista*, quod tam sæpe in hac disputatione ex tuo ore audiuius. Quoniam in eo, includimur nobili equo Troiano cuius principem Arist. videri voluisti. fol. 30. pag. 2. nominas *Deum amenium.* fol. 32. pag. 1. *callidum & vfrum s. phistam:* & eodem loco, *teratorem planè bardum, s. phistam litigiosum.* Duriora sunt quæ sequuntur, fo. 43. pag. 1. *hunc crudelem & immanè studiorum humanorū canisicè esse ais.* fo. 46. pa. 1. *suorū crudele tortorè.* pag. 2. *prestigiatorum.* fo. 52. pag. 2. *exclamas fabulatorem esse, inaudita fabulæ parentem.* Quem eadem pag. ita alloqueris. *Tu histrioniam nouam facis, tua ista spectacula qui ingrediuntur, sacris tuis prius initiati tanquā Galli Cybeles Enthri aut Bacchi Menades, è potestate mentis exeunt & protinus è quietis & moderatis, saltatricula quadam Dionysia, magistri videlicet persimiles efficiuntur, & protinus furore Aristoteleo correpti saltatoriū orbem saltare incipiunt.* Hæccine oratio est hominis honorè & dignitatè Aristotelis tueri volētis? Age omitto hoc. Hæccine oratio hominis tā sanctè diuinū numē appellātis. Equidē quādo ista lego, & cū superiore tuo voto cōparo, soleo de te vereri nescio quid, quod nonnunquam aliis accidit, qui ore quidem diuinū numen implorabant, animo vero tacitæque cogitatione, eius splendori oblittebant. Vt enim in iis cōmunis sensus omnino deprauatus est & animus ad omnem improbitatem proiectus, quod diuino numini, à quo rectæ cogitationes manant, illulissent: sic metuendum (quod profecto minimè velim) ne in te falsa religionis specie in antiquitatem furente, maledicentiæ spiritus pro diuino loquatur, & ista effundat, quæ sedato furore non audes agnoscere? Quid enim est de superioribus quod in Aristotelem humanitas dictum videri possit? Atqui alia sunt longe grauiora & in eius doctrinam dicta contumeliosius. fo. 34. pag. 1. quæstionem de enuntiationibus finitis & infinitis quæ explicatur libro de interpretatione, *depromptam esse ais ex Chimericis nominum verborūque somniis: in quibus anxia, delira, errantia, vaga, & ca sunt omnia & hic collectas multorum dierum insanias ex ralie insanorum s. phistam.* fol. 37. pag. 1. toto libro de interpretatione contineri scribis *summam rerum confusionem, s. phismata, ængmata, Chimericis somnio-*

rum s. s. cinationes quæ nobis rationem iudiciumque eripuerunt: ex cōque cōcludis pag. 2. librum hunc de confusione potius quam de interpretatione debere inscribi. *In eo enim cōortis & aculeatis s. phismatis referta esse omnia ad fallendum, turbandum, impediendum ab improbissimo nequissimoque s. phista composita.* fo. 38. pag. 1. eadem humanitate illius Analytica exagitas. *Analyticon,* inquis, *opus vniuersum appellatur: vnde? à verbo græco ἀναλύειν quod retexere & delere significat. Nempe quod hæc ars quasi Penelope telam retexens, tollat ad extremum & destruat omnia.* Nomen certè operi conuenientissimum. Analytica itaque libri definiantur quibus hominis naturale iudicium corrumpitur atque habetatur. Deinde. fol. 39. pa. 1. ais primum librum habere hortos preueros, sed monstris immanibus circumspectos vallatosque: secundū prestigis & incantationibus eludere. Tertium & Quartum summa & perfectissima insaniendi doctrina, captos iam mente instruere & exornare. Amplius etiam fol. 54. aggressurus Analytica posteriora, in eorum laudè sic præfatis. *Ad hanc sapientiam vota solemnia faciamus. Agite cereus accendatur: limina sacra pandantur. Dij deaq; omnes quænam sunt in iis sacris numina? Videre videor varios diuersorum generum demones ex animis s. phistarum concretos, variis supplicis & miseris cruciantes eos quos ad se fraudibus & insidiis pellexerint. Sicine quos amas, Thestale nouis auges horribus? Quid vero quod non modo in Aristotelis doctrinam sed etiam in vitā contumeliosius exitisti? Eodem enim ore scribis fol. 20. pag. 2. *hic Hermia concubinam tam misere depernisse, vt promissam sibi dilectissimæ Cereri immolare suat soliri ideoque fol. 42. pa. 1. vocas idololatram & quidem meretricis.* Quo confugeris si quis in te agendum putaret isto modo? Non possem exitum reperire si vellem persequi singula eiusmodi ornamenta, quibus Aristotelis doctrinam atque vitam decorasti. Et miraris Thestale, nos nonnunquā in te paulo esse vehemētiore quam vis! Ego vero miror qui homines cordati tandem ferre possint hanc tuam in antiquitatem effrenatam audaciam. Legat qui volet vel cui tantum orij suppetet, Animaduersiones secundas aut etiam tertias, & in fraterculi Talei Dialecticarum Institutionum commētariis superbam huius Thestali cum Aristotele comparisonem: tum intelliget de illius schola verissimè dici posse quod de Peripatetica mentitur quodam loco os impudens, Cynicam esse scholam omnis impudentiæ, in qua flagitium sit vlllo loco modestum esse, pudentem, verendum. A teo vt mihi illa tua conuictorum plaustra in antiquitatem recordanti, leuissima iam esse videantur quæ de nobis nostraque professione commemoras. Nam si quis arbitratu illa de Aristotele iure dici potuisse, quid fiet misero mihi? Sin immerito: gloriosum profecto nobis est eū illo laudatissimo philosopho vel potius philosopho-*

rum principe, ab isto illaudato male audire. Quodam loco me contumeliose nominas medicinæ discipulum. Non est hoc ei iniurium qui ab aliquot annis talem se est professus, tandiūque profitebitur quādiu viuet. Siquidem notum illud est ex Solone, Senescere nos oportere, multa quotidie discentes, in ea præsertim arte cui nostrorū studiorum summam consecrauimus. At certe eo te supero quod in illa tam fœlicibus auspiciis omnia nobis inchoata sunt, vt adhuc nihil sit in quo me mei pœniteat. Tu in eius studij candidatis nomen tuum nondum auderes profiteri: & cum inter eos consenueris quos Socrates in Phedro *λεγομεθα δὲ λυσι* appellat, vanūque principatum in illis semper affectaueris: eo ipso tamē te discipulum adhuc agnoscis, quod ad excusandum tuarum opinionum æstum & in nemine antea auditam incōstantiam, quotidie dicere soles posteriores tuas cogitationes prioribus esse meliores. Addere etiam potuisti (quod ex maledicentiæ tuæ copiæ cornu cum hæc adornares audiebam mihi apparari) Vespillonem funerarium, Diaulum & cætera quæ in homines nostri ordinis trita sunt. His certe nihilo magis essem cōmotus quā eo ipso quod alio loco scribis, vereri te ne ego ignoratione istius tuæ artificiosæ methodi, pro salubri in salubre medicamentum præscribam, pro remedio venenum. Dictum profecto in eos qui cum maxima celebritate medicinam in hac vrbe faciunt, omnesque istam tuam vnicam methodum vel aspernantur vel oderunt, dignum Thessali sapientia. Sed in eo non cogitas me habere in quo par pari referam quod te remordeat. Nos corporum curam habemus: tu pro tua regia professione & prælei gymnasij præfectura, animorum & eorum quidem in quibus excolendum est, sicut scis, Reip. seminarium. Nō vides quid dicere potuerim in ista cura nobis à te metuendum? Age omittam religionem, nec istam camarinam tibi commouebo: in qua tamen cogitare debes quid ab aliis audire possis. Sed in artium liberalium professione cum hac tua de vnica methodo, noua doctrina, quid hactenus perfecisti? pro Thesauris carbones indicasti: multorum animos sic infecisti, vt verendum sit ne reliqua pars quæ adhuc sincera est in hanc pestē nescio qua cōtagione trahatur. Quod vero eodē loco mihi exoptas senectutē in qua edomita iuuentus appareat: pro eo tibi magnam gratiam habeo. Quoniam hæc ea ipsa est quam in te iam pridem desidero: & mihi, nisi quid præter naturam acciderit, tranquilliorē quā tibi, ex eo nō incerta spe fortasse promitto, quod adolescentiæ & iuuenilis ætatis studia sedata, non in antiquitatē ardentia extiterūt. Quod vero ingenio aliquo naturā nos genuisse scribis, bene habet Thessale. Verebar ne stupidū omnino, vel etiā stipitem diceres. Sed *crudo, ais, & acerbo*. Hui quæ nā, est ista cruditas? An quia doctrinæ tuæ, præsertim

in hac quæstione, suauissimas epulas percoquere adhuc non potui? Hæc mihi profecto cum multis doctissimis viris est communis. Ego vero metuo ne in ingenio tuo, nescio cuius gloriolæ flamma, omnia immoderatē affata sint atque vstulata. Sequitur. *Ambitio & æstus ad magistros turbulentos te contulit*. Tua verba sunt: nec ego quanquam sciā in dicendo esse frequens (conferre se) ausim tamen sine tua auctoritate dicere, ambitio te contulit. Sed rem videamus. In qua dic mihi per deum immortalem Thessale, cum hæc scriberes, non cogitasti quā probabilitate eadem in te possent retorqueri? Etenim cui nō est perspecta tua ab annis triginta in re literaria, ardens ambitio? Quis non sensit furoris tui in antiquitatem rapidos æstus? Nec verò dicam te ab illis ad turbulentos magistros esse delatum, sed turbarum omnium magistrum in Academia extitisse. *At comitia Mathurinsia, ais, multo sæpius quam græcorum vel mathematicorum auditoria frequēstasti. Hinc mortarius. Pulchrè me Herce dictum & sapienter. Perge. Itaque vt in comitiis quantumlibet valentem mathematicum vel philosophum tuis suffragatoribus superare consurasti, sperauisti quòque quæstionem de vnica artu instituendâ methodo obtineri posse.* Pape! Iugulasti hominem. Ego quidem verè prædicare possum me non modo Iulianensibus & Mathurinsibus comitiis, sed omnino omnibus siue Curiatibus, siue Centuriatis, viris bonis & doctis sua sponte fauentibus fuisse gratissimum: Te verò tuo merito omnibus Academiæ ordinibus semper odiosum: atque illud etiam addere, eorum studia à nobis nunquam abhorruisse, sed ex eo tempore ad amplificationem rerum nostrarum præoptiora & paratiora fuisse, quo in Rectoratu agnouerunt qua fide & diligentia conaret doctrinæ tuæ fucum detegere. Sic adolescenti mihi, sicut scis, ad gloriam commendatio ex doctrinæ tuæ reprehensione prima parata est, eadēque ex eo accreuit quòd docendo in eo semper academiæ disciplina, leuib. maculis repurgata, vilescitibus tuis nugis, suo splendore nitesceret. Neque verò vnquam dubitati quin hæc eius memoria quādiu extabit, tandiū testabitur Thessalum eisdem valdè odiosum fuisse. Præsertim cum futurum sit vt ex ea intelligatur Carpentatium in sua professione, sicut vis, vix tolerabilem, eo ipso Academiæ Parisiensis omnibus ordinibus gratissimum fuisse, quod te tuæque sit infectatus. Ego in re literaria sine vlla vi, sine ambitu, modesta laborum commendatione, honoribus omnibus meo tempore gradatim sum ornatus: tu non modo nullum adhuc consequi potuisti, sed ne in ipsis quidem comitiis, propter publicum





doctrinae tuae odiū, olim tuto versari. Et cum nuper nescio qua reconciliacionis specie cum Patribus, in illa irrepulisses: in aliquot negotiis saepe probasti quā es comitalis homo: atque ad extremum turbulento tuo ingenio, comitia omnia sic perturbasti, vt in illis amplius non habeas vbi pedem ponas. Sed de comitiis satis. Eiusdem fol. pag. 2. *ais me de industria, item prudentem & scientem sophistam esse. Quali verò quisquam sophista sit, qui non idem de industria prudensque & sciens fallat. An te Arist. nondum docuit sophistam à philosopho differre non facultate decipiendi, sed voluntate & electione. Nam quod me sophistam vocas, nihil moror. Quoniam me totum comparo ad Aristotelem intelligendum & imitandum: quem tu Archisophistam soles nominare. Quanquam in te artis sophisticæ renascentis multa extant Montauri tui, Adriani Turnebi, Iulij Scaligeri aliorūque doctissimorum virorum solemnia præiudicia. Et si hoc loco disertus haberi vellem, facilè confirmarem in Thessalo reuixisse Protagoram, Gorgiam, Hippiam & reliquos veteres omniscios sophistas, in quos Socratis ætas inciderat. Iam quod me nouitiolum academicum contumeliosè nominas: mallem profecto Academicum nouum omnino negasses. Nec enim de eius sectæ principatu tecum contendo: quam etiam si in aliis aliquando probauissem, tamen propter eos fructus quos in te peperit, iam cane peius & angue odissem. Ego tibi sum ἀνωμίτητος ἀναλόγητος: sit ita sane. Tu ipse eadē de te ex Scaligeri epistola antea audire potuisti. Nec putas, credo, scire nos quanto cum dedecore in docendis Mathematicis, de Cathedra regia ante tempus frequēter descendere sis coactus, quod ea tibi in via excidisset, quæ à priuatis magistris paulo ante domi erant dictata: nec saepe vidisse illam incredibilem scholæ tuæ solitudinem, quæ te ex regio gymnasio, in ptelem superioribus annis relegauit: atque hoc ipso coegit ad repetendam Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam. Vt interea dum in iis Crambem tam saepe recoctam, credula inuenturi reponis, in illis discas, auctaque facultate, tandem aliquando tuo Marte, vt aiunt, in isto puluere ingenium exerceas. In græcis verò hac ipsa disputatione te valdè rudem, cum aliis locis multis, tum eo maxime probauis, quod cum venisset exclamasse tibi videreris fol. 7. pag. 1. homo ὑπορικώτατε non solum λογικώτατε, eadem forma etiam illud effinxisti fol. 9. pag. 2. ἀνωμίτηκώτατε: cum nos abecedarij, sciamus vt ἀνωμίτητε sic ἀνωμίτητότατε dicendū fuisse. In cæteris cogita quā præclarū tyrocinij facultatis tuæ in græcis, Epistolarum Platonis interpretatio tua complectatur. Quarum ne primā quidem periodū intelligere potuisti: quanquam adiutus non solum versione Ficini, sed Tusani prælectionibus tuorumque magistrorum dictatis. An quia græca multa*

in latinis tuis disputationibus cum minimè necessarium est, describere potes, eorumque nonnulla ex aliorum dictatis vix tolerabiliter interpretari, eo persuadere vis te in eius sermonis facultate alterum Platonem esse vel Demosthenem? Sic nos aliquando, maiore etiam fide, philosophica quadam de Elementis & animorum immortalitate, ex Italorum vernaculis Latina fecimus & Alcinoi interpretationem puriorem quam antea, cum nostris in eam commentariis quando visum erit edemus. Neque profecto nos ab ista cogitatione, tua tonitrua reuocabunt: & quāquam certo sciam te illis diri aliquid minitari, quod intellexeris futurum vt Aristotelis cum Platone comparationem complectantur, in quam, si vera est tua oratio pro philosophica disciplina, ab annis multis incumbis: istis tamē non cedam, sed contra audētior ibo. Quoniam in potissimis illius nobilissimæ comparationis capitibus, intelligo quam leuiter sis instructus ad sustinendam grauem dimicationem. Vt pote qui nihil noris in philosophia nisi de præterita Dialecticæ definitione: de eiusdem diuisione in inuentionem & iudicium: de vnica methodo Analytica, quasi de tribus tuis capellis. In quibus,

veterem in limo rana cecinere querelam.

Quare vt locum hunc de nobis tandem aliquando concludam, & ad institutam disputationem veniam: iam ego vt olim Diogenes, Thessali fastum pedibus conculcabo: maiore fortasse fastu, sed quid facerem? Contra impudentis scholæ principem nos oportet bene & gnauiter esse impudentes. Sum fateor medicinæ discipulus, atque addam si vult tyrunculus: nec enim de ratione eius artis docendæ vel faciendæ vlla mihi tecum contentio est: nec esse certè potest. Quoniā tu ne eius quidem adhuc es idoneus auditor: Ego quantumuis rudis, in ea tamen docenda plus habeo viriū ad retinendos auditores, quā tu in mathematicis: in quibus superior omnibus vis videri. Quanquam, vt ingenuè fatear, in eadem faciendā, non satis facultatis ad sanandū inueteratum animi tui morbum. Sum ἀναλόγητος ἀνωμίτητος. Agnosco hoc quoque & eo ipso te supero, quod in iis nihil magni vnquam de me sum professus. Tu eo ipso tempore quo primas literarum primaque artium mathematicarum elementa discis, in eisdem de principatu cum omnibus decertas, atque adeo cum tuis magistris. Qui de te non ita pridem, sicut Protagoras de Euathlo, apud omnes quærebantur. Mihi satis est quod intelligis quid loquar. An non hoc proprium est Thessalicæ modestiæ? Meministi verò qua de re antea inter nos fuerit omnis contentio? nempe de philosophiæ professione. Huius finibus si voles, nos contineamus, atque experiamur quid in his possit vterque nostram. Erat quidem Aristotelis doctrina digna me-



liore patrono, fateor. Sed te oppugnante, hic habet satis virium ad eam retinendam, tuumque fucum omnibus detegendum. Desine, desine tandem aliquando Thessale, quiritate de tribus tuis capellis, atque aggredere superiores philosophiæ partes: eam præsertim quæ de natura est. Hæc enim, vt scis, locupletissima est & habet satis multa ad ingenium tuum reliquo vitæ cursu in animaduersionibus exercendū. Sed tamen vide quid agas, & quanquam certo sciam te ad illam esse instructum fraterculi tui vigiliis (in quibus plagium tibi obiicerem, nisi scirem Pythagorica lege vobis fuisse communia omnia) memineris tamen quid de tua in illa imbecillitate mihi, ante annos quinque in aurem dixeris: & cum nuper inuentionis tuæ capita decem, in cathedra regia explicares, quam multa de causis & de Deo, quo modo in loco sit, tibi exciderint, non dico puerilia, sed quæ in pueris nostris essent flagitiosa. Atque horum cogitatione admonitus, etiam atque etiam caue, ne (quod in docendis mathematicis antea sæpe accidit) illa physica domi dictata, aut ex fraterculi commentariis descripta, tibi cathedram petenti excidant. Ne cum ad illam perueneris, obmutescere cogaris: aut sicut soles, frequenter horam eximere, dicendo de tribus tuis capellis. Quarum quoniam pulcherrima est & præstantissima hæc de vnica methodo, attente consideremus quo artificio tu qui ab annis quinque & viginti, in illa tuo pectine ornanda totus es, eandem in hac disputatione defenderis.

ANALYSEOS DISTINCTIO, ET IN ea quid Platonicum sit, quid Aristotelicum.

Cap. I.

MEMINISTI, opinor, Thessale, cum ante annos quinque de constituendo rei literariæ statu ageretur, & ab illustrissimo Card. Lotaringo de eo ipso cogitante, nominatus esses, Petroque Gallandio adiunctus, ad videndum quid de ea forma quam seruamus, retineri adhuc commodè posset, quid in melius immutari: ab vniuersa Academia mihi esse demadatum vt cum Rectore, Cardinalem, omnium ordinum nomine salutarem, efficeremque vt ex oratione mea intelligeret quid ab vtroque vestrum, atque potissimum à te, tum, sicut antea semper, Academia metueret. Quod quasi Quis lupo committi videretur, cum reformatæ rei literariæ potestas in eum transferretur, quem omnem deformitatem in illam induxisse Sapientissimi Patres iudicabant. In hoc munere ita me gessi vt nihil in te dictum fuerit acerbius, & tum impetra-

impetratum, non vt ista prouincia omnino decederes: sed vt in ea alij adiungerentur qui veterem formam, eam præsertim quæ in docenda philosophia seruabatur, tanto studio defenderent, quâto tu in ea, noua omnia facere conabar. Sic enim futurum sperabatur, vt in contrariorum studiorum contentionibus, quædam sententiarum moderatio rei literariæ salutaris eluceret. In iis illustrissimus Cardinalis me vnum esse voluit: atque vt hoc sedulo curarem, philosophorum ordo postea imperauit. Cum verò ad id frequenter conueniremus, atque ego de liberalium artium professione tantum nobis quærendum esse dicerem, non attingendos superiores ordines: tu contra apertè significasti quo ardore ea in hos apparatus, quæ anno superiore in tuo, eleganti sanè, præmio reformatæ Academia euouisti. Cætera prætermitto quæ tum inter nos modesta altercatione sunt agitata. Vnum dicam quod huius loci est, cum ad Aristotelis doctrinam esset ventū, conuenisse quidem inter omnes, huius scripta eiusmodi esse, vt non solum complectantur germanam illius sententiam, sed cōtra aliorū opinionem disputationes plerisque acutissimas quidem, sed prolixitate & obscuritate, hominibus etiam in philosophando constantissimis, plerūque molestas. Quæ faciunt vt non modo permulti auditores ab eius studio reuocentur: sed etiam doctores omnino labore frangantur, aut dum illis quantum possunt, indulgent, totum tempus ad philosophandum nostris legibus definitum, in leuioribus partibus traducant: non attingant quæ omnium sunt præstantissimæ. Itaque sic à nobis est constitutum, si Illustrissimo Card. & Academia ita videretur, posse Aristotelem integrum priuatis cuiusque studiis, quasi in commentariis relinqui: ex illo verò, amputatis eiusmodi disputationibus, aut omnino, aut magna ex parte, per eruditos viros seligi, quæ rata esse vult, eaque viua magistrorum voce doceri. Laudatum hoc omnium eorum qui tum aderant vno consensu. Deinde verò cum esset quæsitum qua Methodo hoc videretur faciendum, ea, inquam ego, quæ ab Aristotele nobis est relicta, per singulas philosophiæ partes gradatim progrediendo, nec ab eo ordine recedendo quem libri ab eo conscripti, inter se seruant. Tum dicere incipis de tribus tuis capellis, aut certè ne mentiar, de hac vna omnium pulcherrima, atque tandem ad me cōuersus, Mittam verò ad te Carpentari, inquis, breuem & lepidum meum libellum de vnica methodo. Hunc lege, obsecro te, atque ex eo intelliges qua ratione faciendum sit quod conamur. Legi, inquam ego, neque probaui: de eoque iam tibi respondissem, si liberam aliquam cessationem & otiosam essem nactus. Tum enim impediabar cogitatione non leui de ingrediendo medicinae curriculo, assidua eloquentiæ & philosophiæ



professione, atque gymnasij Burgundiani, cui eram præfectus, difficili cura. Hoc tempus est Theſſale, in quo dixi me ante annos quinque ad legendas de ista quæſtione tuas nugas, esse inuitatum. In eo autem ludis locis multis, quasi dixerim me toto quinquennio de illa sola quæſtione cogitaſſe. Verum sit ita sanè. An mihi turpius in methodi cognitione annos quinque elaboraſſe: quàm tibi in ea quæſtione ætatem egisse? Ista tamen prætermittamus, atque id solum quod modo inter nos controuersum est, distinctè tractemus: vt quicumque tua nostraque lecturus est, quasi in rem præsentem venerit, sine errore iudicare possit, vter nostrum tantum temporis in hac quæſtione melius collocarit. De qua cum attentè lego quæ tua expositio continet, eaque cum nostris sedulo comparo: facile animaduerto singulare tuum artificium in quibusdam prætereundis, aliis obruendis, vel quoad potes eleuandis. Quæ ego suo loco tibi reponam, vt eorum posthac memineris. Cætera in quibus apertè ita mecum disputas vt probabilitate aliqua niti videaris, sigillatim persequar: idque tanta religione faciam, vt nihil à me relictum quæri possis. Malo enim, quoniam de veritate inter nos philosophorum more agendum est, victū me rationibus tuis, si quando opus sit, fateri, quam errorem meum obstinatè defendere. Præsertim cum sine vlla infamia, à tua noua Academia videar impetrare posse ad aliquod tempus, vsuram eius libertatis, quam in hac disputatione contra me locis multis tibi vendicasti.

Dvxeram initium à distinctione vocū earum, quæ cum de methodo agitur, frequenter in vsum venire solent. In quibus sunt Analysis, Genesis, Diæresis, Synthesis. Deinde iis methodi definitionem subieceram, eamque ex tua doctrina arripueram: vt certius inter nos conueniret, quid esset illud de quo agitur. In quo quid reprehendas videamus: In analyseos vocabulo ita me premis, quasi cum de methodo quæritur, Platonicum esse dixerim. sic enim scribis fol. 4. pag. 1. *Qui Platonem græcè totum studiosè legerunt, & omnes eius de dialectica locos obseruarunt, Analyseos tamen verbum, quamuis geometricum, quamuis Platoni familiarissimum, in Platonis libris, cum de Dialectica aliquid philosophatur, animaduertere nondum potuerunt. Tu homo ἀναλυτικός, qui vix Ficini qualemcunque versionem intelligis, dic obsecro vbi, in quo Platonis libro legisti? Fateris, vt video, vocabulum hoc in alia quidem re Platoni esse familiare: sed in quæſtione de methodo nunquam ab illo vsurpatum: atque me reprehendis quasi in hac etiam significatione Platonicum esse voluerim. Quod quanquam cum Proclo (sicut ex sequentibus intelliges) dicere potuerim: in eo tamen erras, pace dixerim tua. Siquidem prima pagina disputationis meæ, de hoc ipſo*

nómine tecum sentio: nisi quod verecundior est mea oratio: tu verò græculus esuriens, perinde loqueris quasi Platonis verba omnia habeas in numerato. Analyseos vocabulum (inquam ego, statim ab initio) cum de methodo agitur, doctrina Aristotelica magis quam Platonica nobilitatum est, & eadem pag. Platoni magis familiaris est. Diæresis: cui ex altera parte Synthesis opponit, sicut nonnulli apud Aristotelem Analysis Genesis. Iteratur hoc idem fol. 2. pag. 1. atque obseruatur Aristotelem etiam nonnunquam descensum à generalibus ad specialia, Platonis more Diæresin potius quam Analysisin nominare. Quid habes quod hac in parte possis reprehendere? Distinctionem in illis quatuor vocibus sophisticam vocas: nec tamen doces quid in ea fallax sit, aut alienum. Addis etiam in Genesis cornutum meum esse sophisma, nec indicas quid in eo cornutum videri possit. Credo cornuto magistro, vocabulum hoc excidisse, nec satis eum animaduertisse quale esset veteribus cornutum sophisma, aut vnde eiusmodi nomen haberet. Mos iste sophistarum est, non philosophorum, ridendo eludere quod refutare non possunt. Atque ego iam pridem obseruaui (quod etiam in hac disputatione magis confirmare voluisti) tibi odiosam esse distinctionem omnè, vt pote quæ doctrinæ tuæ fucum detegit: atque nobis præstat vt facile contra tuas calumnias, Aristotelis doctrinam saluam retinere possimus. Sed age cætera videamus. *Analysis (ais eadem pag.) tibi ex Aristot. quem non intelligis, repetitur à Geometris. At tu nisi ita esses ἀνωμαλῆτος quam es ἀναλυτικός, didicisses quibus in propositionibus Euclides & Archimedes, & quo modo ad syllogismum tantum, non ad istam de qua agitur methodum, analysisi vrantur. Quid est quod hoc loco calumniaris? An Aristoteli me in eo impoluisse dices, quod ex illo scripsi deliberationes nostras Geometrarum analysisin in descriptionibus imitari? Atqui ego locum indicaui: neque impostoris pœnam deprecor, si in eo falsitatem vllam possis detegere. Iam quod scribis me non didicisse apud Euclidem & Archimedem analyseos nomen ad syllogismum tantum non ad methodum pertinere: falleris, nec ipse intelligis quam antea appellauerim analysisin Geometricam: aut quomodo dixerim eam ad artem demonstrandi ab Aristotele esse translata. Hæc enim de qua tam multa sunt in Analyticis, non pertinet tantum ad perpetuitatem doctrinæ vnius vel scientiæ, sed etiam ad modum quo singulæ propositiones in suas causas retexendæ. Quæ etiam si plures sint ordine quodam inter se constantes: postea tamen vna demonstratione, quæ syllogismus quidam est, colligantur. Quâquam huius non sit omnino vnicum mediū. Hoc ne tu antea noueris, vide: sed id ipsum iâ pridè sciuisse me & publicè docuisse, testari possunt qui ferè*

ab annis quindecim, Analytica Posteriora aliquoties interpretantem audiuerunt. Cui etiam nunc illud addam, scientiam tribus extremis contineri, subiecto, affectionibus & causis: atque in singulis esse quiddam generale itemque speciale. In quibus explicandis à generali ad specialia descendere, perpetuitatis est doctrinæ siue scientiæ, quæ apud Platonem, atque etiam fortasse apud Aristotelem, ad diæresin pertinet: quam analysin vocas, minimè repugnante me. At in singulis huius perpetuitatis partibus affectiones quæ per se insunt, in suas causas retexere, in Aristotelis doctrina, analyseos est proprium: à quò potius quàm ab illo priore, hic artem demonstrandi Analyticam appellauit. Quod nescio an tu adhuc in eo videre potueris. At hoc, inquis, in superiore disputatione non fuit satis definitum. Mihi tecum de methodo quæstio erat instituta. Analysin tuo more, vt de eo facilius mihi tecum cõueniret, spectari in perpetua collocatione multorum ad eandem rem pertinentium, quæ est methodi: alteram leuius attingi, & tamen intelligenti significauit qualem eam apud Geometras esse putarem. In eo quid commerui, aut peccaui Thesale? At tu Procli commentarium in Euclidem non legisti, vel certè valde oscitanter. Qui tamen duobus locis libri tertij, docere te potuit, methodum instituendis artibus atque scientiis accommodatam non esse vnicam, nec eam quam vocas Analyticam, ex Geometrarum, sententia progredi à natura prioribus ad posteriora. Quæ duo doctrinæ tuæ sunt omnino contraria. In iis verò ne me impostorem fuisse dicas, locum vtrunque nominatim citabo & ea quidem lege, vt si quid improbes, tibi cum Proclo, non mecum rem esse memineris. Priore ita scribit. Traduntur methodi, optima quidem illa quæ per resolutionem ad exploratum principium reducit quæsitum. Quam Plato, vt aiunt, Laodamanti tradidit: ex qua ille quoque multorum in geometria inuentor fuisse dicitur. Secunda autem illa quæ diuidendi vim habet: quippe quæ in articulos quidem genus propositum diuidit, occasionem verò per ablationem à propositi constructione demonstrationi præbet. Quam etiam Plato laudibus extulit, tanquam eam quæ scientiis omnibus sit adiutrix. Tertia verò per deductionem ad impossibile, non id quod quæritur per se ostendit, sed oppositum confutat, & per accidens veritatem reperit. In quo, si voles, obseruabis, analyseos authorem, contra quam arbitraris, Platonem laudari, illamque à diæresi distingui: atque constitui in progrediendo à quæsito natura posteriore ad exploratum principium, quod natura primum est. Quod, vt vides, multa complectitur opinionum tuarum contraria. In altero, hoc idem manifestius. Omnino, inquit, sciendum est quod omnes mathematicæ probationes vel

à principiis sunt, vel ad principia, vt alicubi etiam Porphyrius dicit. Et quæ à principiis, duplices ipsæ sunt. Aut enim à cõmunibus notionibus à solâque euidencia per se fidem faciente, emanarunt: aut ab iis quæ præostensa fuere. Quæ autem ad principia, vel ponendorum principiorum, vel destruedorum vim habent. Verum ponendi quidè principia vim habentes, resolutiones appellatur, hisque compositiones opponuntur. Nam fieri potest vt à principiis illis ad quæsitum, ordine progrediamur: & hoc nihil aliud quàm compositio est. Destruendi verò vim habentes, deductiones ad impossibile nuncupantur. In quo, meo iudicio, id à Proclo significatum est, quod quia nondum intellexisti, merito Iulius Scaliger te antea methodi omnino ignarum esse dixit. Iam verò in nostra distinctione Analyseos, quid exagites spectari in reuocatione quæstionis propositæ ad principia natura prima, per ea quæ sunt intermedia, indèque demonstrandi artem, Analyticam esse appellatam. Translatum verò nomen hoc cum aliqua similitudine à Geometris, indèque etiam nostris deliberationibus accommodatum, quæ à fine ad media descendunt. Quæ mihi in hac arte prima significatio est. Secunda autem, Generis vniuersi in species distributio: quam tamen moneo non solum apud Platonem, sed & apud Aristotelem diæresim potius quàm analysin nominari. Tertia, totius integri in particulas vltimas, per partes principes, aut alias qualuis intermedias. Quo in loco quid reprehendas audiamus. *sequitur*, inquis, *sophisticum lexiõem ex tua & tui similitum sophisticam: quod dicitur Analysis tripliciter, primò Geometrica ab vltimis ad prima, secundo Aristotelea à primis ad vltima, tertio totius integri in particulas vltimas.* In quo mihi, sicut soles multa imponis. Non enim dixi absolutè primam significationem esse Geometricam: sed primam in differendo demonstrandi arti accommodatam, de geometris esse translata: quod hi in demonstrando omnium exactissimi esse viderentur. Neque volui analysin (à qua demonstrandi ars nomen habet, quæque verè Aristotelea appellatur) à primis ad vltima progredi, sed potius ab vltimis ad prima. Quia in hac analysin facit qui à conclusione, quæ demonstranda est, descendit ad proximam causam: ab hac ad secundam, indèque ad tertiam, donec ad prima omnino peruenerit: in quibus animus conquietescit, nec amplius priorè causam inquirat. Hęc enim mea verba sunt pa. 2. fol. 1. Sin verò Aristoteleam analysin intelligi voluisti, quæ per diuisionem à genere ad species descendit, ideòque hanc à natura primis ad vltima proficisci arbitratus es: dicere profecto debuisti quo auctore in hoc descensu genus natura primum, speciem vltimam existimaueris: cum Aristoteli aliud videatur ca. 1. lib. 1. physicon. Et cur hanc analysin po-



rius quàm quæ ad demonstrandi artem pertinet, Aristotelem nominatis: cum hic eam potius diæresin, alteram verò analysin semper soleat appellare. In illis verò tribus modis, quibus analysin dici volo, quid habes quod reprehendere possis: nisi omnino distinctionem omnem oderis? Nam quod dixi primo loco de Geometrica Analysi, de que eius translatione ad deliberationes nostras in vita & moribus, & ad rationem demonstrandi: hoc si peccatum est, ab Aristotele peccatum est, non solum capite. 3. libri tertij Ethicon, sed in tota demonstrandi arte, ab omnibusque eius interpretibus, atque adeo ad ipsos Geometris. Quod verò à me eodem loco obseruatū est, secundo modo analysin dici generis in species distributionem, vsque ad imas, magis est fortasse tuum quam Aristotelicum. Quid enim aliud quotidie clamas quàm analysin ista ratione progredi? Ergo in his duobus nihil adhuc habes quod possis reprehendere. In tertio, de dissolutione totius integri in partes, auctore quoque Aristotelem sequor: qui cap. 1. lib. 1. Analyticon priorum, ratiocinationis analysin fieri primum vult in pronunciata, deinde horum in attributum & subiectum: quæ inde analyseos extrema nominat. Eodemque modo tertia libri eius parte, ratiocinationis analysin in figuras debere fieri docet. Quæ si non sufficiunt ad ea defendenda quæ vocas sophistica, te ipsum testem adhibebo: qui, vt ex sequentibus intelligitur, hanc totius integri in partes analysin, multis locis approbasti. Ridendum verò est potius quàm explicandum, quod quæris fol. 4. pag. 1. quò hæc totius analysis, quæ à nobis ad tertium modum est relata, à prima differat, in qua conclusio ad sua principia per ea quæ interiecta sunt, reuocatur. Quid enim in Analytica arte videre potes, si quo ista differant, non intelligis? Nec in eo minus aberras quod scribis me superioris disputationis fundamentum in ea analyseos distinctione posuisse, quam ex Alcinoo attuli. Quamquam enim hic in Platonica & Aristotelica doctrina mihi profusus admirabilis sit, qui tibi in vtraque talpæ oculos habenti, cæcus esse videtur: tamen locis aliquot satis aperte indicavi me istam distinctionem vel non satis intelligere, vel non omnino probare. An mihi in illum scribenti non concedes modestè in nonnullis ab eodem deficere: tibi vero tantum arrogabis vt omnia in Aristotelem velis licere? Profecto regem te esse oportuit. Cur igitur, inquires, eam primo loco posuisti, si non omnino probasti? Quia digrediendi in istam questionem ex ea occasione capraui. Sicut tu in disputatione tua de vnicâ methodo, primum posuisti locum Aristot. de distinctione priorum & notiorum: quem tamen captiosum & sophisticum esse dixisti.

DE INSCRIPTIONE SUPERIORIS
disputationis, & ijs quæ in illa sunt reprehensa.
CAP. II.

Caput alterum est, & hoc quidem potissimum, quod disputationem contra te institutam, inscripsi de methodo quod vnica nō sit: nec adieci, artis ordinandæ & collocandæ: cum tamen, vt ais, nullo loco absolute dixeris methodum esse vnicam. Quid? etiam ne in inscriptione (quam breuitas imprimis commendat) mihi imperabis vanam illam tautologiam tuam (*ordinandæ & collocandæ*) vel vt ais, pag. 1. *disponendæ & ordinandæ*? Esset alterum horum certè plus satis. Sed rem videamus. Ego tecum antea ita agebam, Thessale, vt primum efficere vellè methodi esse duo prima genera finibus inter se distincta: vnū quidè ad artium inuestigationem, alterū ad earum iam inuentarum explicationem: deinde contenderem prius non fuisse tibi cum de dialectica perfecte tradenda ageres, prætermittendum, præsertim eo Aristotelis loco ex quo nascebatur tua digressio. Postremo etiam si inter nos conueniret de methodo artium explicandarum tantummodo nunc esse agendum, hanc tamen neque veteribus, neque tibi, si consentanea dicere velles, omnino esse vnicam. Quoniam in hac cōplecti videbaris progressionem à fine ad media, à genere ad species, à causis ad res effectas, à partibus ad totum integrum, vel etiam pro tua singulari constantia, à toto ad partes: in quibus ordinis ratio omnino vnica notari non posset. His omnibus quo artificio te expedias videamus. Primum hoc loco agnoscis methodum alteram artibus inuestigandis accommodatam. Bene Heracle habet. Nam in eo animaduerto tibi magna ex parte cum veteribus Arist. & Galeni interpretibus conuenire: quorum scripta de quaestione hac, vna quasi linea ducta, antea omnino damnaueras: vel id ipsum sophistarum more affectare, vt cum nihil noui dicas, noua omnia facere videare. Quis enim illorum non posuit duas primas methodi differentias, vnâ in inueniendis rebus, alterâ in eisdem explicandis? Quamquam in eo ipso quod ais vnicam esse methodum doctrinæ instituendæ, video te ambiguitate decipi, vel de nobis ludos facere velle. Siquidem nonnunquam doctrinæ institutionem vocas, solam artium iam inuentarum & sigillatim iudicatarum methodicam collocationem. Ita enim loqueris pag. 2. fol. 5. Nonnunquam vero ea etiam appellatione complecteris primam earum originem: quam ex finis notione & intelligentia profectam Galenus *οὐσίωνος* nomine expressit. Sic enim scribis lib. 9. Animaduersionum tuarum. *Hic igitur prima Galeni methodus est qua inueniuntur, vt ait, artes & consti-*



tuuntur, earum sine primū animaduerso & proposito: deinde iis quæ ad finem secundo, tertio, quarto ceterisque locis deinceps proximè pertinent. Et ista nimirum fuit ex notione finis methodus, quam rursus Galenus in libro de medica artis constitutione non solum præcepto, sed etiam exemplo celebrat: cum medicam artem constituendam sic esse iubet, ut finis primum noscatur ac definitione comprehendatur, tum partes quæ fini proxime sunt, diuidantur & suis differentiis definiantur: deinde partium genera rursus distribuantur, ac differentiis item suis definiantur, partesque omnes ad ultimæ particulas ista via deducantur. Non vides quid ex his sequatur? Nempe methodum omnino esse vnicam doctrinæ instituendæ, id est artium disponendarum postquam iam sunt inuentæ, non inueniendarum: & tamen illam in se complecti Galeni Analytin, quæ artium est inueniendarum, nõ disponendarum postquam iam sunt inuentæ: Eadem vero excludi synthetin, quam ipse Galenus vult valdè esse accommodatam artibus disponendis & explicandis postquam iam sunt inuentæ. Tu cum volens dabis operam ut nos rudes intelligamus quo modo hac in parte & tibi tecum & cum Galeno conueniat. Dixeram te hanc methodum artium inuestigandarum non debuisse hoc loco prætermittere: audiamus quid respondeas fol. 6. pag. 1. In illa disputatione de methodo, ais, si quaeras cur inuentionem, id est methodum inueniendarum artium (de hac enim isto loco inter nos differitur) omiserim, quis te non derideat? Quid enim? Tu ipse non ne tibi licere vis: in hoc tuo libello de hac questione disputare, ut interea tamen totam logicam non explices? Equidem non video quomodo ridendo mihi satisfactum putes, præsertim cum viri docti, si qui forte in iis nostris legendis otio abuti velint, intellecturi sint ex pa. 2. fol. 5. me istam responsionem tuam occupasse: contraque, ea opposuisse in quibus obmutescis. Quibus omnibus, inquam ego, si te coexpediri arbitraris quod in Dialecticis Institutionibus, vbi de exercitationis partibus agebatur, vtraque methodus distinguenda fuerit & explicanda, hic vero minimè, idque quoniam de collocandis artibus iam inuentis, non de earum prima origine quærat: non satis animaduertis ex quo Arist. loco nata sit hæc tua de methodo digressio, &c. Reponam verò tibi hunc, ut cum otium nactus fueris eundem diligentius excutias. Scribit Arist. ca. 2. li. 1. Analyti. Post. priora & notiora dici dupliciter. Non enim, inquit, idem est prius natura & nobis, neque notius secundum naturam, & nobis. Dico vero, nobis quidem priora & notiora, quæ ad sensum propius accedunt: absolutè autem priora & notiora quæ longius à sensu remota sunt. Remotissima vero sunt quæ maximè vniuersalia: proxima vero quæ sunt singularia. Atque hæc inter se opponuntur. Tu in eum locum interpretem agens lib. 9. Animaduersionum, obseruas methodum quan-

quandam ab Arist. informari. Nempe quoniam indicantur certi quidam progressionis gradus à generalibus ad singula, per ea intermedia quæ sunt specialia. Hoc quanquam non omnino probemus, tibi tamè concedamus. Verum, Thessale, ut progressionis certi gradus significantur à generalibus ad singula: nonne, eadem ratione eo ipso loco expressa est contraria progressio à singulis ad generalia: hæcque illam in artium origine & notionum simplicium prima efformatione, in animis nostris antecedens? Cur igitur Aristoteli addictus (hoc enim fidem methodum non solum eo loco obseruasti, sed tam longa digressionem tractasti: alteram naturam priorem, ne verbo quidè attigisti? Præsertim cum ipsa Analytica ars, quam cum Arist. profitebaris, non minus, vel etiam fortasse magis ad inuestigandum pertineat, quàm ad explicandum quod iam inuentum est? Licuit, Thessale, nobis nostro genio indulgentibus, seorsum methodum hanc, altera neglecta explicare: at tibi eo ipso loco prætermittere eam quam Arist. illi contrariam esse ait, omnino non licuit. Quanquam etiam amplius considera quid agas. Ex eo loco colligis ordinem Analyticum, qui descensum habet à generalibus ad singula, in quo, ut opinor, generum notiones iam in animis efformatas esse oportet: Arist. vero loquitur de prima earum efformatione. Adde quod hinc vult specialia generalibus esse nobis notiora, quando scilicet notiones adhuc in animis efformantur: at quando descendimus à generalibus ad specialia, notionibus efformatis rebusque inuentis, idem cap. 1. li. 1. physic. scribit genus vniuersum, quia totum quoddam est, specie esse nobis notius. In quo tamen (ut antea monui) vis nos à natura prioribus, ad ea quæ posteriora sunt descendere. De quibus antea à nobis saepe admonitus, docere debuisti qua ratione inter se conciliari possent. Sed age, pergamus & tandem aliquando videamus in arte differendi quem locum tribuas ei methodo quæ in inuestigandis artibus agnoscis & analytica contrariam fateris. In qua das mihi, opinor, quod superiore disputatione vsurpauit ex Galeno. cap. 4. lib. 1. Methodi, in inquirendis & inueniendis rebus viam esse & ordinem eiusmodi, ut in disquisitione aliquid primum sit, aliud secundum, itémque tertium & quartum, donec ad ipsum quod initio propositum est, perueniatur. Quod ut apertius intelligatur, iam in simplicibus animi notionibus exerceamus. Postquam singulorum hominum singulæ imagines in interiore sensu, ex iisque in intellectu notiones communes, hominis, animalis, corporis animati, corporis, substantiæ, efformatæ sunt: si de iis agendum sit, vis nos analyticè gradatim descendere à substantia ad corpus, ab hoc ad corpus animatum indèque ad animal, & ex animali ad hominem.



In quo Platonis consilium secuti, tanquam in specie ima conquef-
cemus, vel ex tua doctrina ad homines singulos, vt specie differentes
descendemus: neque enim in hoc tibi nunc repugnabo, sicut nec in eo
quod hunc ipsum descendendi modum, in posteriore parte artis disse-
rendi explicandum arbitraris, & cum in ea de methodo quaeritur, do-
cendum. Verum, Thessale, finge in tuam scholam puerum aliquem es-
se deductum, cuius animus tabula nuda sit, in qua nullæ adhuc eius-
modi notiones efformatæ, & sint tamen efformandæ: nun illi impera-
bis vt in eis ordinem aliquem sequatur, progrediatúrque à singulis ad
speciem imam, ab hac ad genera intermedia, tandè que ad ipsum ge-
nus summum? Nec enim dubium quin Arist. ita fieri voluerit: & tibi
id ipsum placere, videor ex eo colligere posse quod in hac disputatio-
ne de methodo, scribis lib. 9. tuarum Animaduersionum, artes omnes
esse inuentas inductione singularium & specialium, per subalterna ad
generalissimum ascendendo. Hæc enim tua verba sunt. In quibus me-
mineris obsecro te, me non agere de vnus argumenti inuentione, sed
de modo progrediendi in inuestigando, per omnes eisdem gradus, per
quos analysis tua in notionum iam efformatarum explicacione de-
bet descendere. Adde etiam illud, quod non dubito quin mihi facile
concedas, hunc progrediendi modum rationis esse: & quia in eo inter
homines vnus alium vel naturæ solius bonitate, vel præceptis adiu-
tus, superare potest, eundem arte aliqua explicari debere: nec vero alia
ab arte differendi, cuius præcepta ipse vis tam latè patere, quàm ratio-
nis vsum in natura. Hoc quanquam antea satis apertè fol. 4. & 5. con-
tra te esset à nobis disputatum, tamen tuis artibus eludi posse puta-
sti: quasi tibi cum eo res esset, qui non posset fucum tuum deprehen-
dere, aut eum aliis detegere. *Methodus illa, ais, quam tu in inueniendis ar-
tibus somnias, est illa inductio de qua Ramus in loco distributionis: qua omnes
artes inuentas esse et Plato & Aristoteles & cum utroque P. Ramus profite-
tur.* Hæccine mea somnia appellas, quæ negare nõ potes summorum
philosophorum probata consensu? Sed age, quoniam docuisse vide-
mur qualis sit ea methodus quæ rebus inuestigandis est accommoda-
ta: nunc apud te quid inductio significet, consideremus. Vt ex horum
comparacione intelligatur, an eiusmodi methodus, quæ progressionè
habet ab imo ad summum per intermedia, inductionis nomine in di-
stributionis loco possit comprehendere. Sic enim contra te, non ex a-
liorum philosophorum placitis, sed ex doctrinæ tuæ fundamentis (si
modo fundamenta vlla in tanta inconstantia dici possunt) nobis est
differendum. Tu, sicut alio loco à nobis est obseruatum, primis Ani-
maduersionibus tuis inductionem & exemplum syllogismos quof-
dam esse voluisti: At septima editioe tuarum Institutionum, hæc ca-

dem nomina argumentorum ex distributionis loco sumptorum, esse
contendisti. Vis hoc posterius (quanquã meo iudicio falsum sit) quia
posteriores tuas cogitaciones prioribus meliores dicere soles, sequa-
mur? Facile, vt opinor, efficiam totam illam progrediendi rationem
à singulis ad generalissima, per intermedia, argumento vno non pos-
se contineri, imo ne vna quidem argumentatione, nisi eo modo quo
Homeri Odysseam ex Aristotele, dicimus orationem coniunctio-
ne vnã. Verum etiam si de inductione tibi quiduis concedamus,
quo tamen modo poteris illum ascensum à singulis ad generalia
per intermedia, ad distributionis locum reuocare: cum in illo fere
omnia sint distributioni contraria? Siquidem distributio quasi ex
vno multa facit, quando vnum in multa distribuit: At ascen-
sus hic ex multis facit vnum, quoniam multa dispersa, in vnã
notionem colligit. Sic enim animaduertere potuisti à Porphirio
dictum cap. de specie, eos qui descendunt ad species imas,
per genera multa delabi, partiendo: qui vero ascendunt ad genera
suprema, iis multitudinem in vnum esse cogendam. Quoniam spe-
cies, multa in vnã naturam cogit, atque etiam genus id facit mul-
to magis: res autem singulæ contra, vnum in multa partiuntur.
Melior iure, profecto, Analyticam tuam methodum ad distribu-
tionis locum potuisti reuocare. Quandoquidem hæc ipsa, sicut fa-
teris, Platoni diæresis est: vt in huius doctrina minime tibi mirum
sit, idem esse nomen loci & methodi. Quod in Galeni tertia metho-
do, definitionis, itè que in similitudine & dissimilitudine exagita-
sti. Quibus hoc etiam adiici potest, hunc ascensum quocunque no-
mine exprimamus, ex tua doctrina Analysis esse contrarium: contra-
riã que à te definiti, quæ sub eodem genere sunt posita. His enim vi-
deor posse concludere, in quo genere artis differendi Analysis est, ad
idem ascensum hunc fuisse referendum. At tu Analysis ad iudicium
reuocas, ascensum inuentionis esse vis. Non cogitas quàm sint hæc
inter se disparata? Vis etiam amplius te conuincam? Ascensus hic qui
pertinet ad efformandas gradatim in animis notiones simplices, nul-
lo modo potest includi ratione inuentionis eius quam tu primam
Dialecticæ partem posuisti. Quoniam hæc à te ipso, in ea etiam
Dialectica quæ superiore mente est edita, tota ad argumenta singula
est relata: argumentumque definitum, quod ad aliquid arguendum
& explicandum est affectum. At in illo ascensu de quo iamdiu lo-
quimur, neque argumenta queruntur, neque ea colliguntur quæ ad-
huc ad aliquid arguendum pertinent, aut ad verum vel falsum con-
firmandum. Quid igitur est quod hoc loco somnias? Nec vero ma-
gis illud tuum commentum placet, quod fol. 9. pag. 2. Analysis ge-
V ij



nessi contrariam fateris, & tamen vtrámque ea methodo quæ tibi non solum specie, sed etiam numero vnica est, vis contineri. *Quoniam aut, siue Analysin operis logici, siue genesin instituas: vnica methodo & singulari in ambabus partibus vteris, descendendo à summo per media ad infima.* At Arist. prioribus Analyticis, vult ratiocinationis genesin progredi ab attributo & subiecto tanquam extremis, ad pronuntiata, & ab iis in ipsam ratiocinationem desinere: eiusdem vero Analysin contra, incipere à tota ratiocinatione iam composita, indeque descendere ad pronuntiata duo, & ab iis rursus, ad extrema tria, maius, minus & mediū, ex quorū comparatione intelligatur ad quā figuram pertineat ratiocinatio, quæ erat retexenda. In quo cum notare non posses illam tuam rationem vnica progrediendi à summo ad infima, per intermedia, opere pretium est profectò, audire singularem tuam sapientiam, lib. 7. tuarum Animaduers. *Primum igitur, ais, positi Syllogismi exemplum in propositiones resoluitur, deinde in terminos. Quamobrem? quia facilius est, ait hic doctor, diuidere maiora. At, inquam, trium terminorum consideratio maior & amplior, id est, generalior & antiquior & prior est natura. Problema enim ad quod duo termini referuntur, & argumentum, id est, medius terminus, ante consistant necesse est, quàm ex his propositiones efficiantur. Ratio hæc doctorem ad Analysin terminorum prius adducere debuit. Quis hic risum continere possit? Græculus esuriens Aristotelem docebit, quomodo Analyseos græco vocabulo sit vtendum: ex quo tamen primum didicit, qua ratione hoc ad methodum sit translatum. Atque illi imperabit dicendam potius, terminorum Analysin in ratiocinationem per media pronuntiata, quàm ratiocinationis, in terminos. Sicque miscebit cælum terræ, prius quàm fateatur ab Analytica methodo distinctam esse alteram, in qua veteres compositionem totius ex primis partibus notauerunt. Verum cum in Dialecticis tuis institutionibus & Animaduersionibus, in Analyseos nomine translationem quandam agnoscas ab arte texendi, scire velim an arbitreris eundem prorsus ordinem esse in tela texenda & in hac Penelopes more retexenda? An potius quod in texendo primum fuit, idem sit in retexendo vltimum? Placet ne hac de re textores ipsos appellemus, eisque credamus? Est ita me deus amet, ista tua sapientia valde infinita, Thessale: ideoque non potest in ingenij mei angustias cadere. Sed tamen in ea scrupulus est alius qui me male habet: quem tibi modeste indicabo, vt cum voles, eo me liberes. Quæcunque methodi species in arte differendi notari potest, siue ad instituendas artes, siue, ad aliud quidlibet pertineat, ea, vt opinor, in aliquam exercitationis Dialecticæ partem cadit. Qualis enim methodus esset, si Dialecticæ exercitationis nihil omnino con-*

tineret? At omnem Dialecticam exercitationem versari vis in Analyti & Genesi: atque nominatim scribis hac tua expositione, in iis duobus methodum esse vnica atque indiuiduam, quæ semper à summo ad ima per intermedia descendat: quam Analyticam nominas. Ex quibus quid efficiatur vides, nempe omnē Dialecticam Methodum, siue ad instituendas artes, siue ad aliud quiduis referatur, tua sententia omnino esse vnica, indiuiduam eandemque Analyticam. Cur igitur antea tætopere commotus es, quod disputationem contra te inscripserim, de Methodo quod vnica non sit: nec adiecerim, artium instituendarum? Aut quorsum pagina prima monuisti te de qualibet Methodo non agere? An aliquam aliam esse putasti Dialecticæ exercitationis, quæ non descendat à natura primis, ad posteriora per intermedia? Tibi caue Thessale, ac cogita vt mendacem, sic te in istis quasi ægri somniis, oportere esse tui memorem. Atque hæc quidem satis de Methodo altera rebus inuestigandis accommodata: de qua quid sentias prorsus nescio: in eoque magnam ingenij mei tarditatē agnosco, quod ea capere nullo modo possum, quæ tu vel pueris naturæ lumine, sine doctore nota esse vis. Nūc verò prius quàm veniam ad disputationis caput alterum, in quo mihi differendum, de iis quæ Analyti tua es complexus: de eo etiam tibi respondendum est, quod fol. 6. pag. 2. improbitatis meæ atque malitiæ fuisse dicis, nempe quod, vt ais, affirmauerim totius logicæ vsum ad veritatem & falsitatem quæstionis à te referri. In quo ipse mihi malitiosè imponis. Quoniam totus logicæ vsum non est, sicut scis, in inuentione positus. At eo loco qui in disputatione mea extat fol. 6. pag. 2. de sola inuentione sum loquutus. In eo autem quid tibi mecum rei esse potest? Verba tua nominatim citavi ex initio dialecticarum tuarum institutionum editionis septimæ, quæ velut Minerua Phidiæ tum in arce nobis erat posita, & fraterculi tui commentariis illustrata. Ea tibi reponam, in quibus nullam pœnam recuso si mentior. *Dialecticæ artis, ais, partes due sunt, inuentio & dispositio. Posita enim quæstione de qua differendum sit, argumenta quaruntur: deinde iis via & ordine expositis, quæstio ipsa explicatur. Tertia mentis actio in differendo nulla est. Inuentio est doctrina cogitandi & inueniendi argumenti, id est, probationis ad explicandam quæstionem idoneæ.* Quis ista legens non agnoscit me summa fide ex tuis verbis collegisse totam inuentionem à te esse positam, in excogitandis singulis argumentis, per quæ singulæ quæstiones possint tractari? Quid ergo in eo improbitatem vel malitiam mihi obiicis? At ex eo tempore aliarum institutionum tuarum fortasse sunt editæ, in quibus hoc ipsum immutasti. Quid si eas (quod sanctè iurare possum) non legerim? Quid si alias à te esse editas omnino nesciuerim? Tibi ne o-

mnes erunt improbi, qui in comparandis tam inconstantibus tuis scriptis, otio non abutentur? Quanquam hoc mihi iucundissimum esse debet, quod hac in partē nostris animaduersionibus admonitus, plerāque in inuentionis & iudicij, vel dispositionis distinctione explanationēque, immutāda putasti: sed profecto molestum est, quod tam multis opinionum fluctibus ab annis viginti & plus eo, agitatus, nōdum certum portum capere potuisti in quo quiesceres. Iam enim audiamus quid hoc loco scribas, non dico contra me, sed cōtra id ipsum quod alias ratum esse voluisti, Dialecticam scilicet inuentionem sitā esse in excogitandis singulis argumētis, per quā singulā quæstiones possint tractari. *P. Ramus*, ais, *in Logicis præceptis in quinquennio tuæ istius disputationis aditis, quinetiam in eo libro quem tu nunc oppugnās, docet vsum Logicæ, etiam sine vlla quæstione, magnum esse in tota inuentionis & enuntiationis per se manifestā doctrinā: in tota etiam Methodo, & quæstionis, id est enuntiationis dubiæ, logicam explanationem (quod ad iudicium eius pertinet) ad Syllogismum referri.* In quo quod ex te & contra te de sola inuentione ad quæstionem accommodata dictum est, tu malitiosè ad totius Dialecticæ vsum transtulisti. Deinde cum vsum Logicæ magnum esse ais in tota inuentionis doctrina, sine vlla quæstione, non cogitas Dialecticam inuentionem à te solummodo de argumētis esse institutam, & argumentum ad ipsam quæstionem esse relatum. Quod vt ex tua doctrina efficiam, non commemorabo alias institutionum tuarum editiones, sed superiore loco te vrgebo ex postrema artis differendi idea, quam superiore mense edidisti. In cuius pagina prima ita scribis. *Inuentio prima pars dialecticæ de argumentis. Argumentum est quod ad aliquid arguendum affectum est. quales sunt rationes singulæ, quibus verum aut falsum esse aut non esse, nihil omnino constituitur.* Quid est illud, aliquid, ad quod argumentum affectum est? Non es ausus, credo, quæstionem nominare: ne quis (sicut de nobis audire potuisti) hoc loco eius definitionem à te exigeret, eo iure quo ipse in alios vti soles. Ergo vides Thesale, nihil in eo esse malitiæ quod dixi, totam inuentionem tuam esse sitam in excogitandis singulis argumētis ad quæstionem, vel vt iam loqueris, ad aliquid efficiendum accommodatis: sed in hoc ipso maximam esse somniorum tuorum perturbationem. De qua postea in consideranda tuorum scriptorum inconstantia differetur. Nunc ad ea veniamus quæ Analyseos nomine es complexus: vt etiam si fictam pro arbitrio huius nominis vsum tibi concedamus, exquiramus tamen, An Analytica Methodus, quæ tam multa continet, omnino vnica dici possit?

DE IIS QUÆ ANALYSIS IN THES-
sali doctrina cōtinet, vtrum vnica specie includi possint,
eāque indiuidua.
CAP. III.

Contendebam superiore disputatione, Analyticam Methodum in tua doctrina completi, progrediēdi modum à genere ad species, à causis ad res effectas, à fine ad media, à partibus ad totum: nunc etiā, sicut dixi, addam si voles, à toto ad partes. Atque conabar efficere in illis methodum omnino vnica dici non posse: etiam si in eis nomē vnum Analyseos concedamus: quod tamen sine vllius philosophi auctoritate, rebus tam differentibus accommodasti. In illis verò quorum valdè diuersa habitudo, non posse dici rationem ordinis vel Methodi omnino vnica, videbar probare partim Aristot. auctoritate, partim etiam tua. Qui locus à me tractatus est à fol. 8. ad 11. Nunc quid cōtra afferas audiamus. *Vbinam*, ais, *ista Methodi distributio est, Carpenteri? soles tu vel minima de causa, etiam contra te ipsum, locos ex libris P. Rami ad verbum citare: in hoc verò quod caput est, quod quæstionis summam vel potius rem omnem cōtinet, tu pro te ad istius diuisionis probationem ne verbum quidem citas.* Iucundissimum est profecto, quod eo rem omnem rediisse fateris. Quoniam hoc posito, iam facilè intelligitur, si istud probauero, rem esse confectam. Atqui ego constanter adhuc contendo te omnes hos progrediēdi modos, Analyti nominatim esse complexum, eosque exemplis illustrasse: atque id adiicio, etiam si hoc à te nusquam expressum esset, tamen quia vnica doctrinæ methodum esse vis analyticam, illa omnia analyti tibi esse comprehendenda, si consentanea dicere velis. Vnde verò vis exordiar? Credo ab eo quod de progressionē à partibus ad totum, maiore animi securitate negasti. *Primum de methodo*, ais, *totius artis à partibus ad totum, nulla vsquam à P. Ramo facta mentio est.* Valde doctrinæ tuæ es immemor, Thesale, vel arbitraris fortasse, quo furore omnia scribis, eodem nos ad illa legenda accedere: idēque vt non attendis quæ scriptorum tuorū consensio sit, sic minimè sperasti nos in istis nugis inter se cōparādis tam accuratos fore. Quid enim? Non mihi concedes in hac ipsa disputatione de methodo, tibi passim, sed potissimum lib. 9. Animaduersionum pag. 69. in Geometria lineam ex puncto, superficiem ex linea, corpus ex superficie tanquam ex elementis & partibus oriri? Quanquam non est necesse ad id extorquendum nos ad tuas Animaduersiones confugere. Siquidem in hac ipsa expositione fol. 9. pag. 2. hoc idem scribis, meque reprehēdis (quo verò iure id facias, viderint omnes Peripaterici) quod Arist. sequutus, non essem ausus ex puncto li-



neam, ex linea superficiem componere. In quo profecto maximam prodis ignorationem tuam, rerum nō modo physicarum, sed & Geometricarum. Addo etiam illud ex eadem animaduersionum tuarum pagina, literam dictionis esse partem, dictionem orationis. Quibus ex te positis, cedo in Geometricis & Grammaticis explicandis, quæ erit in iis gradibus ordinis ratio tenenda? Si negas ad totum integrum esse progrediendum ex iis quæ partium rationem habere vis, describam locum ex pag. 71. lib. 9. Animaduersionum, in quo tides eos qui aliter faciendum arbitrantur. *Si tres annos in grammaticis puer instituat, aut ad tuam istam Galenicam methodum, primum annum consumes in regulis syntaxeos, ultimis primis, deinde mediis, tum primis: partiumque orationis nondum cognitarum, mirificam structuram institues. Anno secundo cum docueris syntaxim, ad Etymologiam venies & partes orationis explicabis interiectiones, præpositiones, cōiunctiones, aduerbia, participia, verba, pronomina. Item syllabas & literas declarabis. Sic enim retrogradus, à natura posterioribus ad natura priora conscendes: atque in tenebris viatori lumen tutioris via gratia præferes, sed pone vagantem & errantem, in umbra corporis videlicet occultabis & quod omnino fieri non potest, ut ante partium (quas partes esse nesciat) puer syntaxim condiscat, hoc ista caligine nempe conficies. Qua stultitia quæso te, quænam maior in artibus instituendis fingi cogitariue potest? Ex quibus quis mecum non colliget, in perpetua methodo Grammaticæ tradendæ, tibi placere à partibus ad totam Analyticam progressionem, quam hoc loco vsquam à te probatam negas? Pergamus & ad Geometriam veniamus. Quid? in hac quid facies inquis? quomodo, *ἡραυμὴν ἔτι δεῖς* illa tantam doctrinæ perturbationem ferent? Euclidis libri sunt quindecim: decimus quintus tibi primus erit, decimus quartus erit secundus, & deinceps sic inuertentur reliqui: solida primum, tum superficies, tertio loco linea fuerit. At quas demonstrationes hic ordo *ὀρθοκλίως* habebit? Ex antecedentibus theorematis & problematis consequentia, analytica via demonstrantur: An etiam contra, per hanc viam poterunt Euclidis priores propositiones, posterioribus demonstrari? An Geometras putamus istam methodum sine risu audituros? Non potius omnis ordinis ineptissimam & insulsissimam peruersionem iudicaturos? Quare secunda methodus Galeni, secunda *ἡραυμὴν* diabolica nulla est. Hic non dicam quam ignorantem, vel certe malitiosè, Galeni synthesein interpreteris, quamq; sophisticè in tua Analyti hoc loco retineas, & laudes quod ille omnium doctorum iudicio, per synthesein significauit: sed hoc solum concludam, quod quantumvis impudens negare nullo modo potes, placere tibi in Grammatica & Geometria progressionem à partibus ad totū, eamque Analyseos nomine comprehendendi. An non igitur iam confecta res est? Quod si tibi non est satis, en profero locum alterum. Aristoteles sicut dictū est cap. superiore, in prio-*

in prioribus Analyticis fieri vult ratiocinationis Analytin in pronuntiata, & horum in terminos siue tria extrema. Tu verò contra. li. 7. Animaduersionum fol. 273. contendis faciendam esse primum Analytin terminorum in pronuntiata, deinde horum in ratiocinationē: atque hoc Analytico ordine in docendo progrediendum à terminis ad pronuntiata, ab iis ad Ratiocinationem. Eōne efferetur tua impudentia, vt negare audeas, terminos pronuntiatorum, hæc ratiocinationum partes esse? Atque vt intelligas me hoc loco rationibus abundare, illud etiam adiiciam: tibi cum aliis locis multis, tum expositionis huius. fol. 14. pag. 2. materiam & formam corporis naturalis, quod constituunt, partes esse: minimè repugnante me, quanquam intelligam quantum inter partes quæ proprie totum integrum componunt (de quibus hic loqueris) & istiusmodi principia intersit, sed tamen materia & forma (tibi inquam) corporis naturalis partes sunt. Ergo si ex tua doctrina constiterit in Physiologia à materia & forma ad corpus naturale Analyticam esse progressionem: nonne eadem opera efficitur, analyti à te cōprehēdi ordinem eum qui à partibus ad totū deducit? Atqui hac ipsa disputatione de methodo, lib. scilicet 9. tuarū Animaduersionū, Analytin tuā in Arist. laudas atque mirificè amplecteris, quod in Physiologia hūc ordinem tenuerit & ex antecedēte principiorum eiusmodi cognitione, nos ad corpora eorūque affectiones deduxerit. In quo attendite obsecro, vos omnes qui hæc legitis, atque cōsiderate incredibilē hominis inconstantiam. Antea voluit Aristotele in Physicis, analyticè esse progressum à materia & forma, ad corpus naturale, vt à natura prioribus ad ea quæ sunt posteriora, eiusque methodū hac in parte laudauit: At idē in hac expositione, ea ipsa pagina quam modo citauimus, scribit quādo ad Physica tractāda accesserit, se corpus naturale initio definiturum: Deinde distributurum, primum quidem in materiam & formā: quales, inquit, in omnibus artibus innumerabiles partitiones sunt integrorum in partes, postea in species: & tamē istā progressionē analyticam semper futurā, à generalibus ad specialia. Quid nō apud hunc analysis (quā tamen numero vnicā dicere audeat) effectura: cum in ea licere velit progredi à causis ad corpus naturale, & à corpore ad eiusdē causas, itēque à partibus ad totū & à toto ad partes? Sed dic nobis tandē aliquando Thessale, quo auctore tam variis ordinibus, analyseos nomē accōmodes? Nec enim aliorū philosophorū loquendi consuetudo, præsertim cum de nomine queritur, negligēda: aut si tibi hoc sine alterius exemplo licere arbitraris, cur saltē quando intelligere videmur quā sit multiplex apud te huius ratio, nobis non concedis vt distinctè loquamur? Sentis iam opinor, si modo sensus aliquid tibi relictū est, quā verè à me



esset propositum, Analyti tua includi eum ordinem qui à partibus primis progressionem habet ad totum, quod integrum nominas, per ea quæ sunt intermedia. Nec verò id à te factum est sine iusta ratione. Quoniam analysis tua, sicut dicere soles, deducit à natura prioribus ad posteriora: tibi vero indubitatum est, partes toto integro natura esse priores. Vis hoc idem in reliquis tribus efficiam, atque etiam doceam huic tuæ reginæ Analyti, à te ipso subiici descensum à genere ad species, à causa ad res effectas, à fine ad media? Est quidem certè in hac tota disputatione istud tibi vsque adeo familiare, vt ridiculus labor meus in eo confirmãdo sit futurus. Atq; profecto prima fronte valde miratus sum hoc à te negari: deinde verò agnoui religionẽ tuã, & in animo proiecto in omnem impudentiam, magnam vim veritatis: cum paucis verbis interiectis ea recipis & ingeniosa sane excusatione lenire conaris, quæ paulo reiecasti. Ergo, inquis, de quatuor illis generibus quartum istud, nempe à partibus ad totum, quia tuum commentum est, tibi habeto. Verum, si hunc ordinem mihi dederis & à te abdicaueris, quid sequeris in Geometricis & Grammaticis? aut quid erit faciendũ quando id quod doctrinæ alicui subiectum, totum quiddam erit integrum, partibusque constabit, aliquot gradibus inter se distinctis? Nihil ne hic tua Analysis nobis suppeditabit quod sequamur? Vide quid agas & quomodo hoc meum commentum nomines, mihi que omnino relinquendum arbitretis. Reliquis autem vocabulis, aut Offatus de Thessalo, id est personatus Thessalus de seipso, vsus est ille quidem interdum, sed diuersis in locis, nec tam sponte sua quam necessario: quia primum ab iis usurpata erant, pro quibus aut contra quos scriberet. Callida profecto excusatio. Sed tamen cum illa omnia, siue tua sponte, siue ab ipsa veritate coactus, Analytico ordine complectaris, quomodo in iis habitudine vsque adeo inter se differẽtib; methodum omnino vnicam & protus indistinctam dicere potes? Talem verò dicas necesse est, si numero, sicut vis, vna est, nec in varias species diuidua. Si quando P. Ramus, ait Thessalus Offatus, pro methodo ab vniuersalibus ad singularia, dixit à fine ad media, aut à causis ad effecta, tria propterea methodorum genera non fecit, aut intellexit: sed his verbis vnã semper & eandem methodum à generalibus ad specialia significauit: quia generalia sunt causæ specialium, vt dictũ est ex Arist. Ergo methodum tuam omnino vnicam esse vis, quæ à genere ad species gradatim descendat: sub ea tamẽ contineri progressionem à causis ad res effectas: quoniam causa cum rebus effectis comparata, ad has videtur eo modo se habere, quo genus ad suam speciem. Hoc vero cõfirmas ex eo, quod Arist. dicit, generalia specialium esse causas. In quo quid agis Thessale? aut quam in concludendo formam sequeris. Non enim, quia generalia specialium causæ sunt, efficitur in

docendi methodo descensum à causa, debere ad eum reuocari qui est à genere ad speciem: sed contra potius tibi dicendum videbatur, vnicam esse methodum doctrinæ instituendæ, eamque Analyticam à natura prioribus, vt à causis ad res effectas: hanc verò in se cõplecti progressionem à partibus ad totum (quoniam partes totius causæ sunt) à fine ad media (siquidem certum est finẽ cum mediis comparatum, vnius causæ eiusdemque nobilissimæ rationem obtinere) & à genere ad species, quia ex Arist. generalia specialium sunt causæ. Quod si diceres, tollerabile quidem esset, & si non omnino verum. Hoc tamen tibi adhuc esset explicandum, cur in hac posteriore Dialecticæ parte progressionem à genere, nõ distinguas ab ea quæ sit à causa ad res effectas: cum in priore, quæ est de inueniendo, locum à genere omnino diuersum esse velis ab eo qui causam continet. Quid enim? An in inueniendo minus quam in iudicando, verum esse putasti illud Aristotelis, generalia specialium esse causas? aut ipsa methodi præcepta minus quam inueniendi, exactam partium distinctionem postulare videbantur? At hoc profecto intolerabile est quod in tua expositione dicere ausus es, omnes particulas progressionis à natura prioribus (quæ sanè variæ sunt & multiplices) vnicum quid facere, non modo specie, sed etiam numero. De quo pluribus hoc loco disputarem & facile meo quidẽ iudicio, errorem tuum omnibus Peripateticis probarem: nisi vereretur ne ad illud quod scribis pag. 1. fol. 8. resilires, quibus illias esse has Aristotelis, à te iampridem refutatas, id est vt interpretor, contaminatas potius quam intellectas. Quanquam neque hac in parte id preterire vllò modo possum, quod tu, qui in Arist. contaminando magis quam intelligendo elaborasti, ineptè admodum docere voluisti quomodo mihi in illius schola esset loquendum. Argumentum hoc tuum, inquis eodem loco, de vnitãte numeri, speciei, generis valde ac vehementer tuam imperitiam vel in scholasticis ineptiis, quas solas didicisti, coarguit. Longè enim aliter apud Arist. Top. 1. τὰ ὅτι τὰ ἅδια ἴσταν, ubi res diuersas comparatas inter se, facit eas silem numero, specie, genere. At tu sophisticæ huius etiã ignarus, miserè traducis Arist. Dum eius de comparatione doctrinam, transfers ad simplicem considerationem, & iratus quaris vtrum methodus artis sit vna numero, genere, specie? In quo & ex Arist. falsum sumis & tuo more imponis. Nam quod ais tres illos modos quibus aliquid idem esse dicitur, apud illum pertinere tantum ad res diuersas inter se comparatas: in eius doctrina (quam impudentissimè sophisticam vocas) mendacium est. Quando quidem ille eodem ca. lib. 1. Top. nominatim scribit, numero eadem esse quorum nomina plura & res omnino vna est. Deinde in hac disputatione, eo loco quem tu exagitas, ex te ipso sumpsi id de quo paulo ante agebã, Analytica scilicet metho-

do contineri rationem progrediendi à genere ad speciem, à causa ad effectum, à fine ad media, à partibus ad totum: de illis que inter se comparatis, quæ sui, pertinerentne ad methodum vnam genere tantum, an etiam specie, atque adeo numero? Quis non videt istud in comparatione, non in rei simplicis cōsideratione versari? At, inquires, loqueris tantum de methodo artis instituendæ, Fateor. Sed cum illa, omnia ea quæ modo enumerata sunt, ex tua opinione contineri videantur, quero quomodo vniantur. Quid si de animali tantū agerem, in eiusque diuisione sumerem hominem & belluam: Deinde quarerem quomodo hæc in illo vnum faciant: nōne in rerum comparatione versaret? Sed hæc obiter tantum, quoniam ad hanc rem fusius explicandam, locus alius mihi est institutus, in Commentariis descriptionis logicæ. Quæ tum haud dubiè emittam, & in eo tibi roganti lubens parebo, cum intellexero Animaduersionibus tuis & Dialecticis Institutionibus extremam manum additam. Vt in hac, fluctuantis adhuc opinionis tuæ certa quædam definitaque capita habeamus: in quibus posteritati indicare possimus, fædatis Aristor. doctrina, quid Academia nostræ præstiteris, & quantum adiumenti ad philosophandum attuleris. Prius verò quàm istud ex te sit cognitum, oleum profecto & operam perdet, quicumque laborare volet in tuis reprehendis. Quoniam nihil est omnino quod erubescas: nihil quod licere non arbitreris, pro ea libertate, vel potius impudente licentia, quam, tibi ab Academia tua noua, datam fingis. Sicut ex hac disputatione facile intelligent quibus placebit in nostris scriptis paulo attentius ea inter se comparare, quæ dum ad alia propero, leuiter tantum nunc indicabo. Dixeram fol. 4. pag. 1. eum locum quem ex Platone commemorat Arist. cap. 4. lib. 1. Ethic. de duplici via, quarum vna ducit à principiis, altera ad principia, à Thessalo appellari veræ methodi turbatorem alterum. Hic expositionis suæ fol. 9. pag. 1. negat se de Platone esse loquutū: sed voluisse locū Arist. qui tamē ex Platone citatus est, peruerse intellectū, videri posse turbatorē. In quo vt de vtriusque nostrum fide sine errore iudicetur, atque intelligatur dum hic in Platonem & Aristotelem, modestior quam antea videri vult, qua religione addiderit (peruerse intellectū) nec nūc absolutè dixerit, videri turbatorē, sed tantum videri posse: oro atque obsecro, vt æquus lector consideret quæ ab illo scripta sunt in Animaduersionibus lib. 9. pag. 46. Disputationis etiā nostræ fol. 5. pa. 2. notaueram hunc Dialecticarū Institutionū lib. 3. exercitationis Dialecticæ duas partes fecisse, easque inter se cōtrarias: vnā in genesi, alteram in analysi. Quem locum scio extare editionis septimæ pa. 280. quæ fraterculi commentariis illustrata: atque existimabā post tam multos annos, quibus diutius à ve-

ritate, quam Vlysses à patria aberravit, hominis furorem efferbuisset, & pro rato in eius doctrina haberi posse, quod in ea editione placuisset. Hic fol. 9. pa. 2. negat iam vllum esse librum tertium Institutionum earum quæ ab annis quinque sunt editæ. In quo profecto, Thessale, si quid pudoris adhuc habuisses, errorem meum, si modo error est, dissimulasses: præsertim cum de exercitationis distinctione, in cuius confirmationē locum eum citauerā, mihi tecum conueniret: Et eandē opinionē à te expressam meminisses lib. 20. Animaduersionum postremarū. Quid enim? An à nobis postulas vt per dispositos homines, singulis mensibus inquiramus, quæ librorū tuorum editiones nouæ sint? Non est tantum à rebus nostris, quantumuis leuibus, otij, vt ista lōge leuiora tā cupide sectemur. Obseruauerā fol. 9. pa. 1. à Thessalo ineptè ex eo probari finem mediis natura priorē, quòd si finis sit, sint etiā ea quæ ad finē referuntur, non contra. Iā hic fatetur fol. 9. pa. 1. rationem hæc de finis antecessione, non satis esse idoneā. Sed hac in parte ne aliquid à nobis accepisse videatur: ait se de ea iā pridem in Logica quod verius esset, admonuisse. Sed cedo Thessale, in qua Logicæ parte? Non cogitas cum tuam Logicā dicis, in quā immensum mare nos reuoces? De ea Elencticæ sunt Animaduersiones tuæ, harūque editiones tres omnino differētes: primæ liber vnicus, secundæ libri viginti, tertiæ totidē, sed illis omni genere vanitatis lōge locupletiores. Sunt etiā Logicæ institutiones, atque in iis modo liber vnicus, modo tres, modo duo, rursumque nouissimè vnicus. In hac tanta varietate logicorū scriptorū, vbi vis quæramus locū eum in quo hunc errorem agnouisti? Quamquam nullū prorsus esse existimo, nec dubito quin si aliquis extitisset, cum nominatim fueris expressurus: ne hac in parte vllū vulnus à nobis accepisse videreris. Vtque id certò credā, facit quod video in postrema tuarū Animaduersionū editione lib. 9. fol. 49. eundem errorem tibi adhuc placuisse. Tu cū voles, facies vt huius nostræ admonitionis fructum hi sentiāt, qui fortasse in illa consecutione, tua auctoritate sunt decepti. Fol. 10. pa. 2. locū alium fideliter citaueram ex lib. 2. Institutionum Dialecticarum, in quo huic placet vt in Grammatica explicanda, à totius artis natura ad quatuor huius proximas partes. Orthographiam, Etimologiam, Syntaxim, Profodiam, inde ad extremas particulas ab integris rebus progrediamur. Ex eoque concludebam in Analysisi etiam huic placere descēsum à toto integro ad partes vltimas. Ille fol. eodem, de eiusmodi descēsu, in quo maximè premebatur, nihil omnino responderet: negat tamen se in editionibus quæ sunt secunda, has omnes Grammaticæ partes retinuisse. Mos iste profecto sophistarum est, ita in omni disputatione momenta rationum eludere, vt cum victi sint, tamen vicisse velint videri. Cū verò eam Analysisin qua

artes inuentas Galenus prædicat hic sophisticè exagitasset, tota pag. 7. lib. 9. Animaduersionum, quasi ille loquutus esset de descensu à generalibus ad specialia: atque illius synthesim eodem artificio esset interpretatus, collectionem singulorum in specialem notionem, specialium in generalem, ex iisque, contra eiusdem Galeni doctrinam collegisset, artes non esse inuentas per Analysim: sed per hanc potius explicandas, nec esse docendas per synthesim, sed potius per hanc obseruandas & notandas: Ego contra, iis nominibus distinctis docueram. fol. 13. disputationis meæ, Analysim (quod nemo doctus vnquam negauit) eo loco apud Galenum significare descensum à sine, quo ad artiũ inuestigationem primi earum auctores sunt excitati, & synthesim ascensum à primis medicinæ elementis ad id quod in eadem est summum. Hic quid respondet? De re omnino nihil. fol. 12. pag. 2. significat se omnem distinctionem odisse. Vocat cornutum elenchum, sicut antea cornutum sophisma, atque prædicat se Galeno tantas laudes attribuisse, quantæ summo alioqui philosopho doctissimo & eloquentissimo attribui posse videbatur. Sic olim Gracchus verbis ærarium defendebat, factò publicam dilapidabat pecuniam. Alio loco cum idem esset mentitus, Galenum initio artis parua, arroganter prædicare se analyticæ methodi inuentorem & auctorem. Fol. 18. pag. 1. Hunc, ni fallor, ista calumnia omnino liberaui: perfectique vt re vera hac in parte Thessalus nihil omnino habeat in quo possit resistere. Quid igitur victum ne se fatebitur? Imo verò vicit, os impudens: etiam si de re nihil omnino respondeat. Sic enim scribit fol. 17. pag. 2. *Ad extremũ excusare iterum vis Galenum vel potius in mentiendâ Galeni excusatione, P. Ramum accusare. Sed iam antea lectores admonui vt locos conferant, nuncque iterum moneo, vt hoc tuum mendacium ex re ipsa deprehendant. Quid? non verum est hoc à te ad verbum scriptum esse fol. 67. lib. 7. postremarum Animaduersionum? Galenus gloriatur illius analyticæ methodi se primum inuentorem atque auctorem esse. In quo Galeni non solum modestiã, sed memoriã, valde requiro. Qui antea Platonem totius ðððððððððð ððð ððð ððð ððð scriptorẽ & auctorem è Phadro & Philebo produxerit & appellarit, & in medicæ artis constitutione, veterum philosophorum documentum esse dixerit. Non sentis verum esse quod tibi respondi, Galenum non prædicare se inuentorẽ methodi analyticæ, sed hoc tantum dicere, se eam quam à veteribus acceperat, primum ad artis medicæ constitutionem accommodasse, & in huius origine explicanda vsurpasse? At qui tu huius disputationis iudices medicos expetis! Quos verò de illis fore arbitraris qui non intelligant quàm insignis sit prior tua impostura? quàm frigida posterior responsio? Tantùm ne virium habere credis tuam suadæ medulam, vt ea speres posse te non modo apud imperitam multitudinem,*

sed apud eruditos, in quæstione præsertim philosophica, nigra dealbare & alba denigrare? Nec verò minus ridiculum est quod de hac editionum tuarum varietate causari soles: quòdque præter privilegium ab academia noua in rem tuam, sicut fingis, irrogatum, in hac ipsa disputatione, singulari vel potius incredibili sophistarum furo, magnâ gloriam ex eo captas quod de annuis ingenij tui fertibus, iisque admodum inter se dissimilibus, atque adeo contrariis, sepe obiecimus. In quo tã frigida est, mihi crede Thessale, apud doctos nugarum tuarum defensio: vt dubitare non debeas quin omnibus, qui ista legent, futurus sis omnino ridiculus. Nos quidem antea sepe in Animaduersionibus dialecticis, atque in hac disputatione nonnunquam, in scriptorum tuorum comparatione, dedimus operam vt omnes intelligerent, Thessalum in antiquitatem omnium esse arrogantissimum, eundemque in doctrina sua omnium qui vnquam scripserunt, inconstantissimum: vt pote qui singulis annis mutat quadrata rotundis. De eo vero quid hoc loco respondes? Audite obsecro vos, viri boni, Archisophistæ triumphum verè sophisticum. *Tu iam pridem calumnia nescio quam (ais fol. 9. pag. 2.) proposueras decem, aut nescio quot editiones logicorum P. Ramii librorum. Postea animaduertisti eum abs te laudatum esse, eodem argumento, quo vituperare cogitabas. Quid ita? An seuerissimum censorem antiquitatis, in suis scriptis omnium inconstantissimum docere, hominem laudare est? Ego profecto genus hoc laudis tibi tuisque non inuideo. Laudis verò rationem ex eodem audiamus. Nam si tot annos, ais, tam sepe logica illa in hac vna vrbe edita est: tot millia sunt discipulorũ P. Ramii, quot librorum millia iam inde empta fuerunt. Pape! Quid hoc est, si non est, de libris tuis tam inconstanter editis, sophisticè respondere? Quasi id ego tibi vitio verterim quod sepe logica tua in hac vrbe sint edita: non quod in nouis illorum editionibus, sepius noua feceris omnia, repudiata repetiueris, repetitaque rursus repudiaueris. Deinde cuius artificij argumētum hoc est, Thessale, colligere te habere discipulorum decem millia: quia librorum tuorum totidem exemplaria fortasse in hac vrbe sunt edita? De hac summa, si placet, detrahe primum eos quibus tu illos hostiatim obrustisti: Deinde doctrinæ Peripateticæ studiosos, qui non ex illis aliquid discere, sed furorem tuum in Aristot. cognoscere voluerunt: Postremo omnes qui eosdem, vt ait P. Gallandus, non ad fructum aliquem capiendum, sed veluti vernaculos Pantagruelis libros ad lusum & animi oblectationem lectitãt. Tum quicumque erunt reliqui (qui sanè erunt perpauca) eos fortasse merito nugarum tuarum discipulos, vel potius nugiuendulos tuos appellabis. Recriminaris quoque fortiter, atque eandem inconstantiam mihi obicis. Tu ais, cum interrogareris de nescio quibus ineptiis abs te recoctis, cur*





primas tuas cogitationes retexeres, qui id in P. Ramo tam contumeliose reprehēderas, quid academice nouitiolē, quid tum respondisti? Potuiffem Theffale, si mihi notum fuiffet tuum artificium, tecum respondere, me ad id coactum discipulorum meorum frequētia. Sed hoc per me, tibi erit proprium: nec enim vnquam inuidebo. Verum scire vis quid responde-rem, si tu fortasse ita mecum ageres? Dicerem me nihil meorum vnquam magnopere admiratum, ideoque minime eo commoueri quod meas vigilias, ineptias appellas: cum ipse Arist. ex cuius fontibus nostros riuulos deriuare conamur, tibi in omnibus philosophiæ partibus perpetuo ineptire videatur. Adderem etiam, tuorum scriptorum & nostrorum, in eo de quo nunc agitur, conditionem esse valde dissimilem. Horum enim ea est in antiquitatem modestia, quæ veniam fortasse mereri possit, si quid dictum sit oscitanter, in quo immutando postea laborandum. Tua, tantam præ se ferunt arrogantiam, tantam in audendo contra omnem antiquitatem, animi tui securitatem, vt in hac nulli delicto venia dari possit: & quæ in aliis essent leuissima, ea in tanta procacitate & intemperantia merito iudicentur grauissima. Quanquam neque istud mihi ad defensionem est satis. At hoc verè videor esse dicturus, nostra scripta de arte differendi & de ipsa natura, ita esse aliquoties edita, vt in addendo detrahendoque, semper conatus sim efficere quo posteriores cogitationes prioribus essent meliores: interea tamen cauerem ne vlla sententiarum contrarietas appareret. In tuis verò plerumque posteriora prioribus sunt deteriora: & in sententiis tanta repugnantia, quantam vix vnquam quisquam, in vllō scriptore notauit. Adeo vt ad euertendam Theffali doctrinam, non alio auctore quam Theffalo opus esse videatur. Sed de iis satis, nunc ad ea pergamus quæ in tua expositione sequantur.

METHODVS QVO MODO AD
iudicium se habeat, qualis sit in Poëtis & Ora-
toribus, quoque modo facilis & difficilis.
CAP. IIII.

Locus est alter expositionis tuæ fol. 11. pag. 1. de methodo quomodo se habeat ad iudicium, & qualis sit in Poëtis & Oratoribus. In quo tuo more, victus triumphum canis: & cum hac etiam in parte à nobis notaram sentias tuam inconstantiam, de hac nihil dicis: quoniã nihil omnino habes quo illam possis excusare. Nec dubito quin iam cogites

cogites quam frigidum fuerit quod antea respondisti, discipulorum tuorum frequentiam te ad illam adegisse. Quæ duo consideremus paulò attentius. Obseruaueram disputationis meæ fol. 12. te in comparatione methodi cum iudicio, fluctuantem, olim in prima Dialecticarum Institutionum editione, methodum iudicio subiecisse, vt speciem suo generi: Deinde in altera editione, quam sæpe dixi fraterculi commentariis fuisse exornatam, eandem à iudicio separauisse, atque huic in diuisione dispositionis tanquam generis vnus, ex altera parte opposuiffe: idque mirari me dixeram, quod primæ tuæ cogitationes postremis longè meliores esse viderentur. Tu quid respondes? De incōstantia, vt dixi, omnino nihil. Quod verò mirari me scripserā, id rides, nec sentis in quem ista cudatur faba. *Ecquid non mirari etiam, inquis, quod natura cerebrum à capite separauerit. Par enim admiratio fuerit: cum P. Ramus methodum non modo iudicij logici partem, sed præstantissimam diuinitissimamque partem fecerit.* Ergo Theffale, methodum iudicij partem esse vis, in eoque repudiata repetis? Quoniam in prima Dialecticarum Institutionum editione, hæc tua fuit sententia. Verum quomodo hoc consentit cum libro secundo editionis alterius, quæ hanc multis annis est secuta, & vt dixi, fraterculi tui commentariis illustrata? In quo Dialecticæ dispositioni, cui antea inuentionem opposueras, syllogismum & methodum subiicis: Deinde scribis partem eam quæ est de syllogismo, id continere quod propriè iudicij nomenclatur. Aut qua tandem ratione saluum hoc retinere poteris, quod scribis lib. 1. Animaduersionum editionis secundæ. *Dispositio, ais, plenioris significationis est. Non enim tantum iudicium (quod syllogismo fit) sed etiam methodum complectitur. Iudicium autem & methodus, res variæ sunt ac diuersæ, vt Institutiones nostræ declarant.* Non licebit per impudentiam tuam, istam inconstantiam admirari, in ea re præsertim quam habes omnium maximam maximè que meditatam? In loco altero de methodo poëtarum, tragicæ exclamans, impudentissimè tuam impudentiam mihi adscribis. Quod vt omnes intelligant, nihil amplius postulo quàm vt tua cum nostris sedulo conferantur. Scripseram fol. 12. pag. 1. hoc in scriptis tuis me valdè laudare & cupidissime amplecti, quod methodum duplicem esse velles, vnã doctrinæ exactioris, alteram communis prudentiæ per omnia fusæ, & in diligenti circumstantiarum omnium obseruatione sitæ. Quam tamen fateris artis nonnihil habere, in qua à priore longo interuallo superetur. Hæc mihi videbar fidelissimè descripsisse ex lib. 2. tuarum Institutionum. Nec dubito quin ita sint iudicaturi, qui volent hæc inter se comparare. Tu verò quid contra afferas, eadem pag. audiamus. *Quale, ais, tuum commentum est, quod P. Ramus in oratoribus & poëtis methodum artificiosam deesse fatetur?*



Etenim exempla artificiosa methodi de Poëtis & oratoribus deprompta, & ad eius illustrationem in logicis à P. Ramo adhibita, facile hanc insignem impudentiam produunt & refellunt. Dij te eradicent, impostor. Dixi artis nihil habere, sed in qua à priori, quæ propria philosophorum, longo interuallo superetur. Quæ ipsissima tua verba sunt lib. 2. tuarum Institutionum, Methodus, aut, est multorum & variorum argumentorum dispositio. Ea duplex est, altera doctrinae, altera prudentiæ: non quod veraque prudentiæ nõ sit, sed quod altera doctrinae & artis nihil fere habeat, sed ex hominibus naturali iudicio prudentiæque pendeat. Vtinam verò hoc loco non calumniari, sed docere voluisses, quod nostra disputatio postulabat, cur cum exactissimam methodi partem in Poëtis & Oratoribus deesse fatearis, sicut certè deest, tamen vsum artis differendi omnino ad illos reuocare soleas, non in grauioribus philosophis quærere. Quod autem eadem pag. ex Platone & Arist. contendis, repugnante me, artem methodi non esse difficile: de illa vere videor esse dicturus quod Aristot. de veritate lib. 1. minore Metaph. cognitionem eius partim esse difficile, partim facile: idque hinc intelligi posse, quod nec pro dignitate quisquam eam adipisci potest. Nec omnes ab eadem aberrant, sed vnusquisque, aliquid de methodo dicit, singuli autem nihil aut parum in ea consequuntur. Verum ex omnibus in vnum collectis magnum quiddam fortasse existit. Itaque vt eo ipso vtar, quod ille eodem loco scribit, in hac quæstione facile est quasi portam tangere. Quod autem de singulis ad hoc pertinentibus perfecta cognitio haberi non potest, id eius difficultatem arguit. Et certè cum Aristot. tibi rem totam vno verbo cõplexus videtur, quo vt ais, dixit natura prius debere præcedere, quanquam id ad confirmandam vnicam methodum Analyticam à te confictum sit: quid tamen est aliud quam portam rãgere? An eo ipso arbitraris definita omnia quæ de hac veterib⁹ quæsitata sunt, & à nobis hoc tempore disputata? Nec verò ad istam difficultatem confirmandam, quam speciales de methodo quæstiones continent, aliis vtar iudicibus quam iis ipsis qui hæc nostra legentes fatebuntur, opinor, se non nihil difficultatis in eorum explicatione sentire: nec alio teste quam Thessalo, qui ab annis viginti, & plus eo, in ista disputatione exercitatus, adhuc in porta hæret. Ideoque cum ante me ses duos superba inscriptione, DIALECTICÆ, Idæam tandem aliquando daturum se esset professus, interea nostra disputatione cõmotus, quia in methodo, nobilissima iudicij parte, non satis sibi constat: ipse iam quasi suo iudicio orbatus, solam inuentionem edidit, & in hac quam esset perturbatus, eo omnibus indicauit quod in publica & regia, si diis placet, huius explicatione, nullam paginam sine multis lituris adhuc potuit prætereire. Dixeram eiusdem fol. pag. 2. Plato-

nem in Timæo primam methodi distributionem fecisse in duas partes, cum rebus quæ tractantur quandam cognationem haberes, & Arist. in logico organo eandem partitionem esse secutum. Thessalus eiusdem quoque fol. pag. 2. negat illis locis quos indicauimus, eos de methodis quicquam cogitasse, sed de ratione probabilium & necessariorum, deque generibus argumentorum, & dispositione partium vnus syllogismi. Hæc enim eius verba sunt. De Arist. primum dicam. Hunc semper existimaui, (quod hoc loco aperte scripsi) Analyticis posterioribus & libro octauo Top. non solum tradere voluisse collocationem vnus argumenti cum partibus quæstionis vnus: sed multorum ad eandem rem pertinentium, in certos gradus distinctionem, in quibus aliquid esset primum, aliud vltimum, reliqua interiecta: Atque hunc ordinem in causis necessariis exposuisse Post. Analyticis, in argumentis communibus & probabilibus tantum, libris octo Top. Vtrūque si mihi negas, sicut certè negas, animaduerto te studio reprehendendi omnino excæcatum. Si quidem de Analyticis id cõfirmare possum, non solum Aristotelis auctoritate & omnium eius interpretū, sed tuo testimonio. Quod, quia ad coercendam tuam impudentiam plus habet virium quam superiora, nunc tantum persequar. Prima pag. lib. 9. Animaduersionum postremarum, ita scribis. Analytica prima pars est in enunciatione, de qua in interpretatione, secunda in syllogismo, de qua in prioribus Analyticis, tertia est in methodo, de qua in his posterioribus Analyticis. Quod si tibi non est satis, audiamus ea quæ sequuntur eadem pag. Ad confusionem tollendam, ais, methodus artificiosa queritur, de qua in Porphyrio & Categoriis diximus quæ generalissima primo, & prima subalterna, medio & dicitur & specialissima, postremo loco disponat. Cuius si qua in organo logico doctrina est, ea certè est in Analyticis post. pag. 3. Scribis te videre posterioris Analyseos libris faciendarum artium leges (licet obscurissimè & cõfussimè) tamen comprehensas esse. An non hoc est exactissimam methodi partem in illis agnoscere? Ego vero eadem pagina disputationis meæ addidi, Analyticam artem non solum docere quis in singulis artibus partium ordo sit, sed in ipsa artium omnium Encyclopedia, quid debeat esse primum, quid postremum, quid interiectum: quæque de ipsis artibus aliis inferiores sint, quæ superiores. Quod adhuc fortasse non vidisti: aut certè in præceptis methodi omnino negligere non debuisti. Iam verò libro octauo top. nõ existimas opinor argumentorum inuentionem tradi, sed dispositionem interrogandisque ordinem. Hoc enim ipse Aristot. initio eius libri apertissimè profitetur. In quo si vnus tantum syllogismi collocationem explicari credis, id profecto confirmas quod à nobis sæpe dictum est, te in distinctione organi logici, nihil prorsus videre. Quid enim apertius est quam Ari-

stotelem in eo docere voluisse, cum in perpetuitate disputationis, ad eandem rem vel etiam ad plures, quarum alia ex aliis oriantur, varię propositiones nobis suppetūt & in iis quaedam necessaria, alia (vt loquitur) præter necessaria, quo ordine omnes hæ interrogandę sint: quę primę esse debeant, quę postremę? quomodo nõnullę exemplis illustrandę, alia potius occultandę? Scio quidem quam oderis in logico organo distinctionem necessariorum à probabilibus: sed de ea alio loco tecum differetur. Nunc tantum concludam duas illas artes Topicam & Analyticam, apud Arist. habere suam inuentionem singulorum argumentorum, eorundem collocationem cum quæstionibus singulis, suamque in perpetuitate doctrinę vel disputationis philosophicę, methodum: cuius pars vna ad scientiam, altera ad opinionem referatur. Plato idem quoque secutus est, sed paulò aliter elocutus in Timęo, eo loco quem superiore disputatione indicaui.

DE DVPLICI NATVRÆ ORDINE,
& de vniuersalibus, utrum Analysis ad confu-
sa, an potius à confusis progrediatur.

C A P. V.

Ego profecto, Thessale, in eo vim maximam agnosco fucatae tuę eloquentię, quod quo loco mihi videor melius in hac disputatione contra te philosophatus, siue summorum virorum auctoritate, siue hac sublata, solius rationis lumine ista quæstio terminanda sit: in eo ita exultas, vt si res redierit ad homines in philosophia minus exercitatos, de me meaque causa actum sit. Sed, vt quidam ait, simplex esse debet veritatis oratio, eaque hoc loco nuda eorum de quibus igitur comparatione satis se defendet. De inuentione artium sic differueram fol. 13. pag. 1. Duo in ea esse notanda, vnum quidem quomodo ad rerum inquisitionem excitemur, alterum cum iam sumus excitati, qua via debeamus insistere. In priore, dixi nos sine ab initio posito, ad laborem erigi: deinde gradatim descendere per media fini proxima, ad ea quę sunt ab illo remotissima: in posteriore, cum ad laborem ferendum sumus excitati, tum in rebus colligendis nos contrario ordine in harum obseruationem incumbere: in illoque priore manifestam esse Analysis, per quam artes inuentas Galenus scribit, in posteriore genesin, quam pag. 2. monui synthetin quoque posse nominari, ex earum harum vocum distinctione quam initio disputationis posueram.

Quibus positis fol. 14. pag. 1. non solū tuis calumniis videor liberasse Arist. Interpretes, qui Analysis genesis priorem fecerūt, sed etiam explicasse aliquot tua sophismata, ex eo profecta quod illis vocibus, quarum variam & multiplicem significationem esse apud veteres negare non poteris, quasi simplicibus vtereris. Tu si verum fateri vis, illis omnibus commotus es: & tamen in posterioribus omnino obmutescis, in prioribus quanquam constrictus tenearis, exultas quasi victor, ne victus videaris. An putas nescire nos hunc morem esse sophisticarum? Ad extremum das operam, vt nescio quo verborum artificicio, lepido sanè & venusto, obscures ea quę non poteris explicare. Audiamus verò salem qui in te est. *Analysis tua, ais fol. 12. pag. 1. inuenit artes omnes: deinde eas iam inuenit, genesis inuenit rursus modo contrario, nec ante incipit tuo iudicio inuenire quam per Analysis omnia inuenta sint.* Facete sanè. Sed qua fide ista omnia? Cur verba mea detorques, vel pro illis noua comminisceris? Neminem credo, fore putasti qui hac in parte nostra cum tuis sedulo compararet. Egregiam sanè laudem in eo es consequutus Thessale, & triumphum dignum sophistica victoria. Ego ne verò vsquam dixi artes Analysis inuentas, genesis rursus modoque contrario inueniri? Locum indica: victum me omnino fatebor. Dixi quidem (nec video cur mihi adhuc dicere non liceat) ad artium inuestigationem homines primum earum sine excitatos: deinde ab eodem gradatim Analyticè descendisse, hancque esse eam Analysis de qua Galenus initio artis parua est loquutus: eosdè verò postquam excitati sunt, singulas artis partes ex illa Analysis constitutas, per genesis obseruasse, ad hancque obseruationem, inductionem assumpsisse: qua notiones vniuersalę præceptionesque, sunt collectę: atque tandem in perpetuitate doctrinę omnia ita exposuisse, vt per eandem genesis, vel si mauis, per Galeni synthetin, à primis elementis ad id quod summum est gradatim ascenderint. Sic enim Arist. scripsit cap. 1. lib. 1. Metap. vsu & exercitatione artem & scientiam comparari, Illamque tum existere cum ex multis experientię notionibus, vna quę ad vniuersum genus accommodetur, de rebus singulis constituendis artibus vel scientiis, quarum subiectum totum quoddam est integrum, cum ordinem tenendum existimauerunt, quem compositionis appellarūt. Ergo mecum dicito, si voles, ad artium inuestigationem (quę posita est in notionum & præceptionum generalium obseruatione, in vnumque collectione) homines per Analysis à fine descendentes, esse excitatos: eosdè verò postquam sic excitati sunt, per genesis vel synthetin, notiones præceptionesque generales notasse, atque easdem in vnum collegisse & ad illum finem, à quo

Analysis antea incepta, gradatim retulisse. Aut si id nobis non concedis, contraria opinionis tuæ rationem aliquam adfer: neque tatum ardori tuo hac in parte indulgeas, vt quasi cum tua umbra pugnes, licere credas verba nostra malitiosè detorquere ad tuam calumniam. Cur verò non potero duo hæc in artibus notare, quorum in moribus manifesta distinctio? An non est aliud deliberando à fine ad media descendere: aliud agèdo à mediis ad finem ascendere? Ecce autem eadem pagina mendacium nouo mendacio locupletas, dum hoc modo mecum agis. *Tu hanc methodum (ais) de qua tibi differendum statueras, etiam subiectis inuentioni, & ultimam logicæ dispositionis partem, facis primam inuentionis partem.* Imo duobus verbis duplex mendacium completis. Quoniam Analysis per quam dixi homines ad artium inuestigationem excitari, ea non est de qua mihi contra te hoc tempore disputatio: neque ea à me vsquam inuentioni, quæ partem priorem dialecticæ continet, est subiecta: etiamsi inuestigandarum artium methodus esse dicatur. Siccine semper Analyseos multiplici significatione illud? nec in ea ullam distinctionem admittes? Ego vtramque progrediendi rationem in Analysis & genesi, dixi naturalem posse appellari, sed tamen ratione diuersa. Siquidem prior quæ à fine descendit ad media, naturæ est, inquam, res instituentis, aut de rerum procreatione quasi deliberantis: posterior eiusdem iam gignentis. In quo dicam apertius me significare voluisse finem naturæ priorem mediis, & media naturæ priora fine. Quod quoniam secundum eandem naturæ rationem non poterat intelligi, adhibui distinctionem meo iudicio necessariam. Tu verò qui omnem distinctionem semper odisti, de hac quid sentis? *Quo loco, ais, non enim amplius dissimulare possum, mirabile mihi fuit legenti & relegenti, somnium illud de duabus inuentionis partibus, & de natura deliberante & gignente. Obstupui & miserabilem sophisticam istam, in hoc homine deploravi. Natura deliberantis facit, Analysis à fine summo, per media, ad infima: naturæ agentis, genesin contrariam ab infimis per media ad finem summum.* Hai! tamne monstruosa tibi est ista distinctio, vt eius solo aspectu obstupescas? Atqui Arist. familiaris est, & in eius doctrina omnino necessaria, atque à te ipso vsurpata & ex naturalis rationis lumine profecta. Hæc si docuero Thestale, nonne hac in parte obstupescens animum tuum composuero? Atqui mihi videor argumentis prorsus necessariis, te ad id cõfitendum posse adigere. Arist. ca. 2. li. 1. Polit. scribit, ciuitatem esse naturam priorem domo, totumque omnino prius sua parte. Quoniam si totum sustuleris, non erit, inquit, neque pes neque manus: nisi fortè eo modo quo lapideam manum dicimus. Causamq; subiicit, quod partium ratio earum officio & facultate definita sit, quæ duo illæ ex toto

capiunt: naturæque siue rei cuiusque perfectio, finis eius est. Quoniam qualis res omnis genita atque perfecta, talem dicimus illius esse naturam. At cap. 1. lib. eiusdem, vult domum priorem esse ciuitate, si quis hanc spectet vt nascitur & coalescit. Non sentis hic nostram distinctionem adumbratam. Idem apertius lib. 2. phys. ait naturam dici vt genesin & vt geneseos finem: prioræque modo in natura materiam antecedere, vt id ex quo aliquid gignitur, posteriore formam, à qua vnumquodque primam perfectionem capit. Sicque etiam capite 7. lib. 1. Metaphis. indicat, quod genesi posterius est, idem naturæ ordine esse prius. Quod etiam apertius est cap. 1. li. 2. de partibus animalium. Atque in hanc sententiam, ex lib. 1. Physic. & lib. 4. metaph. manifestum esse potest, materiam naturæ priorem esse formam, quoniam vt subiectum in nascendi ordine illa hanc antecedit: & formam naturæ priorem materia, quia hæc ab illa suæ naturæ & essentiæ perfectionem capit: omnique quod alteri dat essentiam, eo ipso prius esse oportet. In iis omnibus animaduertere potes vnum & idem cum eodem comparatum, dici naturam prius atque posterius, facile verò, sicut opinor, mihi concedes secundum eundem naturæ modum, id fieri omnino non posse. Cum ipse fatearis lib. 9. Animaduersionum tuarum, isdem, eadem priora ac posteriora esse nullo modo posse. Ergo ad ista explicanda naturæ distinctione aliqua opus est. Nostra verò repudiata, qualem esse afferendam arbitraris? Eam profecto hoc loco indicare debuisti. Placuisse fortasse, pro illaque debitam gratiam tibi habuissimus. Sed video quid velis, Aristotelem damnabis prius quam istam distinctionem admittas: nec tibi erit religiosum, illum in eiusmodi locis, quos comparauimus, sibi contrarium fateri. Quid verò si ipse in tuis scriptis, hac naturæ distinctione vsus sit? An etiam in doctrina tua obstupesces? Atqui recognosce hæc ex lib. 1. Animaduersionum. *Alia (ais) docendi, alia nascendi natura est. Res enim primo rudes & inchoatæ nascuntur. Deinde verò suis vsu progressionibus, paulatim augentur, tandem maturitatem suam quædam & perfectionem assequuntur. Verum alia ratio est doctoris doctrinam instituentis, alia naturæ crescentis. Doctor enim ille consummatissima & perfectissima quæque primo loco adhibet, vniuersas quippe rerum definitiones, deinde genera & partes: secus enim doctrina non esset, nisi à clarioribus, absolutioribus, antiquioribus rebus institueretur.* Deinde paulo post progressionem à rudibus & inchoatis, ad perfecta, naturæ nascētis appellasti? Quo loco vides, si quid videre potes, te naturæ nascēti vel crescenti id nominatim attribuere: quod cum nos naturæ gignentis esse diximus, obstupescis, vt ais. Nunc adde Thestale,

erectæque comæ & vox faucibus hæsit.

Nam idem locus à te extorquebit ordinem alterum, quem naturæ



quasi deliberantis esse diximus. Etenim vis doctorem doctrinam instituentē, (sic enim loqueris) cōsummatissima & perfectissima quæque primo loco adhibere. Quod dum faciet, nōne progredietur à natura prioribus: si modo verè hunc ordinem vnicum esse vis doctrinæ instituendæ? Erunt igitur consummatissima hæc & perfectissima, natura prima (quoniam ab iis Analysis tua progredietur) eadēque cōtraria illis inchoatis & rudibus, à quibus voluisti proficisci eam naturam, quam paulò antè crescentem vel nascentem appellasti. Quo igitur naturæ modo illa perfectissima, prima esse dicentur? Nempe eo, opinor, què naturæ quasi deliberantis esse diximus. In quo si te fortasse offendit quod naturam quasi deliberantem dixi, cogita hoc ad eius providentiam pertinere: quam non potes nisi valdè flagitiosè tollere. Nec verò si, qua es pietate, id facere coneris: in ea contra te defendenda, rationibus superare possum Platonem in Phædone, aut Arist. 2. lib. phys. Sed hic tibi danda est venia: quoniam ista Physica tractas valdè insolens: nec in iis vlla est de tribus tuis capellis. Quanquā sine accuratiore Physiologiæ cognitione, in qua scio te valdè esse rudem, si voles naturam cum arte, cuius est exemplar, sedulo comparare, vt in hac non idem primum est hominibus de extruendo opere deliberantibus, & in eius extructionem incumbentibus: sic facilè hac rudi tua Minerua, intelliges naturam ex instituto sine, ad rudia initia descendere, & eandem ex primis initiis ad institutum finem aspirare. Sed tamè si sapias, hanc distinctionem semper fugies: quoniam ea posita dicere verè nō poteris, vnicum omnino esse ordinem à partibus ad totum, & à fine ad media: Etiam si utrque, à natura prioribus esse dicatur. Quod cum à me toto fol. 10. abunde esset disputatum, tu ne verbum quidem vnum respondisti, nisi te nunquam posuisse Analysis partium in totum. In quo tua impudentia, tuo testimonio, satis antea videtur esse reuicta. Nec minus frigidè paulo post, eo te expedire conaris, quod obieceram de progressionē Analytica, à simplicibus ad confusa compositaque. Cum enim eo te vrgerem, quod Analysis tua non valdè commendabilis esset futura, si ad confusa deduceret: quandoquidem proprium doctrinæ est non cōfundere, sed distinguere & enodare: tu cum in re nihil omnino haberes quod opponeres, tuo more, vno verbo (quo Arist. in rem tuam vsus esse ais, nec tamen locum indicas) id totum elusisti. Sed age, hoc quoque cōsideremus attentius. Negas ne Thessale, à te positam Analysis doctrinæ instituendæ, quæ progrediatur à simplicibus ad confusa, compositaque? Tua verba sunt fol. 44. lib. 9. postremarum tuarum Animaduersionum. Negas ne Analysis tuæ, quæ descensum habet à generalibus ad specialia, esse proprium non ad confusa, sed à confusis ad enodata

enodata deducere? Nobis Arist. id confirmat cap. 1. lib. 1. phy. Et certè generum notiones cum specialibus comparatæ, confusæ sunt, atque vt Cicero ait in Top. enodationes indigent, quam accipiunt à formis in quas diuiduntur. Quod etiam Analysis fructus à te extorquet. Quid igitur ais? aut quid opponis, quo minus concludam in tua doctrina, Analysis deducere ad confusa, & à confusis ad enodata: & tamen illam tibi, tibi inquam, vnicam esse non modo specie, sed etiam numero? Si ista nobis plebeis exciderent, quas tragedias in tuo theatro excitares? Sed tamen audiamus quid respondeas. *Neque id tibi satis est (ais pag. 1. fol. 10. à simplicibus ad confusa peruerse interpretaris & ex malitiosa interpretatione tua, infinitam calumniandi materiam trahis.* At nihil omnino interpretor, Thessale: vnicum confusionis vocabulum considerari postulo, & cum Analysis fructu huius vim cōparati: in eaque cōparatione quantum possum voce contendo, intollerabilia esse hæc, Analyticā methodum esse vnicam doctrinæ instituendæ, & eam ad confusa deducere. Imo verò vsque adeo mihi absurda, vt ne Arist. quidè ista affirmanti, fidem sim habiturus. Quanquā in his quibus ex illo abuteris, noua tua impostura statim apparebit. *Verba illa (ais) Carpenteri, nō sunt P. Rami, sed Arist. qui per τὰ κοινὰ ἐκ τῶν ἐκείνων (cui respondet hoc verbum confusa, siue composita) intelligit singularia. Itaque P. Ramus in Arist. explicando, Arist. more loquutus, pro eodem dixit, ab vniuersalibus ad singularia, & à simplicibus ad confusa.* Verum Thessale, cum in Arist. non solum interpretem agas, sed in eum, etiam in leuissimis, tam seuerè animaduertas: non vidisti hoc si Aristotelicum esset, animaduersione esse dignissimum? Sed certè Aristotelicū non est: Imo Arist. sententiæ omnino contrarium. Locus vero quem peruertis, est apud illum ca. 1. lib. 1. phy. quem quidem (etiam si de methodo quædam præclara cōtineat) tamen si me audis, nunquā posthac attinges. Est enim tibi, qui questionē hanc tam facilè videri vis, semper mali ominis. Age, omittam quanta cum ignoratione, Animaduersionibus tuis in eo notaueris cōclusiones duas contrarias de ratione ordinis, quoque modo de illis à nobis postea admonitus, errorem tuum postrema editione, aliqua ex parte agnoueris. Vnū nūc dicam, si probare vellem Arist. auctoritate contra te, doctrinæ methodū non debere progredi ad confusa: sed à cōfuis ad enodata: nullum locum occurrere posse aptiorem eo, quo ex isto capite valdè ignoranter vel malitiosè abuteris. In quo cū multæ partes sint, has ego ordine persequar, paulo fortasse prolixius: sed impostura tua paucioribus verbis detegi non potest, & locus est eiusmodi, vt dignus videatur in quo explicatio elaboremus. Cum physiologia, vt Arist. docet cap. 1. lib. 1. de cælo, sententiā sit corporum naturalium, affectionum quæ iis per se insunt, & principiorum ex quibus

illa constant: prima parte capitis huius concludit, à corporum naturalium affectionumque principiis esse progrediendum. Quoniam, ut ait, tum denique nos aliquid cognoscere putamus, cum primas causas primaque principia, vsque ad elementa cognoscimus. In quo, sicut arbitramur, à natura prioribus proficiscitur, & tamen eum ordinem sequitur, quem compositionis potius quam Analyseos esse volumus. In secunda autem, rationem eius habens, quod cap. 1. lib. 1. de Animo & cap. 1. lib. 1. de partibus Animalium, quarit de Platonica diæresi & synthesi in Phedro, cōstituit in eorum quæ proposita sunt explicatione, à generalibus esse incipiendum. In quo est tua Analysis. Causam vero reddit, non, ut soles, quod à natura prioribus sit progrediendum, ad ea quæ sunt natura posteriora: sed contra, quod via & ratio quam tenere in scientia debemus, ab illustrioribus rebus & nobis notioribus, ad eas quæ secundum naturam illustriores clariorisque sunt, progredi soleat. In quo, cum voles considerabis, quomodo in hac Analyseos parte tibi cum illo conueniat. Quem in eadem re tibi quoque cōtrarium habes cap. 8. lib. 6. Metaph. Doctrina, inquit, omnes imbuuntur, si ex iis quæ secundum naturam ac per se minus nota sunt, ad ea quæ clariora sunt & illustriora ducatur. In eoque locum hunc improbas, fo. 46. lib. 9. Animaduersionum tuarum: qui tamē omnino idem est cum illo altero de descensu à genere ad speciem, quem semper probauisti: Quæ obiter tantum indicanda existimauimus: tu his admonitus si voles, dabis operam ut aliquando opinio tua magis intelligatur. Nunc redeo ad superiora. Quæ plenæ ratiocinationis propositionem continent: cui assumptio eiusmodi ab Arist. est subiecta. Nobis autem, inquit, primum clara & manifesta, confusa magis: postea ex iis principia atque elementa, his qui hæc ipsa possunt diuidere. Quibus positus eodem capite ita cōcluditur. Ex quo fit ut ab vniuersis ad singula progrediendum esse videatur. Quo loco, fateor, confusa vocat in assumptione τὰ συγκεχυμένα, in conclusionem verò singularia τὰ ἁπλοῦσα. Sed in eo valde erras quod συγκεχυμένα singularia interpretaris, eademque esse vis composita: cū hæc potius grecis sint συκεχυμένα. Neque minus in eo, quod existimas Arist. concludere ad συγκεχυμένα, id est cōfusa, esse progrediendum. Cum ille contra, in ea docendi ratione, quam instituit, primo loco poni velit τὰ συγκεχυμένα id est cōfusa, quæ postea vniuersalia interpretatur: in eodē vero descensu, postrema esse τὰ ἁπλοῦσα, id est singularia. In quo ne postea, fortasse cum nonnullis interpretibus erres, disce (quoniam hoc primum tempus discendi nactus es) illum singularium appellatione species infimas esse complexum: eadem ratione qua has quoque in demonstrandi arte nonnunquam indiuiduas nominat. Nempe quod harum diuisionem nulla scientia persequatur.

tur. Itaque ut rem in pauca contraham, sic ille statuit: in vniuersa Physiologia à generibus confusis, tanquam notioribus nobis, ad species imas (quas singulares vocat) descendendum. Esse verò genera confusa nobis notiora formis in quas diuiduntur, ex eo colligit: quod totum sensui notius sit. Genus autem vniuersum totum quiddam esse videatur: quippe quod multas species, quasi partes, complexu suo contineat. Iam sentis opinor, græculæ, quam multa hic sint tuis nugis contraria: quanque frigida fuerit defensio Analyseos ad confusa deducentis. De qua possem illud tuum in te conuertere. *O hominis vanitatem incredibilem. Quis enim hic se contineat. Tene Thessale, ita esse pudoris & omnis humanitatis oblitum, ut sic palam mentiri audeas? ut fama & estimationis tua nullam rationem habeas? An neminem tui dissimilem hac perlustrum putasti?* Sed istiusmodi vermiculata emblemata, quibus tuæ disputationis philosophicæ exornari solent, lubens tibi concedo. Lectorem tantum rogo, ut si volet, de tota controuersia ex hac parte iudicet: modo tua cum nostris sedulo comparet: eaque ad illud Aristor. caput, quo utræque nostrum nititur, tanquam ad certissimam regulam exigat.

DE DISTINCTIONE ORGANI
Logici apud Arist. & eius interpretes.
CAP. VI.

IN secunda de tribus cappellis, quæ pertinet ad distinctionem artis differendi in inuentionem & iudicium: scriptorum tuorum nuda comparatione facile ostenderem, te qui aliis doctrinæ incōstantiam contumeliosè obicere soles, omnium hominum inconstantissimum esse, nisi ad eam rem mihi locus alius in commentariis descriptionis logicæ, esset institutus. Nunc tantum priusquam de eo tibi respondeam, quod fol. 14. pag. 1. me mei valdè immemorem fuisse arbitraris in iudicando de eo, quod in ista quæstione Arist. interpretibus maxime familiare, vnum dicam quod aliquando attigi in Animaduersionibus tuarum Institutionum, nunquam mihi eorum opinionem probari potuisse, qui Topica & Analytica cum Categoriis & libro de interpretatione, ad vnius artis formam (sive eam logicam, sive dialecticam nomines) reuocare conatur. Quoniam Analytica à Topicis in scriptis atque sermonibus philosophorum, præceptis & vsu, ex Aristotelis mente non minus sunt distincta: quàm in ratione loquendi atque dicendi, Rhetorica à Grammatica. Ut enim in hac orationis forma instruitur minus elaborata, & quasi sua sponte

fusa, in illa ornatior & sæpe versa atque mutata: sic Ars Topica apud Arist. simplicioris rationis vsum explicat, Analytica exactiorem. Etiam si his quædam sint inter se communia, eaque ab illo Arti Analytica potius quam Topica, propter istius dignitatem, adiuncta. In quibus distinguendis, si cum veteribus nomine Organi uti vis, licebit per me Topicam artem & Analyticam ad organum rationis reuocare: sicut Grammaticam & Rhetoricam ad organum orationis. Quia ut hæc duæ orationem suis præceptis instruunt: sic illæ rationem. Sed ita tamen ut memineris non minus esse stultum vnam quam si vnus artis definitionem, Topica & Analytica communem apud Arist. requirere: quam apud te, Grammaticam & Rhetoricam vna ratione velle includere. Atque hoc ipsum vnum est in quo ab interpretibus constanter dissentio, & quod soleo dicere te adhuc in Arist. videre non potuisse. In illo verò si quid habes in quo me mei immemorem probare possis, mihi cum voles indicabis: pro eo gratiam habebō. Sed si hoc multis locis scripsi, etiam contra te: si ab annis quindecim & plus eo, idem constanter docui (sicut mihi permulti cōtra tuas calumnias, fideles testes esse possunt) quid tu homo omnium inconstantissimè, hac in parte constantiam meam desideras? *At paulò ante (ait) quatuor totis paginis errorem, interpretum Aristotelicorum, de methodo logici organi tam confisi, acerrime & in P. Ramum contumeliosissimè defendebat: quem nunc re ipsa coactus condemnasti.* Nunquam, credo, defines calumniari. Ego pro interpretibus antea disputavi Analysin à genesi, in methodo esse distinctam, atque contra tua sophismata efficere conatus sum, rectè illos Analysin, genesi priorem esse voluisse: & certè perfeci, ut iam ad illa omnia obmutescas. Nunc verò fol. 15. pag. 1. scribo mihi nentiquam probari distinctionem logici organi quam illi ad Analysin & Genesin accommodant: quoniam in hac continuatum vnum opus esse volunt, quod ego non probo: & ratiocinationem expositam prioribus Analyticis atque distributam in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, ajunt postea suo ordine explicari in posterioribus Analyticis, Topicis & Elenchis, quod meo iudicio Aristoteles non est sequutus. An hæc cuiquam videri possunt dissentire, Analysin & genesin in methodi distinctione cum Aristot. interpretibus probari: Logici organi factam ab eisdem ad illa duo accommodationem improbari? Mihi ars Topica ab Analytica omnino distincta esse videtur, ut illa libros octo Topic. & vnum de Elenchis, opere continuato complectatur: hæc libros de ratiocinatione, qui Priorum, & totidem de demonstratione, qui Posteriorum esse dicuntur. Sic verò hæc duo opera esse distincta, eorum initiis atque finibus facillè si voles, intelliges. Nam in To-

pis statim initio lib. 1. ita scribit. Hoc loco nobis propositum est viam atque rationem inuenire, qua & de omni quæstione proposita probabiliter argumentatione poterimus differere: & nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, afferre. Et ad finem libr. de Reprehensionibus sophistarum, propositioni respondet eiusmodi conclusio. Hoc igitur, inquit, à principio diximus fuisse nostrum institutum, ut inueniremus facultatem quandam differendi de quacunque re proposita, ex iis quæ essent in re quam maximè probabiliter. Atque in Analyticis cap. 1. lib. 1. priorum, ita proponit. Initio dicendum videtur quid sit in quo posita est instituta disputatio, quæque de re sit suscepta. Versatur autem in demonstratione, ac de demonstrandi arte est instituta. Et cap. 17. lib. 2. Analyticorum Post. propositioni similis conclusio. Ac de ratiocinatione quidem, inquit, & demonstratione quid sint & quomodo conficiendæ, hæcenus dictum est: ex quo quid qualisque sit scientia demonstratiua intelligitur. Hoc verò alterum est, quod verè prædicare possum te in præceptis de differendo ab Arist. traditis, nondum vidisse: & cuius ignorance in grauissimos errores incidisti. De quibus hoc loco nonnullos leuiter tibi indicabo, ut si voles eos recognoscas, prius quàm in Animaduersiones tuas seuerius inquiramus. Tu multis quidem locis, sed ex instituto maxime, lib. 1. tuarum Animaduersionum postremo editarum, id agis ut doceas falsò Arist. atque ambitiose, pag. vltima lib. de Reprehensionibus sophistarum, prædicare se in colligendis artis differendi præceptis neminem omnino habuisse quem sequeretur, aut cuius antecedente industria, ad hæc ipsa meliora efficienda iuuaretur. In eamque sententiam toto illo libro, longa à te contexta est Philosophorum historia, ut probes eos qui Arist. aetatem præcesserunt, multa inuenisse quæ ad differendi rationem pertinebant: quibus Arist. postea pro suis vsum est, in eo quod tu organum logicum nominas. Atqui Theophrastus, nihil eo loco, quem tu exagitas, ille est loquutus de communi arte differendi, sed de arte locorum communium pertinentium ad popularem tantum, non ad exactam rerum omnium cognitionem: qua continetur facultas differendi de quacunque quæstione proposita ex probabilibus tantum, quæ apud eundem Dialecticæ est propria. Hanc vero ille instituebat in Topicis, quæ inde nomen habent, rudiaque tantum eius initia fortasse posuit. Operi vero summam qui imponeret, post illum nemo adhuc est inuentus. Ut non sine ratione dubitasse videatur cap. 5. lib. 1. Top. vtrum eiusmodi ars aliqua posset inueniri: & cum esset inuenta, nun obscura futura, nec ad id quod quæretur, magnum adiumentum allatura. In quo non possum profectorisum tenere cum lego quod contra scribis, artem hanc iam esse inuen-



tam & ab ipso Arist. qui illam quærebat, in Prioribus Analyticis expositam, comprehensamque generalibus præceptis quæ de inuentione medij & de eiusdem varia collocatione, secundum trium figurarum modos, traduntur. Sed his grauius peccatum alterum est, & à maxima temporum ignoratione profectum, quod vt confirmes à prioribus philosophis in artis differendi explicatione, Arist. magna ex parte esse adiutum, eodem lib. multa commemoras ex Zenone Cittieo Stoicorum principe, quæ sunt huic cum Arist. communia: cum tamen sciamus Arist. in tractandis dialecticis, isto Zenone fuisse priorem: vt nõ ab hoc ille adiutus, sed huic potius quasi lampada cursu tradidisse videatur. Hæres in eodem luto lib. 8. Animaduersionum tuarum, quando ex eo quod Arist. scribit lib. 2. Analyt. Priorum, se de vitio in quo non causa, vt causa, argumentando ponitur, egisse in Topicis: quia locus hic extat in Elenchis, nescio quid in distinctione Organi Logici tibi suspectum esse ais. Cum tamẽ ars Topica (sicut modo dictum est) Elenchos complectatur: vt homini in huius doctrina bene exercitato, minime mirum sit, id ex Topicis citari, quod hodie legitur in Elenchis. Hæc vero obiter tantum isto loco indicare volui, non pluribus explicare. Quod in aliis ipsa necessitas me iam prolixiorẽ fecerit: nec propositum sit hoc tempore de omnibus tuis capellis disputare.

DE IIS QUÆ IN NOSTRO COMPENDIO Dialecticæ, à Thessalo Offato sunt reprehensa. CAP. VII.

Magnam vero pro eo tibi gratiam habeo, quod etiam Compendiolum nostrum de arte differendi, dignum arbitratu es quem equo Troiano includeres: id est cum nobilissimis scriptoribus, linguæ tuæ procacitate sædare. Quanquam enim non dubitem quin valde molestum sit, quod audire potes illud, in quo adolescentes lusimus, potius quam seridè philosophari sumus, in celeberrimis huius Academiæ gymnasiis p. ssum legi, atque etiam ab exteris probari, & aspirantibus ad Aristot. doctrinam initio explicari: tuas verò Institutiones à nemine omnino tractari. imo ne licere quidem nostris legibus eas attingere, quæ apud exteros damnatæ, publicis ignibus cõsumptæ sunt: non poteram tamen sperare tantum laudis & gloriæ ab eo, qui non solet animaduertere nisi in principes dicendi atque sentiendi. De quo quamuis vno verbo tibi potuerim respondere, eo nomine mihi post hæc futurum gratius quam vnquam antea, quod nunc intelligam tibi

non probari: quoniam ex eo ipso suspicor illud habere aliquid veteris disciplinæ, cui omnia mea studia deuoui, & cum quo errare malo quàm tecum bene sentire: tamen ne tibi hæc in parte plus, quam in cæteris sapere videare, animaduersionis tuæ singula capita breuiter excutiam & ea quidem lege, vt spondeam me de lingulis, in Elencticis nostris dicturum aliquando exactius. In eo de definiendi diuidendique modo, pauca præcepta colligo ex Aristot. & Galeno: quod ea duo sint instrumenta accommodata quæstioni simplici, quæ coniunctam, sicut natura, sic tractatione antecedit. Illa ego iis subieci quæ de quinque vocibus ex Porphyrio breuiter sunt descripta, eademque Categoriarum anteposui. Tu in præceptis nihil tua censoria virgula notasti: in metho hoc ipsum reprehendis. Quid mirum, cum in hæc veteres omnes à te exagitentur vt putidi? *Definitionis & diuisionis doctrinam (au fol. 16. pag. 1.) doctrina predicamentorum anteposui, valde inscienter & imperitè cum definitionis & diuisionis doctrinam putes è predicamentis oriri.* In quo quod scribis putare me illorum doctrinam ex Categoriarum oriri, mentiris impudens, & hoc pace dicam tua. Nam nominatim scribo capite de Categoriarum, definiendi, diuidendique munera, Categoriarum cognitione maximè adiuuari, non ex illis oriri. Tu si hæc eadem esse putasti, tota via aberrasti. Quandoquidem sequentia, quæ antecedentium vsum continent, hæc ipsa illustrant, horumque cognitionem adiuuãt, non tamen ex sequentibus antecedentia oriuntur. Et certè cum Categoria ordo sit vocum simplicium ad eandem naturam pertinentiũ, & in hac suis gradibus distinctarum, prout quædam generales sunt, alia speciales itẽmque intermedia: nemo profecto hunc ordinem recte poterit instituere, nisi qui prius in communibus diuidendi præceptis erit versatus. Hæc vero cum didicerit, quomodo in singulis notionibus diuidendis exercenda sint, ex subsequente Categoriarum doctrina intelliget. Verum si methodicè de iis agere volentibus, Categoriarum erant anteposenda præcepta definiendi & diuidendi: Cedo Thessale, per quam methodi legem? Per illam tuam, opinor, qua natura priora vis præcedere, naturaque priora definis, sine quibus alia nõ possunt intelligi: hæc verò sine illis possunt. Hanc igitur sequamur. Communia præcepta de genere in suas species diuidendo, intelligi possunt, nondum cognita categoriarum singularum distributione: exerceri fortasse non item. At Categoriarum distributio, in qua à summis ad ima per intermedia descendimus, fieri nullo modo potest, nisi prius cognitis diuidendi præceptis. Non sentis quam frigida sit hæc prima, contra nostrum compendiolum, tua congressio? Secundam consideremus: in hac fortasse eris alacrior. *Deinde (au) post doctrinam enunciationis & syllogismi, quæ ad dispositionem pertinet, rursum inuentionem*



confundis, & quidem contra Arist. Organi ordinem. Quia Dialectici syllogismi tuam inuentionem, præponis syllogismi Apodictici tua inuentioni: cum in organo postponatur. Ita belli tui Compendij & initio & extremo collocasti inuentionem, quæ natura prima erat, & animal quoddam nobis pinxisti, cuius caput à pedibus nihil differret. Vt interim omittam inuentionem cum generalis sit, generaliter & semel docendam fuisse. Næ tu homo es valde ingeniosus! qui vt confirmes eam methodum quam sequimur, non esse rectâ: nos ad tuam quasi ad regulam reuocas, quam omnino tortuosam esse arbitramur. Nun existimasti doctrinam nostram contra hæc omnia, Arist. clypeo esse tutam? At iisdem rationibus doctrinæ tuæ confusio nem in Dialecticis Institutionibus arguimus: quia non consentiunt cum Aristotelis regula, quam sequimur. Fuerat igitur illud prius excutiendum Thesale, quæ vera methodus in arte differendi, vel ratione vtendi, tenenda sit. Deinde illa posita, considerandum vter nostrû propius ad eam accesserit. In qua si me ad tua reuoces: ego cõtra, mea tuis opponam. Quo iure tibi in me plura, quam mihi in te hac in parte licere arbitraris. Sin vterque nostrum in Arist. tanquam in iudicem consentiat: non vides si neuum aliquem notare possis, in quo meum Compendiolum ab illo defecisse videatur: Institutiones tuas toto corpore fore monstruosas? Ab illo rationem differendi duabus artibus esse distinctam, antea diximus, vna accommodata ad inuestigandam veritatem per probabilem disputationem in partes contrarias, quæ Topica appellatur: altera ad iudicandum de veritate per causam, quæ Analytica: Harumque duarum communia esse quædam elementa de simplicium vocum ordinibus, de pronuntiatis, de generalibus ratiocinandi legibus, quæ Analyticæ, propter eius præstantiam & dignitatem, potius quam Topicæ sunt adiuncta. Si hoc probas, vtriusque artis primas lineas in hoc Compendiolo videmur esse complexi: & eo quidem ordine qui progressionem habet ab artium elementis ad ipsa artes, harumque vitia: & in artibus duabus (Topicam dico & Analyticam) ab ea quæ natura & vsu prior est, ad Posteriorem, id est, à Topica ad Analyticam, quæ de demonstrando præcepta continet. Sin nos reuocare vis ad illam secundam de tribus tuis capellis, nempe ad distributionem artis differendi, in communem inuentionem argumenti & eiusdem collocationem syllogisticam atque methodicam: ad hæcque partes & eum ordinem quem habent inter se, tanquam ad definitam regulam, nostra exigas: dicemus te in ea re simulare cupressum: cæterum, postulare id tibi concedi quod inter nos potissima quæstionis est. De qua hoc loco te admonuisse satis est: vt intelligas posthac quomodo tibi mecum sit agendum: nempe vt cum eo qui tua legit fortasse attentius quam voluisti, vel certè quam debuit, sed tamen

men adhuc adduci non potuit vt tuum commentum probaret. Quod autem addis me etiam contra ordinem organi Logici, præponere Dialectici syllogismi inuentionem, inuentioni apodictici: eo magis commouerer quam superioribus, si in Arist. de ordine artis Topicæ ad Analyticam inter nos constaret. Ego ex Top. prius descripsi Dialecticam ratiocinationem quam apodicticam ex Analyticis Post. Fateor, sed si contra ab Arist. in logico organo factum arbitraris, atque Analytica Post. Topicis ab illo præposita esse vis, fingis rursus tibi esse datum quod maximè est controuersum: & in quo, vt liberè dicam quod sentio, mihi adhuc non satis definita est sententia. At inquires, Arist. in Topicis citat Analytica vt antecedentia. Non nego, sed etiam contra in Analyticis nonnunquam ad Topica nos reuocat. Vt eo videatur indicare voluisse, has duas artes esse omnino distinctas, sed in quibusdam partibus inter se communicantes. Inter quas si ordo constituendus est, dignitate antecedit Analytica, vsu Topica. Quoniam in ipso vsu, prius exercendus est animus in probabili disputatione ad inuestigandâ veritatem, quam de hac possit perfectè iudicare per causam. Quorum illud, propositum fuit arti Topicæ: hoc, Analyticæ. Tertium peccatum in compendiolo tibi esse videtur grauissimum, quod Methodi præcepta omnino prætermiserim. Atqui possum respondere Thesale, etiam si in hoc à nobis nihil omnino esset expositû quod ad iudicium pertineret: graue quidem istud peccatum aliis videri posse, tibi verò in eo contra me nihil licere nisi prius ipse velis de tuo cõfiteri. Quoniam superiore proximo mense à te est edita DIALECTICA, DIALECTICARVM OMNIVM IDEA, quæ tamen, vt scis, solam inuentionem continet. Sed hoc causari nolo, ne errore tuo ad mei defensionem abuti videar. Vnum dicam quod mihi negare non poteris, aureum tibi esse Platonis locum de methodo, vnum in Phedro, alterum in Philebo, de descensu ab vno, cuius natura definitione conclusa sit, ad species imas, per intermediâs: eoque omnem de illa quæstionem abunde explicatam videri. Atqui in illo nihil est, quod Compendioli nostri capite de definitione & diuisione non sit comprehensum. Addo etiam, Aristotelem, quem sequimur, de methodo nihil præcepisse quod illo eodem loco & altero in quo de demonstratione agitur, non sit adumbratum. An non ista satis poterunt rudes animos ad huius subtiliorem doctrinam præparare? Atqui hoc illud est quod nostro compendio præstare voluimus. Idque vt consequeremur, dedimus operâ, vt in illo quasi vno aspectu, lector intueri posset artis differendi Analyticam cõstitutionem (non tuam, sed eâ quam ex Galeno antea commemorauimus, quæ fit per descensum à fine ad media, quæ ad illum sunt destinata) & eiusdem genesis vel sin-

A A.



thesin, per compositionem quæ ex primis elementis ad ea ascendit quæ in re sunt summa. Quos ordines, quotiescunque in artium compendiis ita coniungere volumus, dixi in priore disputatione fo. 16. pa. 1. esse necessarium à definitione incipere: quoniam hæc finem continet, à quo proficisci necesse est istiusmodi Analysin, quæ synthesin vel genesin antecedit. Qui locus tibi amplissimus visus est ad nouam calumniam: in qua ita exultas fo. 16. pag. 2. vt ipse tua legens cogar fateari magnam esse vim sophismatis tui: & mihi ab eo non nihil esse metuendum, præsertim apud eos qui vel non satis erunt in iis exercitati, vel negligentius mea cum tuis comparabunt. *In compendiis (ais) quæ visis, rudibus proponi solent, necessario à definitione incipiendum esse vis, ad hominum studia excitanda. Deinde pag. proxima, quæ est 17. mentis & memoria impotentia nescio qua, clare & perspicue dicitur cum volumus rudes instituere, nihil esse necesse à definitione incipere: quod verendum sit ne definitione initio posita deterreantur ac desperatione debilitentur.* Hæc summa fide ex te commemorata sunt. Utinam vero eadem religione nostra usurpares. Quibus primum illud addis de tuo (*quæ vt scis rudibus proponi solent*) idque caute sanè, vt ei opponas quod altera pagina scripsi, cum rudes instituere volumus & ab elementis ad id quod summum est, quasi manu ducere, nihil esse necesse à definitione incipere. Ex quorum comparatione, tibi fingis illud ænigma Oedipo, sicut arbitraris, dignum, *definitio rudibus initio proponenda: definitio rudibus initio non est proponenda.* Atqui ego Thesale, quanquam Carpentarius sim non Oedipus, videor tamen sophismatis tui periculum saluis rebus posse euadere. Nam quod de tuo adiicis, compendia rudibus proponi solere, id si ita intelligis, vt velis apud rudes tantum iis esse locum, tota via aberras. Quoniam medicinæ compendium à Galeno scriptum in arte quæ parua nominatur (de quo eo loco tecum disputo) non tantum rudibus propositum est: quàm hominibus in huius artis quasi immersione, diu multumque versatis, atque volentibus superioris navigationis, multis annis confectæ, fructum in pauca contrahere, eumque in breuissima tabella descriptum, ad excitandam memoriam, sibi spectandum proponere. Neque vero dico in omnibus compendiis à definitione esse incipiendum: sed iis tantum in quibus artis Analysin cum eiusdem genesi vel synthesi volumus explicare. Hæc enim mea verba differendi compendio, non infeliciter seruasse videmur: & si tua consideras paulo attentius, eandem in tuis Dialecticis es sequutus. Hoc verò quicumque facere instituunt, ab earum artium quas tradere volunt, definitione incipiunt est necesse. Tu hoc solum posterius arripuisti, & ex eo tibi omnino dari voluisti, in compendiis à definitione

necessario esse incipiendum. At eadem pag. paulo ante dixeram, accedere tantum posse, vt nonnunquam in eadem perpetuitate doctrinæ, analysi cum genesi coniungatur, hæcque antecedit: præsertim in artium compendiis: tumque ab ipsa definitione, propter analysin esse incipiendum. An idcirco tibi videor in omnibus artium compendiis, primo loco definitionem necessariam dicere? Equidem si hoc affirmarem, haberem te, fat scio, sententiæ meæ collaudatorem: sed de eo isto loco profectò non cogitavi. Neque dubito quin etiam hoc videris: sed affingere aliis falsam sententiam, vt ex ea nascatur occasio calumniæ, sophistarum proprium est, & tibi in disputatione contra veteres valde familiare. Id vero in quo mentis & memoriæ impotentiam mihi obiicis (sic enim tu nescio cuius exemplo, obliuionem nominas) nihil amplius pertinet ad coniunctionem analyseos cum genesi, de qua antea sum loquutus, sed ad solam artis genesin siue synthesin: nihil ad artium compendia, sed ad earum fusam explicationem. Quid ergo miraris à me hoc loco dictum cum eiusmodi ordinem tenere volumus, nihil esse necesse à definitione incipere? Imo fortasse dicere potui, tum non licere totius artis definitionem primo loco ponere. Quoniam hæc rei summam continet. Ordo vero eiusmodi non à rei summa incipit, sed à primis eius elementis perducit ad summam. In quo ne quis arbitretur me noui aliquid comminisci, aut adicere ad ea quæ sunt antea contra te disputata, quo possim ænigmati tui laqueos effugere, verba mea proferam ex ea pag. fol. 17. quam tu indicasti. At cum artem iam inuentam (inquam ego) & per Analysin constitutam, gradatim componere volumus, nec tam ad eam hominum studia excitare, quam rudes instituere, atque hos à primis elementis ad id quod illa habet summum, per genesin vel synthesin, quasi manu ducere: tum vt ab eius definitione incipiamus nihil necesse, satisque est si cum ad partem principem summamque ventum fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. Non sentis quam distinctè à me sint ea exposita quæ tu malitiosè confundis, vt monstruosum ænigma tibi fingas, ad idque dissoluendum Oedipo opus esse clamites? Atque quod hoc posteriore loco disseruimus, id ipsum est quod in Analytica arte (Topicam non complector) Aristotelem fecisse dicimus. Nam cum illi adiuncta sint ea quæ de simplicium vocum ordinibus, in Categoriis, & de pronunciatis libro de Interpretatione ab eodem traduntur: in iis sic nos exercet, vt nullam totius artis definitionem initio ponat, sed à primis elementis per intermedia, ita manu ducat, vt ex illo adhuc nesciamus quæ instituti summa sit: verum hoc tum demum attingat, cum ad ipsam Analyticam artem est peruentum. At illud est, inquit, quod in Aristotele reprehendimus, quodque de prætermissa artis de-



definitione tam sæpe disputauimus. Scio Theffale, & hanc iam pridem agnosco primam de tribus tuis capellis. Sed hoc ipsum est, quod pro Arist. cōtra te cōstanter defendimus: quōdque in fusa & copiosa medicinæ explicatione Galenū fecisse animaduertimus, cū ab elementis incepit, nulla antegressa totius artis definitione, indēque ascendit ad tēperamenta, & reliquos medicinæ gradus eodem compositionis ordine est persequutus: hoc inquam est, quod grammaticos in sua arte ante te natum fecisse dico, & quod nos in hac ipsa, sicut & in logica, discenda sequutos nunquam pudebit prædicare. Cur enim mihi turpe erit confiteri istas artes eo modo didicisse, quo veteres atque imprimis Aristot. docuerunt? Venio nunc ad locum alterum de Dialecticæ nomine, quo cum dixi apud Aristot. non significari vniuersam artem differendi, sed eam quæ probabilia sectatur: reuocari te ais, pag. 2. fol. 17. ad ineptias tam multis ex Arist. ipso sumptis testimoniis, à P. Ramo explosas. In quo vide quidagas, Theffale. Nam de eo ipso nomine à nobis sæpe admonitus, tandem aliquando postremis tuis Animaduersionibus sententiam nostram probasti. Earum enim lib. 2. ita scribis. *Aristot. verbo rem turbauit cum Dialecticam vocauit eam probabilis artem: sicut per sæpe etiam Logicam. Quoties enim in Organo, Logica aut Dialectica verbum usurpauit (frequenter autem usurpauit) ad illam probabilis artem accommodauit. Hæ igitur si ineptiæ sunt, non meæ tantum sunt, sed etiam tuæ. At illa tibi propria est impostura, quod eadem pag. scribis illud de nomine Dialecticæ ex Aristotele obseruatum, à me Compendioli mei initio esse reiectum. Nam eo loco idem iterum breui scholio à me confirmatum, & quia non poteram generalem differendi rationem Aristotelico vno nomine exprimere (quod tamen primis editionibus mihi exciderat) apertè significatum est, semper hoc apud Aristot. probabilitati esse addictum, à nobis tamen præter eius consuetudinē, demonstrandi arti etiam accommodatum. An non hoc est in Aristot. notare, semper Dialecticæ nomen, artis esse vel potius facultatis probabiliter differendi de quacunque quæstione? Profecto magna vis est consuetudinis, præsertim cum se ad deteriorem partem applicat. Sic enim ea imponendo & calumniando animum tuum obfirmavit, vt etiam si velis, non possis, credo, inde te ad vllam modestiam recipere.*

DISPUTATIONIS TOTIVS CAPITA colliguntur, eaque explicanda Theffalo proponuntur. CAP. VIII.

IN perorando, vt firmius inhæreant omnium animis aculei singularis artificij tui, id est imposturæ atque calumniæ, ita mecum agis quasi omnino negauerim in docendi methodo vllum esse descensum à genere ad species imas, per intermedias. In eoque vt me meo gladio iugulasse videaris (satis enim tibi est modo videaris) ex nostra disputatione profers locos duos, quibus hunc progrediendi modum ex Arist. confirmaui: atque tandē velut iratus Chremes, tumido dilitigas ore, ipseque ad nostros artis medicæ doctores conuersus, *vestram, au, Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, imploro fidem.*

Addere profecto debuisti, non leuissima de re, vt quæritur ille fieri in ciuitate facinora capitalia,

Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult.

Sed vt adsint, cognoscant, animaduertant, quid in tertia de tuis capellis spei sit reliquum. Atqui, Theffale, nunquam de illo descensu dubitavi: nunquam de eo tibi eripiendo cogitavi: hunc in Arist. & aliis philosophis potius quam in poëtis & Oratoribus, qua potui diligentia meis semper indicaui, & ipse in scribendo vel docēdo quoad potui, seruaui. Atque quanquam in vtroque tibi videar valdè perturbatus, sum tamen eius obseruatione (quod sine inuidia, apud viros bonos dicere possum) nonnullam commendationem, perpetuo annorum viginti docendi munere, in Academia consecutus. Verum aliud inter nos est controuersum, & hoc quidem non vnum & simplex, sed in aliquot capita distributum. Primum enim inuestigandarum artium sicut & instituendarum, postquam sunt inuentæ, methodum aliquam esse volo, eamque pernego potuisse à te comprahēdi sub inuentione, quæ tibi tantum singulorum argumentorum est: multo verò minus sub distributione, cui est omnino contraria. Illudque addo, eo ipso loco ex quo orta est tua disputatio, Aristotelem, si methodi vllam rationem habuit, illam quam prætermisisti potius indicasse, quam alteram in qua explicanda totus es. Secundò verò, etiam si de methodo artium & scientiarum instituendarum tantummodo inter nos agendum sit: nego tamen hanc à natura prioribus semper proficisci. Quia in plerisque scientiis vel artibus, id neque potest, neque vult: sed à posterioribus natura, nobis verò notioribus, ad ea deducit quæ secundum naturam sunt priora. Sic enim animaduerto Aristot. cum in aliis physicis locis multis fecisse, tum in quæ-



stione de Anima (quæ vt opinor, methodi quadam perpetuitate tractatur) nominatim præcepisse, vt ex obiecto progrediamur ad actionem, ex actione ad facultatem, ex facultate ad aliquam capiendam coniecturam de ipsius animæ essentia. Sic quoque video medicos ex signis deducere ad cognitionem morborum, ex iis ad causas. Atque illud etiam considero, vt in simplicibus notionibus explicandis duplex modus est, vnus ex causis essentiæ per definitionem exactissimam, alter ex effectibus, per descriptionem: itémque in ratiocinatione nõnunquam per causam effectus concluditur demonstratione exactissima, alias verò contra, causa per effectum, altera tollerabili tantum, sed tamen ad nostram imbecillitatem valde accommodata: sic in argumenti perpetuitate collocationeque multorum ad rem vnã pertinentium, eandem varietatem posse contingere, quæ haud dubie methodi diuersitatem parit. Tertio, si illis omnibus prætermisissis, tibi concedamus in omni doctrina instituenda progrediendum esse, sicut vis, à natura prioribus: contendimus tamen adhuc, non eo effici methodum doctrinæ instituendæ omnino esse vnicam atque indiuiduam. Quoniam quod dicitur prius altero, etiam natura, non vnus modi est, sed varium & multiplex. Quãdoquidem finis natura prior est mediis, & media fine, Itémque totum natura prius partibus, & partes toto, addo etiam illud, quod fortasse miraberis, speciem natura priorem esse genere, & genus specie. Et tamen non idem modus omnino atque indiuiduus, progrediendi à fine ad media, & à mediis ad finem, à partibus ad totum, & à toto ad partes. Ex quibus intelligi videtur methodum doctrinæ instituendæ, numero vnicam dici nõ posse, quæ à prioribus natura, ad posteriora progrediatur: cū hoc ipsum, à prioribus natura progredi, nemo sanæ mētis vnicum dicere possit: quod tamen à te nullo prorsus loco est distinctum. Quarto, cum Analyti tua sis complexus progressionem à genere ad speciem, à causa ad effectum, à fine ad media, à partibus ad totum, & nonnunquam, pro tua inconstantia, à toto ad partes: quoniam in ea varietate de vocabuli vi quæritur, sæpe distimus, à te iam pridem expectari vt doceas, quibus auctoribus, analyseos nomine ista omnia complectaris. Descensum quidem à genere ad speciem in tractando cuiusque doctrinæ subiecto, scimus Aristoteli valde esse familiarem: nostraque disputatione eum laudauimus: in quo tua peroratione nobis fucum facere voluisti. sed hanc ille diæresin potius quam analysin nominat. Tu si quos habes in promptu locos contrarios, eos audiemus non inuiti. Quamquam & in eiusmodi descensu id me malè habet, quod ais nos progredi à prioribus natura: Arist. cap. 1. lib. 1. phys. cõtra, à prioribus nobis ad priora natura: in quo illum cum poteris tibi conciliabis.

Progressionem à causa ad effectum, nusquam quod sciam, Arist. Analytin appellauit: neque verò mathematici, in quorum sinu dormitasse videris: sed potius reuocationem effectus ad suam causam, hoc nomine sunt complexi, ex quo ille demonstrandi artem Analyticam inscripsit. Nec verò magis ex eo docere poteris partium in totum Analytin fieri: Quod si hæc omnia pro tua auctoritate vno Analyseos nomine complecti potuisti: licuit fortasse cælum terræ permiscendo, methodum doctrinæ vnã nomine dicere, omnino vnicã & specie, vel etiam numero indiuiduam, profectò non licuit. Cum iis omnibus si tuam perorationem conferas, senties opinor quam frigidè responderis. Et si ad eadem placet reuocare fundamentum disputationis tuæ, quod prima pagina vna ratiocinatione cõclusisti: in eo quoque intelliges falsæ propositioni subiectam esse falsam assumptionem: vt ex illis minimè mirum sit, falsum esse conclusum. Habes Thesale, controuersia inter nos non ignobilis, potissima capita, eaque, vt opinor, non indigna, in quorum explicationem tu, quanquam regius professor, incumbas. Imo verò si tuam personam consideras, ea cura tibi est necessario suscipienda. Etenim cogitare debes (nec verò dubito quin sæpe cogites) regio professori non modo esse cauendum ne in philosophando aberret, neue ipse dedecoret suam auctoritatem & Regis maiestatem, sed danda etiam opera vt alios errore liberet: errantes in rectam viam reducat. Atqui si in hac opinione mea error est (quem certè grauem esse oportet, si verum est illud commentum tuum de vnicã methodo) non solum is mihi petniciosus, sed rei literariæ maximeque philosophorum ordini. In quo, vt scis, personam aliquam sustineo, & in docendo, contra te nonnunquam disputando, perficio fortasse, vt plarique doctrinæ tuæ singularis lumen respuat, & in eodem veterum luto adhuc hæreant. At, inquires, contra tuam vmbra disputas, & tu Thesale, tantum te exerces ad palum: non congregaris cum armato aduersario. Cuius arma si leuia tibi esse videntur, facilius & certior erit victoria sine sudore & sanguine: & quãquam minus gloriæ ea sit habitura, in homine præsertim tam nobiles spoliis onusto, erit tamen adolecētibus philosophiæ studiosis, quos his nostris scriptis in contrarias sententias distrahimus, frugifera atque fructuosa. Libri tui, quibus deest illa actio quæ te ætatis nostræ Roscium facit, me adhuc commouere non potuerunt. Viua vox magis afficiet, eaque fortasse nos in tuam opinionem rapiet. Ergo congregiamur cum voles & coram de ista quæstione agamus. Scin' verò quos iudices expetam? Ego profectò vt te ad hanc disputationem alliciam, nullos prorsus recusabo. Vis summa potestas sit penes Illustriss. Cardinalem & Principem Lotaringum, quem tu Mæcenatem tuum appel-

las, ego verò communem literatorum omnium patronum? Non refugio. Quoniam in iudice siue quæstionis cognitionem quærimus, siue in statuendo & cogendo auctoritatem: hic merito nobis erit instar omnium. Sin, quia iis difficillimis Reipub. temporibus, aliis multis grauioribus occupatus, auocandus ab illis non videtur: rem omnem committamus collegis tuis professoribus regiis, & in eorum sententiam verbæque iuremus. Non potes pro eo vinculo quod tibi cum illis intercedit, nisi æquissimam sententiam ab eis expectare. Ego verò cum illi tua nostræque legerint, & (si modo tantum est otij) nos ipsos coram audierint, si pro te sententiam tulerint: sanctissimè iuro me posthac doctrinam tuam, quam antea sum infectatus, quibus poterò rationibus exornaturum. Quoniam eorum iudicium plus apud me semper valebit, quàm priuata mea opinio. At tu forsasse huius vrbis medicos potius iudices expectes, quod eos tuæ expositionis extrema pagina plus quam reliquos in ista quæstione sapere arbitreris. Quod etiam si intelligam quo artificio feceris, tamen pro nostro ordine gratiam habeo, atque si ita vis, rem totam eius disceptationi iudicioque committo: siue in eo omnium sententias numerari, siue æstimari ponderarique velis. Denique quanquam in aliis disputationibus de meo ingenio meaque facultate, sicut decet, cogitās, soleam commoueri, & nonnunquam leuiores aduersarios, magis quam par sit, metuere: ad hanc tamen sic mihi videor esse instructus, vt vel iis audiētibus qui doctrinæ tuæ sunt amiciores, sperem me obtinere posse, vt omnibus posthac persuasum sit te in quæstione de methodo, nobis plebeis philosophis tanto esse inferiorem, quanto veteribus omnibus in ea superior videri voluisti. Si verò istiusmodi cōditionibus, quas iustas esse negare non auderes, ad disputationem non potes pertrahi, & cum maximam verèque philosophicam quæstionem esse fatearis, in ea aduersarium Carpētario grauiorem expectis: hoc primum cogita Thesale, quod omnibus in hac Academia notum esse scis, in Carpētarij quantauis tenuitate, nihil esse, præsertim cum de philosophia quæritur, quod possis aut debeas contemnere. Deinde caue ne cum aliqua nostrorum approbatione dicere possim, te ante annos viginti, in prima congressione de tua doctrina tam infeliciter cum Antonio Goueano esse versatum, vt ex eo tempore omnes armatos aduersarios reformidaueris. Cæterum si aliud impetrare non possim: ego auditores meos qua poterò diligentia in vetere doctrina retinebo, Lectorem modo rogabo, ne se in hac quæstione, verborum lenociniis, & orationis nescio quo artificio, demulceri sinat: sed hoc semper meminere, tua meaque opinione, rem de qua agitur esse maximam, quæ ornari ipsa non vult, contenta doceri.

Digressionis primæ de Methodo. Finis.

6 In obseruatione pulchrorum, quo modo per varios gradus ad ipsum pulchrum, id est ad ideam pulchrorum omnium debeamus ascendere, pluribus docet Plato in Symposio. Oportet, inquit, eum qui recto tramite fit progressurus, statim ab adolescentia pulchra corpora contemplari: & primum quidem si modo rectè ducatur, vnum corpus amare, ibique rationes pulchras producere, cogitare deinde pulchritudinem quæ corpori cuiuslibet inest, alterius corporis esse germanam. Et si sequi decet quod in specie pulchrum, absurdum est credere eam, quæ in omnibus corporibus inest, non vnam eandemque pulchritudinem esse. Et qui hoc aduertit omnium simpliciter pulchrorum corporum amator euadere debet: amoris autem erga vnum vehementiam hac ratione remittere, atque vnius speciem paruifacere. Posthæc pulchritudinem quæ animis inest, illa quæ in corpore, præstantiorem existimet, adeo vt si quis animi ingenui sit, quamuis forma corporis aliis quibusdam cædat, sufficere tamen arbitretur: & amet curèque, & rationes huiusmodi pariat, quærâtque sermones omnes qui reddere meliores adolescentibus possint. Vt hinc ad pulchritudinem quæ in officiis ac legibus reperitur, inspiciendam, ducatur, intelligat illam omnem sibi ipsi vniformem cognatamque existere, vt eam quæ circa corpus est, pulchritudinem paruifaciat. Post officia legesque, ad scientias transeat, vt scientiarum pulchritudinem contempletur: dumque id quod ampla exuberat pulchritudine, contuetur, haud amplius officij pulchritudine sit contentus. Nam quisquis in hoc delinquit, exilis & abiectus est seruus. Verum in profundum pulchritudinis pelagus se mergat, vbi ipso intuitu multas præclaras atque magnificas rationes intelligentiasque in philosophia abundè pariat: donec ibi confirmatus & roboratus, scientiam iam vnam talè intueatur, quæ pulchritudine talis existit. Acie verò nunc mentis pro viribus adhibe. Quicumque hucusque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem iam amatorij affectus perueniēs, subito quædam natura mirabilem inspicit pulchritudinem: hoc illud cuius gratia labores omnes præcedentes subiimus. Principio quidem semper est, nec fit, nec interit, nec crescit vnquam, nec decrescit: præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe, vel tum pulchrum, tum minimè. Neque ad hoc quidem pulchrum, turpe verò ad illud. Vel hic pulchrum, ibi turpe, vt quibusdam pulchrum sit, quibusdam vero nequaquam. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher, vel pulchra manus, aut aliud quippiam cuius corpus est particeps. Neque vt oratio quædam, vel ratio, aut scientia quædam. Neque in alio iacere putabitur, vt in animali, vel terra, vel cælo aut alio quopiam, sed ipsum per se ipsum, cum semetipso, vniforme semper existens. Cætera verò omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra: ea scilicet conditione, vt nascentibus & intereuntibus aliis, nihil subtrahatur illi, aut addatur, neque passionem vllam incurrat. Hæc quidem Plato in Symposio, ex quo locus hic Alcinoi manifestè videtur esse descriptus. Quanquam ferè eadem sententia, ab eodem pluribus explicatur in Hippia maiore & in Phædro. Quibus locis significat à sensilibus pulchris, per medios gradus discursus cogitationis humanæ, ascendendum esse ad ideam pulchri. Quæ, vt ex eodem Platone Cicero scribit, si oculis corporis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui. Cernitur verò mente, isto corpore omnino soluta, vel ab eodem in vita hac, rapta per ecstasim: in cuius frui-tione extremum summumque philosophiæ beneficium ex eorundem Platoniorum sententia positum est. Cum autem per inferiores rerum pulchrarum gradus nostra cogitatione discurremus, ab eisdem Platoniceis similes esse dicimur



hominibus somniantibus: qui rerū falsis imaginibus pro rebus ipsis fruuntur. Ad idem Analyseos, exemplum vide librum Plorini de pulchritudine, eiusdemque librum alterum de intelligibili pulchritudine. Exemplum autem secundi modi Analyseos pertinet ad quaestionem de animi immortalitate, ideoque commodius intelligitur ex capite 18. libri huius. In quo rationes colliguntur quae valere possunt ad confirmandam immortalitatem, in eisdemque Platonici cum Peripatericis conferuntur.

7 Hic Alcinoi inductionis nomine, Socraticam & Aristotelicam complectitur. Nam quae à simili ad simile progreditur, vel etiam à multis similibus ad vnum simile, inductio est, qua Cicero ait in Topicis, plurimum in sermonibus Socraticam esse usum. Quam Aristoteles cap. 2. lib. 2. Rhetoricorum ad exemplum reuocat. Altera verò quae ex singulis colligit vniuersum, Aristotelica est, eademque in instrumentis Dialecticis plenae rationationi ex altera parte opponitur cap. 10. lib. 1. Top. Inductionum Platoniarum, aliam distinctionem vide apud Diogenem Laertium in vita Platonis.

8 Locus hic reperendus est ex Hippiā Platonis. Vbi postquam constituit duo genera declarationum earum quae circa essentiam voce fiunt, vnum quidem nomen, verborum alterum: Verbumque definiuit declarationem qua actiones significantur, nomen autem signum vocis agentibus ipsis impositum: docuitque neque ex solis nominibus ordine prolatis, orationem vnuquam effici, neque rursus ex verbis absque nominibus, tandem concludit horum duorum complexiōnem orationem esse primam atque breuissimam: quae declarat aliquid de iis quae sunt, vel fiunt, aut fuerunt iam, aut erunt. Hanc autem aut veram esse, aut falsam. Veram quidem quando ea quae sunt, vt sunt, praedicat: falsam autem quae alia quam quae sunt. Quod etiam ab eodem Platone dictum est in Cratylō & lib. 2. de Repub. Itemque in Parmenide, suppositione sexta. Eodem verò modo Aristoteles in Categoriis & libro de Interpretatione, vult veritatem & falsitatem orationis spectari debere ex comparatione cum re significata, sed negat orationem omnem significare verum vel falsum: hocque eius tantum esse ait quam enunciantem appellat. Porro ea omnia quae hoc capite ex Platone colliguntur, in vsu apud illum obseruata sunt, & ex variis exemplis collecta, non ad vnius artis formam ab illo reuocata, aut in huius praecipis posita. Quo fit vt cum Aristoteli magis propria sint quam Platoni, eorundem accuratior explicatio commodius reici posse videatur in Commentarium nostrae descriptionis Logicae, sicut paulò antè indicauimus in priore parte disputationis de methodo.

9 In Hypothesis enunciationibus primum eas complectitur quas Cicero libro de fato & in Topicis appellat connexas, vt si natus est Fabius oriente Canicula, non morietur in mari. Quae solae, si enunciandi formam spectes, proprie sunt Hypothesis. Quoniam solae Hypothesis siue conditionem expressam habent. In quibus Alcinoi ait consecutionem quandam declarari. Quia in iis ex conditione posita, vni parti, vt antecedenti, altera consequens adiicitur. Addit verò his alias quarum partes repugnantiam quandam habere dicit, quae disunctionae ab eodem Cicerone nominantur. In quibus conclusiones idcirco ratae sunt, quod, vt hic ait in Topicis, in disunctionis membris plus vno verum esse non possit. In connexis autem ille notat duas formulas argumentandi. Appellat enim Dialectici, inquit, eam conclusionem argumenti in qua cum primum sumptis, consequitur id quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id quod annexum est negaris, vt id quoque cui annexum fuerit negandum sit, secundus appellatur concludendi modus. Qui duo quoque modi ab Arist. notati

sunt in Topicis, prior ex affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis, posterior autem ex euerfione consequentis, ad euerfionem antecedentis. Addit Theffalus methodicus lib. 2. Dialecticarum institutionum, duos esse reliquos modos firmos & constantes, quorum vnus, inquit, qui idem est tertius, tollit antecedens, vt tollat consequens: quartus retinet consequens, vt antecedens retineatur. At verò illi sunt omnium inconstantissimi. Et si quid habent virium (sicut habent in iis in quibus consequens cum antecedente reciprocatur) id habent non à formula argumentandi, quae debet esse generalis & in omnibus eadem valere: sed ab exempli proprietate quae argumenti est & inuentionis, non argumentationis, aut collocationis. In quo eiusdem Theffali inconstantia, aliorum locorum comparatione à nobis detecta est lib. 2. Dialecticarum Anima euerfionum olim contra eundem editarum. Connexis enunciationibus, quas proprie Hypothesis diximus nominari, addit Cicero in Topicis, Cifunctas & Copulatas. In quibus obseruat alias quinque argumentandi formulas. Aut enim cum aliqua coniuncta negaris & his alia negatio rursus adiungetur, ex illisque primum sumptis, quod relinquuntur tollendum erit, qui tertius modus erit. Aut in eisdem disunctionibus, in quibus plus vno verum esse non possit, priore parte disunctionis affirmata, posterior tollitur: aut priore negata altera affirmabitur, vt, aut hoc, aut illud: hoc autem, non igitur illud. Itemque aut hoc, aut illud: non hoc autem: illud igitur. Quarum duarum conclusionum prior ad quartum modum pertinet, posterior ad quintum. Deinde, inquit, addunt coniunctionum negantiā, sic, Non & hoc est & illud: hoc autem, non igitur illud: hic modus est sextus. Septimus autem, non & hoc & illud: non autem hoc: illud igitur. At hic Alcinoi Copularum enunciationum nullam mentionem facit, sicut neque Boetius lib. 1. ad hyppothetico Syllogismos. Siue quia in ratiocinandi forma à simplici, vel Categorica, illa nihil omnino differt, siue quoniam nonnunquam adiecta negatione, ad disunctam facillè reuocatur, eiusque vim habet, vt in superioribus Ciceronis exemplis facillè notari potest. Ex iis verò quae à nostro authore subiiciuntur de ratiocinatione hyppothetica & mixta, & de vtriusque figuris & modis, ratio intelligi potest, propter quam Aristoteles in prioribus Analyticis, cum generalè ratiocinandi artem traderet, nullam hyppotheticarum enunciationum mentionem fecerit, aut formularum argumentandi quae ad illas pertinebant: quod tamen idem fecit in enunciationibus modo affectis harumque mixtionibus. Nempe quod in illis nullis praecipis nouis opus esse videretur: sed eandem legem subirent cum Categoriis enunciationibus: modo in eisdem partem connexionis vel disunctionis antecedentem, intelligas rationem habere vnius extremi simplicis subiecti, partem verò consequentem, extremi alterius simplicis attributi. Quod in maxima varietate exemplorum per inductionem facillè potest obseruari. Porro quod ab Alcinoi subiicitur differentias earum ratiocinationum quae ex consecutione aliquid euertunt, considerandas esse in eo ipso exemplo, quod ab antecedentibus paulò antè propositum, videtur ad id referendum esse quod Cicero eodem loco scribit, in antecedentibus, consequentibus & repugnantibus locū argumētī, & eiusdem inuentione simplicem esse, tractationem autem multiplicem. Nempe quoniam vnum & idem exemplū, diuersa forma tractatum, valere potest in antecedentibus, consequentibus & repugnantibus. Quemadmodum in septē modis qui ex Cicerone paulò antè sunt enumerati, facillè potest obseruari. 10 In docendo, directa ratiocinatione Plato vti solet: in redarguendo, deductione ad incommodum. Quae duo apud illum temperat Socrates pro varietate personarum cum quibus loquens inducitur. Nam cum amicis id agit vt res

via veritatem doceat, & quoad potest, demonstret. In Sophistis autem & eorum discipulis, opiniones falsas redarguit: veras significat, potius quam doceat. Praesertim in ipsis magistris, quorum arrogantiam omni ratione reprimere conabatur. Nam horum discipulos ubi redarguit, nonnunquam in rectam viam docendo reducit, ut in Menone obseruari potest. Ex quo apud illum tria genera Dialogorum extiterunt: vnum dogmaticum, quod sententiam huius in persona Socratis explicatam continet: alterum ad eos coarguendos qui contra disputant: tertium ex illis duobus mixtum. De quibus vide Fabium ca. 18. lib. 2. Horum vero distinctio diligenter obseruanda est, cum in illis veram Platonis sententiam quarimus. Quamquam enim eius ore Socrates loquatur: non tamē in illis quacunque in Socratis persona dicuntur, verē Socratica, aut Platonica existimari debent. Quoniam plerāque proficiuntur ab ea Ironia quae huic in sermonibus fuit maximē familiaris. Quae etiam varietas spectanda est in Dialogis Ciceronis tam Oratoriis, quam philosophicis. Hic verō litigiosos siue contentiosos vocat eos, quorum omnis disputatio inflammata est studio vincendi quacunque ratione, non docendae veritatis aut inuestigandae: quosque Plato in Euthydemo & Hippia vtrōque, ostendit verborum aucupes esse solere: in grauissimis rebus facillimē decipi: in leuissimis ad vanam ostentationem omnia referre. Quos hoc loco à communibus Sophistis distinguit. Quamquam Aristoteli cap. 1. lib. 1. Top. eadem est Sophistica ratiocinatio cum ea, quae contentiosa, siue litigiosa appellatur. At libro de redargutionibus Sophistarum ab eodem duo haec ita distinguuntur. Ut in certaminibus, inquit, qui quavis ratione victores esse volunt, nihil non mouēt, nihil non aggrediuntur: ita hic in disputatione idem faciunt qui supra modum sunt litigiosi. Atque ex iis quidem qui tantā adhibent contentionem, quicumque sibi victoriam proponunt, illi sunt qui propriē litigiosi & contentionis amatores censentur. Qui verō gloriam, ex qua quæstum faciant, aucupantur, sophistae.

11. Necessaria haec oratori, ad consequendam facultatem docendi atque mouendi. Quae quoniam sine philosophia cognita esse non possunt, Plato concludit in Phedro neminem sine hac, bene dicendi facultatem esse consecutum: eoque Periclem aliis oratoribus superiorem extitisse, quod Anaxagorae physici, auditor fuisset, à quo mouendorum animorum rationem acceperat. Quod etiam apud Ciceronem est, in Bruto & in Oratore. Videtur autem hic penē ad verbum eum locum secutus, quem ita explicat Socrates in Phedro. Postquam dicendi facultas, inquit, quaedam animi tractio & oblectatio est, futurum oratorē necesse est quot species animus habet, cognoscere. Haec verō tot talēsque sunt, vnde tales alij, alij tales efficiuntur. His ita distinctis, sermonum quoque tot talēsque sunt species. Tales igitur animi, talibus sermonibus certa quadam de causa, ad talia quaedam facillē persuadentur: aliter verō affecti, aliquam ob causam minimē. Oportet itaque eum qui haec satis perspexerit, postea in ipsis negotiis animaduersa deprehensa que, posse signare & sensu consequi: alioqui nondum quicquam plus quam verba sibi quōdam à doctoribus tradita habet. At cum sufficienter potest dicere quis, quibus sermonibus capiatur, presentemque hominem acutē persērit eo ingenio prae ditum esse, de quo antea fuerit disputatum, sicque ipsum esse talibus sermonibus, ad talia compellendum: is ita instructus tunc demum perfectē artem hanc erit consecutus, cum ad superiora haec adiunxerit, ut oportunitatem loquendi tacendisque calleat, & vsum abusumve breui loqui, commiserationis, vehementiae acrioris, amplificationis, ceterarumque partium orationis à praecceptoribus traditarum, rectē cognoscat, antē verō nequaquam. Eadem Arist. docet cap.

2. lib. 1. Rhet. Patet, inquit, tria oratori esse capienda, ut scilicet facultatem ratiocinandi habeat, ut mores ac virtutes consideret, tertium ut de affectibus quid vnusquisque sit & quale quid & ex quibus nascitur & quo pacto. Vnde concludit rhetoricam quasi propaginem esse Dialecticam & eius negotij quod circa mores versatur. Ea que occasione monendorum animorum rationem idem explicat toto lib. 2. Rhetor. Sed quorsum haec isto loco de Rhetorica ab Alcinoo notatur? Ut intelligamus prima philosophiae parte contineri, artes omnes quae orationis sunt cum ratione coniunctae, quas logicas appellant: & in iis Dialecticam ex altera parte rhetoricam respondere. Sic enim Cicero ex Platonis scribit Academica 1. Dialecticam artem esse orationis ratione conclusa, cui ex altera parte adhibetur oratoria vis dicendi, explicatrix orationis perpetuae, ad persuadendum accommodata. Probabile verō est in contextu Alcinoi, multa hoc loco desiderari, quae monis de oratore & de rhetorica connexionem cum superioribus continebant.

12. Ex iis intelligi potest, quod antea indicauimus, Alcinoum in hac philosophiae parte potissimum sequi eas distributiones quas ab Arist. accepimus: sed eis accommodare exempla quae in Platone notauerat, aut certē ea nobis accommodanda relinquere. Nam praeterquam quod Categoriarum distinctionem ait à Platone tantum adumbratam in Parmenide (cuius etiam rudimentum aliquod apparet initio Philebi) quam Arist. omnino expressit: haec etiam Sophismatum siue fallacium reprehensionum diuisio, ab Arist. est profecta lib. de redargutionibus sophistarum: cuius exempla tantum ex Platonis Euthydemo, nec sine magna difficultate erui possunt. Diuisionem vero hanc sic Aristoteles exprimit. Reprehensionum, inquit, duo sunt generales modi, vnus in verbis, alter in rebus. Atque ille quidem modus, in quo vis captionis ex verbis oritur, in sex partes distribuitur: quae sunt vocabuli multiplicitas, orationis ambiguitas coniunctio, diuisio, accentus, forma dictionis, aliter vero qui versatur in rebus, postea ab eodem sub diuiditur in genera septem: quorum primum est ex accidente: secundum, ex eo quod simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter, sed cum aliqua adiunctione aut partis, aut loci, aut temporis, aut affectionis ad alterū: tertium est ex ignoratione reprehensionis: quartum ex consequenti: quintum ex eo quod sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in questione positum est: sextū ex eo quod pro causa ponitur quod minime est causa: septimum ex eo quod quae multae interrogationes sunt, pro vna accipiuntur.

13. Haec Platonis laus eo maior est, quo definiendi ratio erat tum obscurior & paucioribus cognita, siquidem hanc ante tempora Socratis maximē rudem extitisse, ex eo intelligi potest, quod apud Platonem quotiescunque Sophistae de natura rei alicuius interrogantur, respondent ut pueri: nec illam ad communionē vllam reuocant, sed exemplis tantum explicant, sicut obseruari potest in Menones itēque in Hippia maiore & minore. Quare Arist. 1. ca. lib. 1. de partibus animalium, scribit physici sero admodum fuisse cognitā causam formalem: quod, ut ait, quid res esset, atque substantiae definitionem ipsam explicare haudquaquam solerent. Sed democritus, inquit, hanc primus tetigit: non quod ad rerum naturalium studium putauerit necessariam, sed quod ab ipsa re traheretur. Socratis verō temporibus vsum definiendi increuit: sed indagatio rerum naturalium desit, omnēque philosophandi studium ad vtilem virtutem civilēque vsum est translatum. Locus idem est cap. 6. lib. 1. & cap. 4. lib. 12. Metap. qui antea vsurpatus est, in questione de nomine dialecticam.

14. Nobilissimus hic locus est de recta nominum impositione & significatione. In quo quamquam nonnulli arbitrentur Aristotelē Platoni omnino contrarium:



utrumque tamen illa ab homine instituta & ipsis rebus imposita esse vult: sed Plato adiicit, in illis imponendis dandam esse operam ut naturae respondeant, eamque quoad fieri potest, representent. Ut quemadmodum in animo notio naturalem habet rei imaginem, per eamque apud omnes eodem modo significat (quod Arist. ait initio lib. de Interpretatione) sic in illis naturalis quaedam sit eius rei quam significant, in ipso sono representatio. Qualis cernitur in singularum nationum communi pronuntiatione: quae idcirco communes patriae mores dicitur indicare, ut in Germanis animositatem, in Gallis simplicitatem. Quare Agrippa cap. 69. lib. 1. de occulta philosophia, docet nominibus & verbis ipsique orationi, vim tantam inesse, ut ea spiritus alluciantur & vinciantur. Deferunt enim secum, inquit, non tantum conceptum, sed & virtutem loquentis, energia quadam transfusam in audientes & suscipientes, tanta sepe potentia, ut non eos tantum immutent, sed alia quaedam corpora & res inanimatas. In quam sententiam multa alia dicuntur à Marfilio Ficino cap. 21. lib. 3. de vita studiosorum. Qua occasione, in hac questione Origenes lib. 5. contra Celsum, laudato Platone, Aristotelem (nescio an satis iuste) ut illi contrarium reprehendit. Nunc, inquit, ita decernimus, nominum ipsorum naturam, non imponentium leges esse, ut Aristoteles putat. Non enim ab hominibus principium habent mortalium linguae: ut illis perspicuum est qui incumbendo, pernoscere naturam venesciorum & Carminum possunt, quae utique pro loquendi varietate & nominum sono, linguarum inuentoribus accomodentur. De quibus nominibus breuiter supra nonnulla perstrinximus (lib. scilicet. 1.) affirmando in aliam linguam nomina ipsa traducta, quae suapte natura & in propria lingua plurimum valeant, nihil ultra eorum efficere, quae suo sono ante effecissent. Iam vero vel in ipsis hominibus aliquid eiusmodi inuenitur. Non enim eum qui ab ipso natali die graecum nomen sit sortitus: si vel in Aegiptiâ, vel in Romanâ, vel in aliâ quamuis nuncupatione nomen id transfulerimus, cogere, ut aliqui patiatur liceret, vel ut ipse alios quoscunque malo afficeret: quemadmodum si suo & nativo nomine, afficeretur. Ex quibus Celsum reprehendit qui nihil arbitrabatur interesse utrum Iouem quis altissimum dixerit, siue Zena, siue Adoneum, siue Sabaorb, siue iuxta Aegiptios, Hammonem, siue ut Scythae, Pappem, unde nata est alia quaestio, an sit homini sermo vllus naturalis quo sua sponte solibusque naturae impetu vtatur, etiam si à nemine omnino insituatur. De quo ut Psameticus Aegiptiorum rex iudicare posset, dicitur ab Herodoto educari iussisse in syluis infantes duos ubi nullam humanam vocem audire possent. Ut quem illi grandiores facti, sermonem ederent: eum & omniū antiquissimum, & naturalem iudicaret. Hos post tres annos à syluis ad regem adductos, Bec, aliquoties prorulisse: quae vox cum lingua Phrygia panem significaret, ex eo illum collegisse, Phrygiorum linguam omnium primam & naturalem esse. Quamquam hoc illis acciderat, quod inter captas essent educati: à quibus hanc vocem acceperant, sicut scribit. D. August. lib. 9. in Genesin ad literam. Hic tamen cap. 11. lib. 16. de Dei Ciuitate, arbitratur ante confusionem linguarum, quae exorta est in extruptione turris Babilonicae, nativam fuisse linguam Hebraicam, nec postea defuisse domum ipsius Heber, in qua illa adhuc seruaretur. Ex quo Hebraicam vult appellatam, ut hoc nomine distingueretur à ceteris, quas confusio Babilonica pepererat. Etiam si idem libro de animae quantitate doceat, omnem rationem loquendi ex auditu esse & imitatione constare. Quod videtur quoque efficere, ut quicumque surdi nati sunt, idem muti sint: sicut Arist. scribit cap. 1. lib. de sensu, & cap. 9. lib. 4. de historia animalium, nempe quod formandae vocis ratio discenda sit, & auditu percipienda. Hoc enim longè probabilius est quam quod ex medicis scribit Ale-

xader probl. 133. lib. 1. neque par idem nervorum esse, cuius pars vna ad linguam, altera ad aures vsque porrigitur: atque ita necesse esse communem affectionem accidere. Non fieri tamen mutos eos qui ex morbo surdeunt, quod pars altera tantum, ea scilicet quae audiendi officio delegata est, suas vires amiserit: & mutos quoque, eadem ex causa non etiam surdos reddi, quod alterius nervi linguae accommodati lesio sola sit. Vide quoque de hac quaestione dicuntur à Lactantio. 11. lib. de Opificio dei. Ad probandum autem nomina & verba natura significare, scitum illud est quod ex P. Nigidio commemorat Gellius cap. 4. lib. 10. noctium Atticarum. Vos, inquit, cum dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipsis verbis, demonstratione utimur & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atque animam porro versum, & ad eos quibus cum sermocinamur, intendimus. At contra, cum dicimus, nos, neque profuso intentoque flatu vocis: neque proiectis labiis pronunciamus, sed & spiritum & labias, quasi intra nosmetipsos, coeremus. Hoc idem fit & in eo quod dicimus, Tu & Ego, Tibi, & Mihi. Nam sicut cum aduimus & abnuimus, motus quidem ille vel capitis, vel oculorum, à natura rei quem significat, non abhorret: ita & in iis quasi gestus quidam oris & spiritus, naturalis est. Eadem ratio in Graecis quoque vocibus quam in nostris animaduertimus, in quo, Galenus lib. 2. de decretis Hipp. & Platonis, Chrysippum reprehendit, quod ex huius vocis, Ego, naturali pronuntiatione, argumento haud dissimili, probare conaretur, animae sedem & principatum in corde existere.

15 Hanc similitudinem ita Plato exprimit in Cratilo. S O C. Radius porro, textorum esse instrumentum. H E R. quid nisi S O C. Textor itaque radio ac pectine recte vtetur: recte, inquam, secundum texendi rationem. Ille vero qui docet, nomine vtetur & recte, recte videlicet secundum docendi propriam rationem. H E R. Certè. Deinde de verbis aliquot interiectis, ostendit eiusdem esse artificij de nominibus, & verbis iudicare, & illis recte uti: ipsique legislatori ad eam rem, dialecticum in consilium esse adhibendum. Quis, inquit, S O C. nominum conditoris operi optime praesidebit & expletum diiudicabit & apud Graecos & apud barbaros? nonne & qui vtetur? H E R. Is certè. S O C. An Nuis est qui interrogare scit? H E R. Iste. S O C. idem quoque respondere. H E R. neque. S O C. Eum vero qui interrogare scit atque respondere, alium vocas quam dialecticum? H E R. Dialecticum profecto. S O C. Fabri ita opus est temone facere gubernatore praecipiente, si bonus futurus est temo. H E R. apparet. S O C. nominum quoque authoris, nomen, momente dialectico viro, si modo recte ponenda sunt nomina. Sic Arist. scribit cap. 7. lib. 3. Politic. de quibusdam rebus non solum eum optime iudicare qui eas fecit, sed etiam qui vtitur. Nam temonem, inquit, melius cognoscit gubernator, quam faber, & dapes, couiua quam coquus. Ad Platonis autem sententiam pertinet quod ex Mose scribit Philo Iudaeus lib. de mundi Opificio. Omnes animates inquit, à deo adducte ad hominem, ut videret quas hic appellationes singulis inderet. Non quod dubitaret (ignotum enim deo nihil) sed sibi conscius quam rationalem in mortali naturam faceret, suapte vi mobilem, ne ipse esset vitij particeps. Itaque periculum faciebat iam noti, tanquam praceptor, insitum ei habitum excitans & ad contemplationem operum suorum prouocans: ut eis ex tempore nomina imponeret, nec impropria, nec inconuenientia, sed discrete rerum proprietates exprimentia. Cum enim rationalis natura, etiam tum, pura maneret in anima, nullo turbante languore, aut morbo, aut affectu, purisque vtetur tam corporum quam rerum imaginationibus, non aberrabat à verò dum eis nomina inderet, appositis significatis applicando: ut ad primum vocabuli sonum, mox natura cuiusque intelligeretur. Quod verò hic adiicitur de Dialectico ut

nominum impositorum iudice: de eo intelligendum est quem Theologum vel Metaphysicum solemus appellare. Idque secundum eā loquendi consuetudinē quā in Platone ex Plotino & Marsilio Ficino antea obseruauimus ca. 3. de qua etiam amplius differetur capite proximo. Locum autem superiorem de comparatione orationis cum instrumento, obiter Arist. reprehendere videtur libro de interpretatione, cum ita scribit, Est omnis oratio significans, inquit, non vt instrumentum, sed quemadmodum dixi, ex instituto.

AGGREDITVR SECVNDAM PHILOSOPHIÆ partem, quæ in veritatis contemplatione consistit. Cuius cum tres aliæ particulae sint, eam primo loco ex Platone describit, quæ artes Mathematicas continet.

C A P. 6.

1 Deinceps autem de ea parte agamus quæ ad contemplationem pertinet. 2 In qua quiddam est Theologicum, aliud Physicum, aliud Mathematicum. 3 Theologici finis est, cognitio primarum causarum, & earum quæ sunt supremae ac principes. 4 Physici, discere quæ vniuersi natura sit, & quale quid animal, homo: quem locum in Vniuerso habeat: 5 Num deus omnibus provideat, an etiā huic Dī quidam alij sint subiecti: aut quo modo homines ad deos affecti. Mathematici verò finis est, planam & in tres dimēiones porrectam naturam cognoscere, & rationes quo modo se habeant exquirere. Mathematici autem studij speculatio summam subiciatur. Hæc à Platone assumpta est ad cogitationis discurrētis aciem, qua animus acuitur, & ad contemplationem eorum quæ sunt, accuratam subtilitatem præbet. 6 Cuius pars ea quæ circa numeros versatur, non vulgarem facilitatem parit ad ascensum ad id quod est: sed propemodum liberat errore & ignorātia quæ circa hæc sensilia versantur & adiumentum affert ad essentiæ cognitionem. Atque ad bella gerenda promptum reddit, per eam peritiā quæ

ad instruendam aciem est necessaria. Quod autē Geometriæ est, idem ad ipsius boni cognitionem accommodatissimum. Cum quis non actionis causa hanc persequitur, sed vt ad id quod est, semper ascendat: non vt in iis quæ oriuntur, & intereunt, versetur. Vtilissima etiam est ad actionem & effectionem, si quis eius principia ad hæc accommodare velit. Post accretionem secundam consequens eius contemplatio, quod tertiam suscipit. Vtilis præterea vt quarta quædam disciplina, Astronomia est: per quam in celo, huius astrorumque motus contemplantur, & diei ac noctis opificem, mēsum itē & annorum. Ex quibus secundum familiarem viam, vniuersorum opificem inquiremus: ab iis disciplinis itāquam ab aliquo fundamento, quasi quæ ab elemētis ascendentes. Musica quoque rationem habebimus, ad ea ipsa auditum adhibentes. Vt enim ad Astronomiam oculi dati sunt, sic auditus ad concentum. Vtque in Astronomiam incumbētes, ab iis quæ oculis percipiuntur, ad inaspectabilem & intelligibilem essentiam deducimur: sic concinnā vocem audientes, ad ea quæ intellectu percipiuntur, per hæc ipsa quæ in sensum aurium cadunt, ascendimus. Vt nisi hoc animo istas disciplinas persequamur, in iis vanum nostrū studium, & inutilis labor sit futurus. Oportet enim acutē ab iis quæ videntur & audiuntur, ad illa progredi quæ intelligentia cernuntur. Si quidem harum disciplinarum speculatio, ad contemplationem eorum quæ sunt, præludium quoddam est. Geometria quippe & Arithmetica, & qui eas colunt, ad eius quod est cognitionem viam affectant: sed circa id somniantibus sunt similes, nec in eo reuera quicquam consequi possunt. Quoniam ignorant ipsa principia, & quæ ex iis or-

ta sunt. Maximum tamen ad id quod dictum est, adiumentum afferunt. Ideoque nec eiusmodi disciplinas Plato scientias esse dixit. ⁷ Dialectica quidem Methodus, ita comparata est, ut per Geometricas Hypotheses, ad prima potissimaque principia, quae ex Hypothesi non sumuntur, assurgat: eoque dialecticam scientiam appellauit. Mathematica uero neque opinione contineri uoluit, quod illa clariora sint iis rebus quae in sensum cadunt: neque uero scientia, quia obscuriora sunt primis intelligibilibus. Sed opinionem corporum esse dicit: scientiam primorum: cogitationis discursum, eorum quae mathematicis sunt subiecta. Ponit autem fidem & imaginationem: illam quidem sensilium, hanc uero imaginum & uisorum. Quoniam uero Dialectica disciplinarum omnium potentissima est, quod circa diuina constantiaque uersetur: idcirco illa mathematicis superior statuitur, uelut lorica & reliquarum custodia.

Ia. Carpentarij Commentarius in Cap. 6.

¹ Si in Alcino nostro satis esset autoritatis contra Thessali Methodici in omnem antiquitatem furentis, incredibilem impudentiam, locus hic per se sufficeret ad defendendam nostram sententiam in quaestione de fine & usu artium Mathematicarum. In qua ab illo, praemio Mathematico, sic quodam sumus exagitati uel propter hanc maxime in regia professione iniquissime vexaremur. Quae hoc ipso nomine, indigni dicebamus: & procul dubio explosi fuisset, si tantum hic potuisset quantum uelle se, magna animi impotentia apud omnes profitebatur. Pro quo ex illo tempore idem nobis satis dedit pœnarum: modo in iis exercitatus, tandem aliquando ad meliorem mentem redeundo, nostrae Academiae & uniuersae rei literariae possit satisfacere. Sed quid eum Alcinoi autoritate commoueat cui in eadem quaestione Pythagoras, Plato, Aristoteles omnino uilescunt? De qua quanquam contra eundem abunde à nobis disputatum sit cap. 1. nostrarum praelectionum in Spheram, ea tamen diligenter obseruanda sunt quae de quatuor artium Mathematicarum potissimo nobilissimoque usu, hoc loco dicuntur & cum Platonis, ex quorum fontibus deriuantur sedulo conferenda: ut à germanis philosophis intelligatur (hos enim, non istos nugiuendulos, iudices exopto) id in quo ab illo exagitabamur & propter quod olim regia professione prohibebamur, Pythagoreorum omnium ueterumque Academicorum & Peri-

pateticorum summo consensu esse probatum. Dixeram in artibus Mathematicis non esse quarendum externum finem in dirigendis mechanicis, sed earum dignitatem ingenua contemplatione contineri: quae se ipsa terminatur aut si ad aliud referenda sit, ad mechanica minime se abiciat, sed potius erigat ad contemplationem eius quod est, in qua summa est futuri philosophi perfectio. Ad hanc uero mathematica hoc ipso animum erigere: quod hunc exercent in abstractionibus: in quibus consistit praeludium quoddam ad philosophicam solutionem animi à corpore, per quam hic fruuntur primorum intelligibilium aspectu. Quam ego scio ueram esse sententiam Platoniorum omnium & facile animaduerto eandem Alcinoi toto hoc capite in singulis artibus mathematicis apertissime esse sequutum. Mathematici studij speculatio, inquit, à Platone assumpta est ad cogitationis discurrantis aciem, quae animus acuitur & ad contemplationem eorum quae sunt, accuratam subtilitatem praebet. Atque hoc quidem de uniuerso studio mathematico. De singulis autem eius partibus uideamus quid sequatur. Pars ea, inquit, quae circa numeros uersatur, non uulgarem facilitatem praebet ad ascensum ad id quod est: sed propemodum liberat errore & ignorantia quae circa haec sensilia uersantur, & adiuuamentum affert ad essentiae cognitionem. Atque hoc quidem de Arithmetica. De Geometria idem paulo post. Quod autem Geometriae est, inquit, idem ad ipsius boni cognitionem accommodatissimum: cum quis non actionis causa hanc persequitur, sed ut ad id quod est, semper ascendat. Non ut in iis quae oriuntur & intereunt, semper uersetur. Sequitur idem de Astronomia & Musica. Ut in Astronomiam incumbentes, inquit, ab iis quae oculis percipiuntur ad inaspectabilem & intelligibilem essentiam deducimur: sic concinnam uocem audientes ad ea quae intellectu percipiuntur per haec ipsa quae in sensum aurium cadunt, ascendimus. Audiamus uero eiusdem conclusionem. Nisi hoc animo, inquit, istas disciplinas persequimur, in iis uanum nostrum studium & inutiles laboris futurus. Oportet enim acute ab iis quae uidentur & audiuntur, ad illa progredi quae intelligentia cernuntur. Si quidem harum disciplinarum speculatio ad contemplationem, eorum quae sunt, praeludium quoddam est. An non haec nostram de mathematicorum sine sententiam aperte confirmant Thessalique uanitatem detegunt in eisdem ad mechanica referendis? Atque eadem omnia uene ad uerbum ab Alcinoo descripta sunt ex Platone lib. 7. de rep. In quibus sequendis artes mathematicas Thessalo uidemur irridere: ipse uero, scilicet ualde eandem nobilitat, cum ad mechanica accommodat, in quibus illae opere faciendo contaminantur atque sedantur. At idem Plato, sicut & Alcinoi hoc capite, non nihil indulgens aliquando nostrae imbecillitati: quoniam, ut idem ait in Timaeo, non omnes participes sumus eius mentis, quae ad diuinorum contemplationem per mathematicas abstractiones potest erigi, mathematica refert ad popularem aliquem usum & ad dirigenda mechanica: non in iis earum dignitatem, quae sine continetur, inquirens, sed parti morbose suorum ciuium se accommodans, quae sine hoc artes mathematicas uidebatur omnino repudiatura. Sic enim Romani, ut Cicero ait prima Tusculana, earum uilitate eiusmodi quaestura terminauerunt modum. Itaque ille quotiescunque in schola philosophica, idoneis auditoribus artes illas commendat, uincam in eisdem celebrat exercitationem in abstrahendo per quam mens excitatur ad diuina. At in populari concione & apud rudes, efficere conatur ex illis posse aliquid colligi quod ad uitae usum commodissime transferatur. Quale est quod de promptitudine ad bella gerenda peritiaque ad instruendam aciem ex eodem Platone hoc loco Alcinoi commemorat. Quare si Thessalo animus sua impuritate estuat adhuc in sensilibus, nec potest supra haec se co-



gitatione erigere, sicut ex eo colligo quod scribit in proæmio mathematico, cæcâ Platonis ambitione in inducenda abstractione, artes mathematicas perdidisse, quodque idē dicere audeat (quid enim est quod non audeat istius hominis os impudens?) celeberrimam Pythagoreorū, imo verò philosophorū omnium, ἀφαιρέσειν, phantasticam esse & sophisticam, nescio cuius fabulæ umbram (pro qua contra hunc à nobis disputatum est cap. 4. nostrarum prælectionum in Spheram) si, inquam, tanta est in hoc cogitationis impuritas, ut propter hanc, in religione inter suos ne infimo quidē ministerio dignus, nuper sic habitus: hoc illi quidem non inuiti concedamus, ut ad mechanica, quibus dignissimus est, suis mathematicis abutatur (nec enim in eo magnam iacturā res literaria patietur) dum modo tamen cōtra eiusdem impudentiā, fartam rectam retineamus eam in illis dignitatem, quæ omnium veterū philosophorum probata cōsensu. De quo postulo attentē considerari quæ à nobis collecta sunt duobus illis capitibus. 1. & 4. nostrarū prælectionū in Spheram. Quoniam nō placet rē eandē pluribus locis repetere.

2 Alcinoi mathematica docendi ordine physicis anteponit, credo quod Platoniorum imitatione, physica cum metaphysicis & Thologicis vellet coniungere: ad quæ ipsa mathematica viam parant. Quanquam hoc non sine dubitatione est. Nam cum in tribus formarum differentiis, ad quas refertur contemplatio veritatis, mathematicæ mediæ sint inter physicas & metaphysicas (sicut ex Arist. colligi potest lib. 2. phys.) artes quoque, quæ ad has pertinent, medio loco videbantur explicandæ: ut scilicet physiologia contempleret formas, quæ cum materia communicant: mathematicæ artes eas, quæ et si reuera cum materia coniunctæ sint, ab hac tamen cogitatione abstrahuntur: metaphysica, alias quæ omnino materiæ sunt expertes, in quas tãquam in finem philosophica contemplatio definit. At duabus aliis de causis iisque ad nostrum captum accommodatis, in mathematicis primus gradus contemplationis philosophicæ positus esse videtur. Priore quidem, quod hæc etiam si abstrahant à materia in sensum cadente, in iis tamen formis versentur, quarum ratio magna ex parte minus fortasse recondita quam naturalium. Quis enim non facilius cognoscit triânguli, vel quadrati formam, quã in homine vel animali eam quæ interior primaque perfectio, & causa essentia, vel potius ipsa essentia? Posteriore verò, quod circa mathematica animus, ut paulò antè dictum est, perpetuò exercetur in abstractionibus: sine quibus ne in physicis quidem generalibus sermonibus versari potest. Quoniam & in iis generum formarumque rationes à rebus singulis cogitatione nostra quodammodo abstrahuntur. Quod etiam amplius capite proximo intelligitur in materia prima: cum huius ratio ab omnibus formis erit abstrahenda. Neque verò negligendum illud est, quod propter singularem mathematicorum diligentiam in ordinis obseruatione, artes hæc omnium maximè accommodatæ, iudicatæ sunt à Platoniciis, ad excitandam vitæ superioris recordationem: in qua iidem omnem discendi laborem suum esse voluerunt. Sicut obseruari potest in eo puero qui de dimensione quadrati à Socrate interrogatur in Menone. Itaque ut hæc pars per quandam excellentiam *υπερβολικῆς*, id est, disciplina est appellata, sic meritò reliquis omnibus superioribus philosophiæ partibus præposita: quasi futuri philosophi vniuersam pædiam in se complexa. Ad hanc rem vide quod Aristoteles scribit libro 12. Metaphysicorum, itemque Proclus cap. 15. Commentarij in Euclidem: & quod à nobis copiosius disputatum est contra Thesalum cap. 3. prælectionum nostrarum in Spheram.

3 Primas causas supremasque ac omnino principes, eas intelligere oportet, quæ in vniuerso entis genere, non tantum in aliqua huius parte, supremæ sunt. Sin-

gulæ enim scientiæ, quæ particulares nominantur, demonstrant per causas in suo genere primas: sola vero metaphysica siue Theologia per causas omnino primas. Hæc verò sunt apud Platonicos, in genere quidem subiecti materia prima: in exemplaribus, idea: in efficientibus vero Deus. Theologia enim duce, animus diuinæ pulchritudinis amator, ut Plato ait in Symposio, quando repurgatus, diuinas rationes attingit, tunc non ampliùs simulachra rerum, sed res ipsas in se cōcipit: conceptas fouet, atque ita cum Deo familiariter versatur: aut quod de Minoe & Numa fabulata est antiquitas, Dei colloquio fruitur. Idem in Phædro, ait diuinorum contemplatorem à reliquis segregari, profus purgari, Deo adherere, eo impleri. Et 7. de Rep. hunc certis gradibus ad principium vniuersi ascendere, ipsum tangere atque tenere, adherentem semper his, quæ adherent principio. Quippe cum nullis sensibilibus rerum corporeis gradibus ad id contendat: sed ipsis formis, per ipsas, ad ipsas potius inuitatur: quousque ad speciem, finemque vniuersi perueniat. Quem locum sic explicat Marsilius Ficinus ca. 3. lib. 12. Theologiæ Platonice. Theologus tum agendo, tum disputando, inquit, purgat à corporeis affectibus animam: segregat rationem à fallacibus rerum sensibilibus coniecturis: inuitat mentem, ut ad veritatem huiusmodi gradibus se conferat, speciebus, id est in suis ab origine formulis: per species, id est per formationem quæ nobis prouenit ab ideis: ad species, id est ad ipsas ideas & rerum naturalium species considerandas. Quas species idem ait adherere Deo vniuersi principio. Quoniam fons est idearum, Theologi verò mentem illis adherere, id est illis se informandam insinuare. Per quam insinuationem dicitur Deum tangere, id est diuina mente informari. Adiunxit & tenere Deum, duabus ut puto, de causis. Tum, quia vbi mens semel ita capit, forte nunquam talis vitæ statum intermittit: tum quia postquam mente diuina multis ex partibus iam mens nostra formata est, diutius contemplando, incipit vsque adeo, supra hominem sapere, ut se per Deum, & Deum, & in Deo contemplari nō ignoret. Sed quoniam, ut idem Marsilius docet in Apologiam Platonis, non omnium ad cælestia aspirantium eadē fuit de Deo, huiusque prouidentia & cultu sententia apud veteres, Theologi in tres sectas sunt diuisi. Alij Dæmonibus solis sacrificabant, metuentes fortasse ne hominum vota ad cælestes Deos non peruenirent: alij cælestia corpora colebāt, existimantes illa non viuere solum atque intelligere, sed etiam radiis suis circūspicere cuncta atque audire: veruntamen animorum in iis corporibus viuētium vota ad superiores Deos, qui nullum cum corporibus commercium habent, peruenire non posse: Alij denique hos ipsos Deos imprimis venerabantur, iudicantes à summis rerum causis effectus omnes, etiam humanos, tam cognitione quã virtute perfectissimè contineri.

4 Hoc rerum naturalium studium Plato 7. de Rep. tum demum probat in suis ciuibus, cum ad cælestia refertur: & eo animus ipse in aliquam Dei cognitionem erigitur. Quare testatur Socrates in Phædone, se ea mente aliquando cupidè arripuisse libros Anaxagoræ Physici. Cum audissem, inquit, ex libro, ut ille aiebat, Anaxagoræ legentem quendam hanc ipsius Anaxagoræ sententiam, videlicet mentem omnia exornare, omniumque causam esse: hoc utique causæ genere magno opere sum oblectatus: existimans quodammodo consentaneum mentem esse omnium causam, putabamque si id ita esset, ut mens omnia exornaret, singula per hanc vitam ita esse disposita, ut optimè disponi potuerant. Propterea si quis vellet causam inuenire qua singula fiant & pereant, aut sint, hoc ipsum esse inueniendum: qua videlicet ratione optimum sit vnicuique aut esse, aut quoduis aliud agere, vel pati. Atque hoc pacto nihil aliud considerandum homini vel de



se ipso, vel de aliis, nisi quod potissimum sit & optimum. Necesse verò est eum qui id nouit, illud quoque quod deterius est, cognouisse. Quippe cum eadem horum scientia sit. Hæc utique ipse mecum reputans gaudebam, inuenisse ratus Anaxagoram magistrum qui me, id quod tâtopere expetebam, causas rerum doceret. Hac igitur mirabili spe ductus cum legere pergo, video hominem mente nullo modo vtentem, nec causam vllam ad ipsum rerum ornatum referentem, sed Aereas naturas & Aetheras aquasque, & talia multa incredibilia pro rerum causis assignantem. Quo errore in Anaxagora notato à Socrate, admonitus Plato, viderur in explicanda naturâ vniuersitate in Timæo, Pythagoram potius quàm Democritum, aut quàm hunc ipsum Anaxagoram, secutus: quòd ille in mathematicis exercitatum, animum à naturalibus ad diuina erigeret, hi in materia absoluta necessitate (quâ Arist. exagitat cap. 9. lib. 2. phys. & cap. 1. lib. 1. de partibus Animalium) omnia ponentes, vanis quæstionibus à diuinis auerterent, potius quàm ad illa inuiterent. Hic verò Alcinoi viderur breuiter indicasse, quod illo Dialogo pluribus à Plat. explicatur. Si quidem in eo statim initio, de Rep. quædam præfatus, institutum de vniuersitate sermonem in partes tres distribuit: quarum prima agit de mundo, qui sola intelligètia percipitur: secunda, de hoc, quem incolimus, tertia de homine: vt intelligatur quem locum in vniuersitate obrineat, quoque modo minor quidam mundus esse dicatur.

5. Locum hunc de diuina prouidentia eiusque gradibus sic explicat Iamblichus lib. de mysteriis Aegyptiorum. Deorum prouidentia vniuersalis est, inquit, Demonum verò particularis. Deus primus dat omnibus omnia: dij sequentes omnibus aliqua largiuntur. Dæmones atque animæ aliquibus solum & aliqua tantum. Et amplius eodem libro, Quando dij, inquit, varias mundi partes, vrbes, ædes, statuas propriè sortiri dicuntur, intellige essentiam potentiamque illorum vbiq; in se vigentem, hoc aut illud potissimum illustrare, atque sicut lumen in se manens, sine mixtione diuisionisque sui, diuersa passim illuminat: ita dij. Sicut lumen solis idem totum cõtinuum est vbiq; neque potest in partes diuidi, neque alicubi claudi, neque à fonte proprio separari, neque miscetur aëri, licet adsit, qui ppe cum nihil relinquit luminis, calore tamen à calefaciente relicto: ita cuiusque Dei lumen totum indiuiduè toti mundo penitus adest, licet parti cuiusdam præcipuè vim suam maximè sibi accommodatè concedat. Interea tamen quodam modo implet omnia, ob potètiã perfectam & excessum causalè prorsus immensum. Plato in Timæo, scribit animalium mortalium procreationem à Deo patre, filiis esse demandatam: ne hæc ab eodem procreata, essent quoque futura immortalia. Quæ sententia postea exactius tractabitur cap. 14. lib. huius. Et quanquam in hac quæstione Aristoteles à nonnullis contumeliosè, dicitur nominetur, opinionem tamen haud dissimilem secutus videtur libro de mundo ad Alexandrum. Cum diuinum numen, inquit, natura sua ita sit comparatum, vt quoquo versus permeet: nimirum ea in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus Deoque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari vt dicamus potestatem illam in celo sedes suas habentem, incolumitaris causam rebus vniuersis præstare, iis quoque quæ longius ab ea remota sunt. Nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem, & ventitantem ad ea quoque quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum, suæ illius opera efficere contendunt, resque terrenas administrare. Coniunctum illud quoque est, quod idem scribit lib. 12. Metaphys. de intelligentiis perpetuis, immobilibus & magnitudinis expertibus,

quæ celestibus orbibus præfecta, hos mouent & regunt: sed ita tamen vt vnus Dei imperio & numine teneantur. Quia, vt eodem libro concludit, Rerum natura malè administrari nõ vult: nec multorum principatus est utilis: Ideo vnus principè esse oportet. Sed de hac quæstione postea accuratiùs cap. 9. vbi de Deo diuinâque prouidentia Platonis & Arist. sententiæ inter se conferentur.

6. Pythagorei, vt scribit Proclus cap. 12. lib. 1. in Euclidem, artes mathematicas subiectis ita distinxerunt, vt de iis duas Geometriam & Astrologiam, in quantitate coniuncta versari dixerint: illam quidem in hac vt quiescit, alteram in eadè vt mouetur: reliquas verò Arithmetica & Musica in numero vt quantitate disijuncta, sed ratione dissimili. Quoniam in Arithmetica numeri ratio absoluta est in Musica, eadè refertur ad aurium suauitatem. Ex quo intelligi potest Geometriam & Arithmetica magis propriè quam Astrologiam & Musica in mathematicis haberi. Quia illa à motu & sensu magis abstrahunt. Quod maximè proprium est Mathematicorum, sicut etiam Aristoteles scribit lib. 1. Analy. Post. Atque ipsa Geometria primo contemplatur figuras in planis, quorum duæ dimensiones tantum sunt, vna longitudinis, altera latitudinis. Quibus cum adiecta est crassitudo corpus existit ternarioque numero dimensionum tanquam perfectissimo absoluitur: quod idem Arist. scribit cap. 1. lib. 1. de Cælo. Cum autem etiam in solidis mathematicus versari possit (cur enim non licebit dimensionum in iis sicut & in planis, figuras, harumque differentias cogitatione à sensu abstrahere?) quæstio hoc loco existit ad quam artem mathematicarum partem, eorum contemplatio debeat referri. Proclus cap. 13. lib. eiusdem, Geometriæ partem facit Stereometriam, cuius propria sit hæc solidorum contemplatio, de qua loquimur. Eadem erit Alcinoi sententia, si eam lectionem retinemus, quam hoc loco sumus secuti, & Geometriæ quoque subiici intelligimus vt partè quandam, contemplationem eius quod secundum tertiam dimensionem incrementum capit. Sed fortasse potius hoc de Stereometria à Geometria separata, est intelligendum. Quoniam proximè in artibus Mathematicis Astronomiam quartam numerat. Quarta verò videri non potest si duæ tantum antea, Arithmetica & Geometria, sint numeratae. Et certè id ita explicat Marsilius Ficinus, in epistola quadam de Platonicis philosophi natura, lib. 4. Epistolarum. Qui locus vt sine errore intelligatur attentè considerare oportet, quæ pluribus dicuntur 7. de Rep. ex quo hæc sunt descripta. In eo primam Arithmetica, secundam Geometriam sicut & in Timæo statuit, duplicemque vtriusque vtilitatè facit: vnã in vita vsu, alteram in excitanda & dirigenda contemplatione ad prima diuinâque. Deinde de Astronomia ita quærit. An tertio loco ponemus Astronomiam? Quid censet? Ponendam equidem. Nam mutationes opportunitatè que temporum præsentire, non minus rei militari quam agriculturæ nauigationique conuenit. Deinde verbis aliquot interiectis sententiã mutat, & Astronomiæ hæc solidorum contemplationem anteponit: quam cõqueritur tum non satis fuisse cognitã. Age, inquit, retrogredere: nam nunc haud rectè quod Geometriæ succedit, accepimus. Quare? Quia post planum, solidum illud quod circumfertur, accepimus, antequam ipsum secundum se ipsum comprehenderemus. Decet autem statim post augmentum secundum, tertium capere: est autem hoc circa cuborum augmentum, atque id quòd profunditatis est particeps. Est certè. Sed hæc à Socrate nondum reperta videntur. Huius duæ sunt causæ, quia videlicet nulla in ciuitate hæc honorantur: & cum inuentu difficilia sint, haud ardentè quaruntur, & qui ista perquirunt, duce indigent, sine quo minimè reperient. Quem esse primo difficilè est: deinde etiam si sit, dum tamen ita se habent vt nunc qui hæc



indaget, fastu elati nequaquam parerent. Sin autem ciuitas tota huic operi præsideat, honorificè hæc ducens, & isti obtemperabunt quidem, & hæc sedulo studioque discussa, clariùs emicabunt. Quippe etiam nunc, quanquam & vulgus hæc contemnit & prohibet, & qui hæc perferuntur, qua ratione vilia sint, ignorant, tamen vi gratia cuiusdã valent. Neque mirum si hæc ita apparuerint. Nempe quod gratum est, id præcipuum. Sed mihi quæ nũc dicebas explana. Studium quod circa planum versatur, Geometriam vocabas. Equidem. post Geometriam continuo Astronomiam ponebas: sed paulò post retro retulisti pedem. Enimvero quò magis propero, eò peruenio serior. Nam cum mox illi succederet facultas illa quæ de augmento in profundum agit, quia ridicula eius habetur inuestigatio, eam transgressus, post Geometriam Astrologiam protinus attigi: quæ in profundi agitatione consistit. Probè loqueris. Ergo quarto loco ponamus Astronomiam, tanquam ad sit ea facultas quæ nunc fuerat prætermisã, si modo in ciuitate suscipiatur. Tandem de comparatione Astronomiæ cum Musica alium locum subiicit ex Pythagoreis, qui Alcinoi verba valdè illustrat. Quemadmodum, inquit, ad Astronomiam oculi, sic ad harmonicum motum aures videntur fabricata. Vnde & has inuicem esse germanas scientias & Pythagorei putant, & nos Glauco assentimur. Pertinet etiam ad hunc locum quod Plato scribit in Hippia maiore, ex quinque sensibus duos esse, aspectum scilicet & auditum, quibus ad ipsius pulchri cognitionem præparemur: reliquos impuriore esse, & minus pertinentes ad naturæ humanæ propriam excellentiam.

7 Antea, capite tertio, obseruauimus quo modo in artificio differendi Aristoteles & Stoici Dialecticæ nomen soleant vsurpare. Nunc verò Platonica loquendi consuetudine, quæ eodem loco notata est, ipsa Metaphysica primâque sapientia, Dialectica nominatur: atque idcirco concluditur hæc scientiarum omnium esse potentissimam, quòd circa diuina constantia que versetur: eandemque Mathematicis superiorem velut lorica, & reliquarum custodiam. Sic enim etiam Aristoteles Metaphysicam Architectonicam appellat, quòd prima omnino fidei fundamenta ex hac repetenda sint: adeo vt in singulis scientiis nulla fides sit absoluta, nisi ad prima omnino illius axiomata omnia sint reuocata: quod in encyclopedia scientiarum idem Aristoteles nos docuit lib. 1. Analyt. Post. Sicque de Dialectica hoc loco dictum est, eam per Geometricas hypotheses, ad prima potentissimâque principia, quæ ex hypothesi non sumuntur, assurgere. Atque hæc quidem Dialecticæ Platonica & Arist. Metaphysicæ autoritas ac principatus, in regno fidei spectandus est ex legibus demonstrandi, & ex ordine quem secundum has, omnes scientiæ inter se obtinent. Aliter verò doctrinam politicam reliquarum principem ac dominam Aristoteles vocat cap. 2. lib. 1. Ethic. quod ab illa pèdet inter ciues omnium artium & scientiarum æstimatio. Nempe quoniam harum vnaquæque in ciuitate tantum obtinet prætij, quantum ab ipsa ciuili disciplina conceditur: pro cuius scilicet arbitrio quadam in nouo honore sunt, alia de antiquæ dignitatis gradu deiiciuntur. Est verò locus hic penè ad verbum desumptus ex 7. de Rep. In quo cognitionis nostræ (sicut antea significatum est) tres differentias constituit, vnam supremam in scientia, alteram in cogitationis discursu, tertiam in opinione. In quibus pro varietate obiectorum distinguendis sic eiusdem sententiam interpretatur Proclus cap. 1. lib. 1. in Euclidem. Quapropter Plato, vt arbitror, inquit, eorum quæ sunt cognitiones primis, mediis & postremis substantiis diuidebat: & impartilibus quidem intellectualem tribuebat, quæ collectim & simplici quadam via diuidit quæ mente percipiuntur: & cum sine materia sit, & summa quadam puritate prædita, & quadam vnus formæ

formæ ratione se contineat, resque ipsas apprehendar, cæteris cognitionibus excellit: Partibilibus autem postremamque naturam sortitis & sensilibus omnibus, opinionem, quæ obscuram veritatem nacta est: mediis verò (cuiusmodi sanè Mathematicæ formæ sunt) & impartibili natura inferioribus, partibilique superioribus, cogitationem. Hæc enim mente quidem supremâ que scientia inferior est: opinione autè perfectior & magis certa atque pura. Nam progreditur quidem mentisque impartibilitatem explicat, & intelligentis apprehensionis quod conuolutum erat, euoluit: colligit autem rursus quæ diuisa sunt ad mentemque refert. In quibus Proclus inter tres differentias formarum philosophicæ contemplationi propositarum, eum ordinem exprimit, quem ex Arist. lib. 2. physic. paulò antè indicauimus. Sed Platonem eo ipso loco, (nempe 7. de Rep.) ex quo hæc descripta sunt, audiamus. Opinione postquam statuit infimo gradu cognitionis nostræ ad hæcque retulit fidem & imaginationem, sicut ad intelligentiam, ipsam scientiam & cogitationem: & opinionem quidem circa generationem, intelligentiam verò circa essentiam versari dixit: his positis de Dialectico hæc subiicit. An non Dialecticum vocas eum, qui rationem cuiuslibet capit essentia? Illum verò qui hanc rationem nõ habet, quatenus nec sibi, nec alteri potest reddere rationem, eatenus intelligentiam circa hoc habere negabis? Certè non aliter est dicendum. De bono etiam similiter iudicandum. Nam quicumque boni ideam ratione definire non potest, à cæteris omnibus eam distinguens, & tanquã in prælio per omnia penetrando, cætera cuncta reiicere, non secundum opinionem, sed secundum substantiam arguens & refellens, per que hæc omnia stabili & inconcussa progredi ratione, hunc ita affectum, neque bonum ipsum dices cognoscere, neque aliud quicquam bonum: Verum si quòd fortè simulachrum attingerit, opinione potius quam scientia illud attingere: atque ita in vita infomniis dormitantem illudi, & antequam expergiscatur, ad inferos descendentem extremo tandem occupari sopore. Per Iouem omnia hæc prorsus asseuerabo. Cæterum liberos tuos quos nunc oratione instruis, si quando re ipsa erudires, vt arbitror, non permitteres maximarum rerum in ciuitate potestatem habere, dum linearum instar, non possent cuiusque rationem reddere. Non certè. Legem itaque ferēs qua iubeamur eam potissimum disciplinam capeßere, ex qua ad interrogandum & respondendum, vt scientem deceat, aptissimi sint. Tecum vna istud præposita, nec vlla doctrina vltius, ac eminentior reperiri: sed hic iam doctrinarum omnium esse finis? Mihi quidem videtur. Reliqua parte Dialogi eiusdem, hæc primam sapientiam, quam Dialecticam nominat, tãti facit vt eam primum nolit attingi, nisi ab iis quibus à natura, suppeditata sunt abundè ea ornamenta, quæ in futuro philosopho necessaria descripsimus cap. 1. libri huius. Deinde negat quenquam huius auditorem idoneum fore antè annum ætatis tricesimum. Illa verò quæ ad Arithmetica & Geometriam pertinent, quæ Dialecticam antecedere debent, pueris tradenda esse velit: ab iisque eum docendi modum accipiendum, quo minimè coacti ad discendum esse videantur. Quorum omnium rationem ita concludit. Non te latet, inquit, quod cum primum adolescentuli disputationis artificium gustant, eo protinus quasi ludo quodam ad refellendum vtuntur, eosque qui consultant alios, studiose sectantes, & ipsi quoque alios redarguunt, ac distrahendis lacerandisque proximis, Catulorum more assidue delectantur. Mirum in modum. Cum verò plures conuicerint, & à pluribus ipsi conuicti fuerint, eò confestim deueniunt, vt ex pristinis opinionibus ratam nullam habeant. Atque ex his & ipsi, & omnis philosophia apud alios calumniã



reportarunt. Vera refers. At vir natu grandior ab hac insania diligentius declinabit, ac hominem inuestigandæ veritatis gratia differenter imitabitur potius quam eum, qui iocandi causa versutis captiunculisque iucubit. Quin & ipse modestius sese geret, & disputandi studium ex infami reddet illustrius. Addit eodem loco, si quis in hac Dialecticam seridè ita iucumbat vt nihil agat aliud, nisi quod vicissim quandòque gymnasiis corpus exercent, ad huius perceptionem viros moderatos & graues esse adhibendos. Deinde ab anno ætatis tricesimo quinto ad quinquagesimum, philosophos, ad antrum illud deducendos in quo cogantur principatus eos assumere qui ad bellum spectant, & si qui sunt iuuenum principatus: ne vsu rerum ab aliis superentur. Quum verò ad quinquagesimum peruenierint, inquit, quicumque integri inter eos rebûsque gestis & scientiis præcællentes apparent, ad finem iam perducendi sunt, cogendique vt animi radium ad supera dirigentes, ipsum quod omnibus lumen præbet suspiciant: quumque ipsum bonum nouerint, exemplo illius fratri ciuitatem, priuatos, seque ipsos per omnem sequentem vitam & singula vicissim exornent. Ac plurimum quidem in philosophia versentur: cum verò ad magistratus accersentur, in ciuilibus negotiis inuigilent sigillatimque gubernent, Reipub. gratia, ita vt non tanquam bonum aliquid & optandum ministerium, sed necessarium potius exequi videantur. Atque cum ita alios similiter ipsi instruxerint, eos vicissim reipublicæ custodes relinquunt, ipsi verò in beatorum insulas transmittentur. Monumenta verò illis & sacra, tanquam dæmonibus, si Pythias oraculo confirmauerit, publicè dabuntur: sin minus, saltem vt beatis atque diuinis. Hæc Plato de sua Dialectica. Quæ paulò pluribus commemorare placuit, quòd in illis huius philosophi mixima diuinitas appareat. Illa verò omnia, sicut & ea quæ ab Aristotele de Metaphysica dici solent, cum passim Thesalus Methodicus de artificio differendi interpretatur, ancilla fruitur loco domina: & cõmuni ministræ ineptè attribuit, quæ ad eam tantum scientiam pertinent, quæ in reliquis summum principatum obtinet. Cuius errore Logodædalus quoque in huius loci interpretatione deceptus est, sicut in sequentibus obseruabimus.

DE TRIBVS VNIVERSÆ NATVRÆ
principiis materia primo loco explicatur, ex Platonis
Timæo: variâque similitudine ostenditur quo
modo ea se habeat ad omnes rerum
naturalium formas.

C A P. 7.

1 Sequitur vt de principiis & de his quæ sunt Theologica speculationis, differamus, à primis ducto initio, & ab iis ad ortum Vniuersi descendentes: tandemque desinentes in hominum procreationem atque naturam. Ac primum de materia dicamus. *2* Hanc fictioni subiectam, omnium rerû

capacem, matrem ac locum nominat: *3* atque subiectum sine sensu tractabile adulterinâque ratione comprehensibile. Eius autem proprium esse vult, vt omnes rerum ortus excipiat ac nutricis instar foueat: omnes item formas recipiat, cum suapte natura omnis formæ & qualitatis ac speciei sit expers. Talia verò in ea tanquam in tabula effingi, ab eisdemque hæc informari, cum nullius propriæ figuræ qualitatisve sit particeps. *4* Neque enim esset ad varias rerum formas & impressiones commodè præparata, nisi qualitatis esset expers, & omnium earum formarum, quas debet excipere. Si quidem videmus eos qui ex oleo unguenta parant odore suaui, oleum querere quòd maximè omnis odoris sit expers: vel qui in cara aut argilla rerum formas volunt effingere, illa præmollire atque sine vlla figura exhibere. Conuenit igitur materiæ omnium capaci, vt si modo formas omnes susceptura sit, nullam earum naturam habeat: sed qualitatis & formæ omnis expers, formis omnibus subiiciatur. Hæc itaque cum sit eiusmodi, neque corpus erit, neque quid incorporeum: sed sua facultate corpus, quemadmodum æs facultate statua. Quoniam tum statua efficitur, cum huius formam excipiet.

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 7.

1 Platonis imitatione Physica cum Metaphysicis coniungit: imò ipsa physica ex deo repetit & ad eundem refert. In physicis autem explicandis, desinit in hominem, quemadmodum & Plato in Timæo & Aristoteles in vniuersa physiologia. Qua occasione fortasse de tribus principibus partibus philosophiæ eam postremo loco exposuit quæ ad vitam & mores pertinet. Vt ab hominis natura, quæ partim corpore, partim animo continetur, ad eiusdem vitam & mores transiret. Quamquam alia ratione pars hæc de vita & moribus, ei quæ ad contemplationem veritatis pertinebat, potuit anteponi: prout scilicet in vniuersa philosophia atque contemplatione inferior est, & ad ipsam contemplationem (sicut testantur

omnium Platoniorum libri) via paranda antecedente animorum purgatione, quæ philosophiæ moralis est propria. Quoniam in ipsarum perturbationum regno, philosophica contemplatio non potest consistere: perturbationes autem reprimuntur, & ad rationis regulam reuocantur per virtutes, quæ morales nominantur, quæque inde purgantur, ab ipsis Platoniciis sunt appellatae. Sed in hac ordinis varietate idcirco nobis minus laborandum est, quod non hi sumus, qui rerum omnium docendarum vnicum ordinem esse velimus. Quam sapientiam Theofalo Academia nostræ methodico non inuidemus. Vt vero in instituta comparatione Platonis cum Arist. permaneamus, obseruandum hoc loco nobis est, In principiis vniuersæ naturæ, de quibus proximis capitibus est agendum, his esse commune quod vtrique tria ponit. Sed in eorum enumeratione hoc solo conueniunt quod in illis materiam agnoscunt: quam Alcinoius ex Timæo his modis exprimit, quos Aristoteles in illo magis probasse videtur. Quamquam Pythagoreos sequutus, eam nonnunquam ponit in puncto, linea, superficie, aut in dualitate infinita: quæ Aristoteles passim exagitat in Metaphysicis. In reliquis duobus principiis maxime differunt. Siquidem materiam Plato adiicit opificem deum & Ideam vt exemplarem causam: Aristoteles formam & priuationem. Deum autem, etiamsi pro causa efficiente principe Aristoteles agnouerit, aperitissimè quidem vt capite nono demonstrabitur, libro de mundo ad Alexandrum, & in Metaphysicis: obscurius vero in sermonibus de natura libro 8. Physic. cum eum rationem habere vult primi mouentis immoti manentis, & lib. 1. de Cælo cum ait deum & naturam nihil frustra facere: non tamen inter naturæ principia retulit. Quoniam naturæ contemplationem ad deum quidem vt natura superiore referre voluit. At fortasse veritus est, ne eum naturæ lege includere videretur, si in naturæ principiis numeraret. Itaque pro principiis ea tantum vsurpauit, quæ sunt in ipsis rebus naturalibus, hæcque mouent & simul cum eisdem mouentur. Ab his verò nos quasi manu duxit ad causam primam, quæ extra res naturales, vel potius supra has, easdem mouet cum tamen maneat immota. At Plato diuinus, eiusdem naturæ contemplationem ab ipso deo tanquam à principio reuocauit & ad eundem vt ad finem retulit. Qui ex subiecta materia res procreet, in hæcque formanda propositam habeat imitationem ideæ, id est vt Platonici loquuntur, sui ipsius tanquam exemplaris causæ, de qua proximo cap. differetur. Aristoteles repudiata idea ad perfectionem rei naturalis in principiis, contentus est ea forma quæ in materia est, & ex Platonis sententia, ideæ imago tantum, non primum principium. Amplius vero priuationem à materia ratione distinguit, quam cum illa re eandem esse fateatur lib. 1. Physic. sicque tria principia colligit: ex quibus duo rem constituunt, materia & forma. Remque iam constitutam, naturalibus motibus ipsa forma mouet, materia obsequente, vel etiam suis qualitibus vt instrumentis, adiuuante. Priuatio vero in simplici rerum oru, mutationis in materia causa est efficiens. Quæ omnia si in illis attentè consideramus, facile animaduertemus in proposita quæstione de principiis sententiarum diuersitatem maximam, ex varia philosophandi consuetudine profectâ: contrarietatem fortasse omnino nullam existere.

2. Materia prima Aristoteli nihil aliud esse videtur quam maximè communis subiecti ratio, quæ, quoad intellectus potest, ab omni formæ proprietate aut ad eam præparatione, cogitatione ipsa abstrahitur. Nusquam tamen sit, neque vquam fuerit, nisi informata & numerabilis facta. Quæmodum animal commune nullum per se prorsus est, quod non sit rationis particeps: & tamen eius natura ab iis omnibus sua ratione est separata. Vt enim ille in Physicis

& Metaphysicis prima contraria nominat, quæ in natura nusquam sunt nisi vt aliqua speciali contrarietate continentur, sed ab hac in cõmunibus de natura sermonibus cogitatione abstrahuntur, vt (quod idem in primis principiis postulat cap. 4. lib. 1. Physic.) semper eadem manere possint: sic de generali ratione primæ materiæ nobis hoc loco videtur statuendum. Quanquam neque hanc notionem, sua, omnis formæ prorsus expertem esse, Io. Grammaticus arbitratur cap. 11. lib. de mundi æternitate contra Proclum, sed sub ratione corporis triplicisque in illo dimensionis intelligendam esse. Nam si materiæ nomen, inquit, non est inane sed res est aliqua naturalis, quæ sit & constet, rationem quoque habeat necesse est per quam sit. Vniuscuiusque autem rei ratio, forma eius est & substantia. Non igitur fieri potest vt modis omnibus forma vacet materia. Hoc enim ipsum est perinde ac si prorsus ipsa non esset. Nā quod suæ essentiæ nullam rationem habet, id in iis quæ sunt omnino nõ est. Quare nihil verabit quin quod tria habet interualla, prima sit materia: etsi ipsum specie aliqua insignitum sit, & non informe. Sed hoc ille fortasse in Aristotelis doctrina falso sibi concedi postulat, materiam primam sua ratione rem esse aliquam naturalem, quæ sit & constet. Vt enim hæc alicuius corporis sit, quia ad illud refertur (quod etiam Alcinoius ad finem capituli huius manifestè indicat) non tamen necessario in ipso corpore intelligitur: sed ab illius forma, quæcunque illa sit, cogitatione abstrahitur. De qua sic Aristo. cap. 3. lib. 6. Metaphysic. materiam eam intelligo, inquit, quæ per se nec aliquid, nec quæquam, nec quicquam aliud est, eorum quibus id quod est, definitione aperitur. Quod quia difficillimum est nisi per analogiam comprehendere, idcirco ab eodem dictum est capite septimo libro primo physicorum, hanc omnino neque in intelligentiam, neque in sensum, aut numerum cadere: In alterum autem horum absolute caderet, si suapte natura corporis forma trinæque dimensione constaret. Sicut disputat Plotinus capit. 8. & 9. lib. de materia prima. At Plato in Timæo, etiam si materiam primam agnoscat, in eaque multa habeat cum Aristot. communia: in hac tamen, quæ non tempore sed, natura mundo priorem esse vult, ponere aliquando videtur non nudam priuationem, sed rerum omnium confusa principia: quæ postea singula in mundi origine dicantur in suum ordinem esse adducta. Sic enim ille loquitur. Vniuersi quod genitum est & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumque, neque terram, neque aërem, neque aquam esse dicamus, neque rursus aliquid ex iis constitutum, aut aliqua ex quibus hæc ipsa propriè subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam, & informem suam, omnium capacem: qui modo quodam ambiguo & vix explicabili, diuinæ & intelligibilis naturæ sit particeps. Et apertius paulò post. Sic illa tunc, inquit, quatuor genera (quatuor verò elementa intelligit) ab ipso eorum receptaculo instrumenti illius pistoriij instar tumultuante & discernente, commota, dissimilia quæque à dissimillimis longè separabantur, simillima verò rursus coibant: atque idcirco etiam antè mundi exornationem sedibus diuisa erant, sed neque his ratio inerat, neque modus. At vero vbi cuncta redigi ad modum placuit, deus ignem primo, ac terram aëremque & aquam (quæ quidem elementorum præferebant vestigia, sed ita erant affecta vt par est illa à quibus deus abest) distinctis figuris, speciebus & numeris exornauit. Ea vero apud nos sententia semper rata indubitâque præ ceteris habeatur, quod deus illa cum talia non essent, quam pulcherrimè optimèque fieri poterat, ordinauit. De quo eiusdem Platonis sententiam apertius explicat Plutarchus libro de animi procreatione. Idque est fortasse quod in illo Aristoteles notat lib. 4. Physic. receptaculum siue locum, quia pars rei quæ recipitur, non est, materiam esse non posse.



Et tamen Sebastiano Foxio cap. 5. lib. 1. de consensione Platonis & Arist. de eiusmodi primo principio videtur omnino eadem horum duorum philosophorum sententia. Quod etiam Belsario Cardinalis contra Trapezuntium conatur efficere cap. 5. lib. 2. Quanquam hic cap. 6. lib. eiusdem id inter illos interesse arbitratur, quod materiam, ut rationem habet subiecti manentis, Plato in Timeo appellat hoc aliquid. Aristoteles autem lib. 1. Physic. fatetur magis quidem hoc aliquid significare quam priuationem: sed id absolute solum esse forme, à qua proficiscitur omnis nature determinatio. Hoc verò pertinet ad superiorem questionem que contra Io. Grammaticum disputata est, an illa scilicet necessario intelligenda sit ut triplici dimensione affecta. Secundum quam relationem ad formas omnes, quarum nullam habet, apta verò est ad quaslibet vicissim recipiendas, quanquam materia prima non solum in potestate esse, sed potestas ipsa dicatur ut sepe in Metaphysicis, assentior tamen Iulio Scaligero philosopho nostra ætate acutissimo, eam sua essentia verè unum esse nature principium, partemque quodammodo compositæ rei naturalis, formarum fundamentum & subiectum substantiarum que sunt cum materia coniunctæ. De qua, ex Platoniorum sententia, deque his que in hac aliqua ex parte sunt coniuncta cum nostra religione, vide plura apud D. Augustinum lib. 1. de Genesi contra Manichæos.

3. Materia prima, sicut modo dictum est, hoc ipso quod est eiusmodi, in sensum cadere non potest. Quia hoc aliquid non est, nec ullius qualitatis particeps. Omne autem quod sensum mouet, hoc aliquid est, & per aliquam qualitatem sensum mouet, ut Arist. docet cap. 6. lib. 2. de Animo. Tangitur tamen quodam modo: quia rationem habet subiecti, quod etsi re ipsa corporeum non sit, ad corpus tamen referatur: cuius proprium est ut tactu, tanquam sensu omnium primo maximeque communi, percipiatur. Vel, quod Calchidio magis placet, ut illa que suapte natura omnino informis est, in secunda materia cui inest informatur, sic in eiusdem tactu, ipsa quoque quodam modo tactu percipitur. Nec tam eius sensus est, quam in ipsis materiis, quibus subest, quidam quasi consensus. Quemadmodum apud Arist. rerum singularum in sensum cadentium & fluentium, generata vniuersa in his ipsis quodam modo sentiuntur & fluunt, cum tamen ut sua ratione abstrahuntur ab illis, & à sensu omnino separata sint, & omnis mutationis expertia. Nec dissimilis est causa propter quam adulterina ratione eadem dicitur à Platone comprehendere. Quoniam enim quod proprie in intelligentiam cadit, per aliquam speciem & formam intelligitur: ea certe absolute intelligi non potest, cuius nulla prorsus forma est. Quare reliquum ut adulterino quodam modo intelligatur, sicut & adulterina ratione sentitur. Itaque cum omnia à nobis aut sensu, aut ratione cognoscantur, materia prima quodammodo vtriusque cognitionis particeps & experta esse dicitur. Id verò esse videtur quod Aristoteles scribit. cap. 7. lib. 1. Physic. hanc per similitudinem tantum cognosci. Quoniam, inquit, quam rationem habet res ad statuam, vel lignum ad lectum, vel ad aliquid eorum que formam habent, materia & id quod forma caret, antequam formam acceperit: eandem hæc habet ad omnem essentiam & quicquid est rerum singularum.

4. Quo modo materia ad potestatem affecta sit, per eamque perpetua vicissitudine rerum formas recipiat, nec tamen unquam ab illa potestate omnino recedat, sic Plato docet in Timeo. Si quis cunctas figuras, inquit, ex vna eademque materia auti fictas, continue in alias & alias reformet, deque vna quadam illarum præsens aliquis, quid sit querat, verè admodum & rusticissime respondere possumus aurum illud esse: triangulum verò aut aliam figuram earum que impressæ in eo

sunt, & continue permutantur, quasi reuera sint, non licet dicere. Sola quippe illa responsione tanquam turissima, contenti esse debemus. Eadem de illa materia que cuncta recipit corpora, ratio est. Idem semper esse dicenda est: si quidem ex propria potentia recedit nunquam. Suscipit enim semper omnia, nec ullam unquam iis similem villo pacto sibi formam contrahit. Omnis sanè natura fictioni subiecta est, agitata que ab ingredientibus & figurata quodam modo, alias aliter se habere videtur. Que verò ingrediuntur & exeunt, verè ac semper existentium simulachra sunt, miro & vix explicabili modo ab ipsis rebus, que verè sunt, figurata, quemadmodum deinceps narrabimus. Tria in presenti genera sumenda sunt: unum quod gignitur: aliud à quo gignitur: aliud à quo similitudinem trahit quod nascitur. Idcirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matris: unde recipit, patris: naturam istorum mediam, proli. Sed ita intelligendum est, quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, nunquam illud ipsum formationis huius gremium bene erit preparatum, nisi informe sit, & suapte natura omnibus formis quas recepturum est, careat. Nam si erit alicuius eorum que in se recipit, simile, cum contrariam eius cuius simile est naturam, aut aliam prorsus suscipiet, nequaquam eius similitudinem & effigiem exprimet: cum præ se tulerit suam. Quo fit ut nullam sibi propriam habeat speciem, quod est omnia genera suscepturum. Ex quibus intelligi potest cur apud Platonem ideæ tantum adubrata quedam imago, nunquam vero summa perfectio, in rebus singulis, quarum forme cum materia sunt coniunctæ, possit exprimi. Quoniam cum illa etiam in corpore naturali, adhuc aliquam potestatem retineat, vel ad nouam formam recipiendam, vel ad eam quam iam exceperit amittendam potestatemque omnis eiusmodi, imperfectioem quandam & deformitatem habeat adiunctam, necesse est omnium rerum naturalium formas, hoc ipso idea esse imperfectiores quod sunt cum materia coniunctæ. Sicque Aristoteles ipse naturales formas cum diuinis comparatas, impuras appellat: & cap. ultimo lib. 1. Physic. scribit à materia formam appeti, ut à femina marem, & à re turpi pulchritudinem. Et Plotinus lib. de malis, que & vnde sint, in rebus naturalibus ostendit materiam omnis mali causam esse. An igitur in corpore celesti materia istam potestatem adhuc retinet? aut si ita est, num efficitur illud quod eiusmodi materia constat, caducum esse oportere? Apud Platonem celestes orbis nature lege dissolubiles sunt: sed, ut ex cap. 13. libri huius intelligitur amplius, dei voluntate conseruantur. Quia ut dicitur in Timeo, diuina voluntas, vniuersa natura superior est, hæcque longè maiorem vim habet. At apud Aristotelem celestia corpora, etiam suapte natura, ortus interitusque sunt omnino expertia: ut colligi potest ex cap. 3. lib. 1. de Cælo & ex cap. 1. lib. 2. Quare in huius doctrina nonnulli quesierunt an in his materia quedam sit: & si sit, an eorum horumque corporum inferiorum sit eiusdem generis. Quam quidem questionem Platonici nonnulli magis eludunt, quam explicant, cum aiunt quemadmodum forma quedam valde materialis est, qualis in materia prima, que vix forma est (hæc verò ea est que forma corporeitatis à nonnullis appellatur, de qua paulò ante dictum est) sic materiam esse quandam, que vix materia est, qualis ea que cælo inest. Nec vero magis, meo quidem iudicio, satisfaciunt nonnulli Peripatetici qui dicunt in cælo subiectum quidem esse, materiam vero minime. Qui iisdem subiectum à materia hoc ipso distinguunt quod illud significet, id quod actum aliquid est & iam informatum, sine annexa priuatione: hæc vero adhuc non sit hoc aliquid, sed coniuncta cum potentia, que priuatione continetur. Nam cum Aristoteles in primis de natura sermonibus omnium corporum naturalium, tam eorum que æterna esse vult, quam que caduca, principia explicet

eaque duo statuat quę materiam & formam nominat, si cœlum naturale corpus est (quale certè illi est & vnum de quinque simplicibus, quod astrum elementū, vel quintum appellat lib. 1. Meteor. & cap. 3. lib. 2. de animalium ortu) non video cur quod in illo à forma perficitur, non possit, vt subiectū, sic materię nomen obtinere. Præsertim cum eo loco prædicet se ea principia querere quę semper manent: & secundū suas generales rationes, in rebus omnibus constituendis atque mouendis eadem retineantur. Neque vero hoc in eius doctrina concedendum est, in omnium rerum materia, cum iam informata est, potestatem manere ad exuendam eam formam quę iam inest: sed id solum cōuenit corporibus lunę subiectis. In quibus quoniam materia dum suę formę in agendo obsequitur (agunt enim semper hæc per materię qualitatem organicam, quę repatiendo, cum tempore necessario elanguescit) perpetuo fluit: accidit vt spoliata his vinculis quibus cum præsentē forma connectebatur, iam nouam appetat, & eius inexplēbili desiderio teneatur. In cœlo autem fluxus eiusmodi ex Aristotelis mente omnino nullus est. Quia in eo forma aut omnino per se agit, aut certè non per eam materię qualitatem quę à contraria patiat. Quare in illius materia ea sola potestas retineri dicitur, quę actum perpetui motus in orbem respicit. Quo modo enim cœlum, aut ab assistente intelligentia, aut à propria forma (neque enim de eo hoc loco querimus) semper in orbē moueretur, nisi ad hanc perpetuitatē motus sustinendam eiusdem materia haberet potestatem? Ex quibus omnibus intelligi potest, quo modo horum inferiorum & cœlestium corporum materia sit eadē, aut diuersa. Nam mea quidem opinione, eadem est secundum eā generalem primorum principiorum rationem, quę lib. 1. Physic. explicatur. Diuersa vero quia in iis corporibus & in cœlestibus non eodem modo ad potestatem, aut ad priuationem, quę hanc continet, est affecta. In cœlestibus enim sic ea forma substantiæ, quę adest, materia fruitur, vt aliam non expetat, qua priuata esse dicatur: in his vero nunquam est sine alicuius formę quam expetit, priuatione. Eadēque ratione illa cum cœli eternitate consistit: hæc cum corporū fluxu atque mutatione. Sed quia in Physicis æternum à caduco genere distinctum est, efficitur in cœlestibus & iis inferioribus corporibus materiam quodammodo genere esse diuersam. Sicque intelligenda sunt quę ex Metaphysicis commemorari possunt, primum quidem quod scribit lib. 8. non cuiuslibet materiam esse, sed eorum quorum est generatio mutua mutatiōe. Quę vero sine mutatione sunt, aut non sunt, ea materiā non habere. Deinde quod amplius idē adiicit lib. 9. Neque motus is est potentia inquit, qui sempiternus est. Neque si quid perpetuo mouetur potentia motu cietur: nisi ea ratione qua ex hoc in hunc terminum proficiscitur. Huiusce, verò nihil prohibet materiā esse. Quocirca Sol atque astra semper operantur atque mouentur, totūque cœlū. Atque non est pertimescendū ne tandē stent, mouerique desināt quod quidā naturales philosophi pertimescunt. Neque id agentia defatigantur. Motus enim ipsis non vti rebus caducis atque mortalibus circa contradictionis potentiam competit, vt laboriosa sit ipsa continuatio motus. Huius enim causa substantia est ea quę materia est, atque potentia non actu. Quę sequitur Auerroes capite 1. & 6. lib. de substantia orbis, contēdit cœlestia corpora nō componi ex materia & forma. At idem Arist. cap. 2. lib. 12. Metaph. scribit quęcunque mutantur materiam habere, sed diuersam. Nam eterna, quę ortum non habent & tamen loco mouentur, materiam habere, nō tamen generabilem, sed ad motum secundum locum aptam, Lodouicus Viues lib. 1. de prima philosophia, arbitrat in religione nostra omnium corporum duplicem materiam esse ponendam. Idque significatum à Mose in libro Originum cum

sic

sic exorditur: In principio creauit Deus cœlum & terram. In hoc enim, inquit ille, duę materiaram rationes ac notę videntur designatę, non duę corporum essentię. Cum verò additur, terram fuisse vastam atque incompositam & operam tenebri, quid potuit significatius dici de hac nostra materia, eorum quę generationes ac interitus accipiunt?

IN PRINCIPIIS IDEAM NVMERAT, ET
 quam variam rationem habeat apud Platonicos, ostendit:
 deinde aliquot argumenta colligit quibus hi ideas
 esse, confirmare solent.

CAP. 8.

¹ Cum verò materia principij rationem obtineat, in principis alia quoque ille admittit. Vnum quidem vt exemplar, quod idearum est: alterum quod est patris & authoris verū omnium dei. ² Est autem idea quo ad deum, eius notio: ad nos verò, primum intelligibile: ad materiam, modus: ad seipsam autem, essentia. Omnino enim quicquid fit animi iudicio, ad aliquid fieri necesse est. Quemadmodum si quid ab alio fiat (vt à me ipso, mei imago) eius exemplar præsupponi oportet. Atque etiam si externum nullum sit, vnusquisque tamen artifex in se illud conceptum habens, eius formam in materia exprimit. ³ Desiniunt autem ideam, exemplar æternum eorum quę secundum naturam. Multis enim Platonis minimè placet eorum quę arte constant, ideas esse, vt Clypei, vel lyra: neque eorum quę præter naturam sunt, vt febbris ac bilis non naturalis: neque etiam singulorum, vt Socratis & Platonis: neque vilium vel abiectorum, vt sordidū atque festuca: neque relatorum, vt maioris & excedentis. ⁴ Esse nāque ideas dei notiones æternas, & seipsis perfectas. Quod autem sint ideae his rationibus suadent., Siue intellectus deus ipse sit, siue intelligēs, intelligibilia illi insunt: hæc

EE



que æterna atque immobilia. Si autem hoc, sunt ideae. Etenim si materia ipsa per se mensura est expers, ab alio meliore & immateriato modum mensuramque accipiat est necesse. Verum autem est antecedens. Verum igitur consequens. Si autem hoc, sunt ideae: cum modi quidam sint materiae expertes. Accedit ad hæc quod si mundus non à se, aut quodam casu talis est, non solum ex aliquo ortus est, verum etiam ab aliquo. Neque solum hoc, sed ad aliquid etiam conformatus. Id verò ad cuius imitationem conformatus est, quid aliud esse potest quàm idea? Quare sunt ideae. Atque si intellectus à vera opinione differt: differt etiam quòd intelligibile ab opinabili. Si autem hoc, sunt intelligibilia ab opinabilibus distincta. Quare sunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Si verò hoc, sunt ideae. At differt intellectus ab opinione vera. Efficitur itaque ideas esse oportere.



O. V. PETRO BRV-
L ARDO, IN AMPLISSIMO
Senatu Parisiensi, classis tertie inquisitionum prin-
cipi, in iure dicendo integer. & peritiss.

Iacobus Carpentarius. S.

NON dicam, O. V. beatam eam supremi Senatus classem in qua regenda semper cum Platone philosopharis, ne hoc non satis probetur plerisque, qui civilibus vndis inuoluti, philosophicas delicias pro tribulis habent: sed certè beatissimum te, qui in summis perturbationibus, quibus nostra ætas iactatur, in sinu philosophiæ, Endymionis somnum dormiens, Reipubl. sic inuigilas ut in hac tibi nihil amplius concupiscas, nullius priuatæ calamitatis metu commouearis. Etenim profecto, ut hodie tempora sunt, nescio quid in vestra vita possit esse beatius. Quo animo semper fuisse te cum antea sæpe ex multis audiuissem, nuper verò ipse tua humanitate fruendo, & de philosophia colloquendo reipsa sensissem, sperare ausus sum opus hoc philosophicum, benevolentia, vel etiam gratia, aliquid apud te esse inuenturum, si in eiusdem partem aliquam vocareris. In cuius varietate nihil equidem potuit videri aptius quam ut de ideis Platonice ad eum scriberem qui in Reipubl. administratione semper philosophando, in

iusti ideam perpetua cogitatione defixus est, & in iure dicendo, ex summa lege, quæ nihil est aliud quàm ipsa recta ratio, omnia moderatur & regit. In quo utinam Rex noster Christianissimus permultos tibi haberet pares. A Platonica humana societatis regenda idea, profecto non tam longo interuallo essemus seiuncti. Sed reprimam me: tantumque optabo, ut his nostris nugis nonnihil indulgeas, & Reipub. diu viuas ac valeas.



DE COMPARATIONE

PLATONIS ET ARIST. IN

quæstione de Ideis & vniuersalibus,

Iacobi Carpentarij disputatio,

QUÆ DISGRESSIONE EST SECUNDA.



Magna quæstio est apud Platonem de Ideis, sicut & apud Arist. de vniuersalibus: eademque propter horum comparationem, quam ab initio instituimus, nobilissima. In qua explicanda, quoniam non solum non possumus cum grauissimis veteribus philosophis inter se dissidentibus, omni ex parte cõuenire, sed neque cum quibusdam recentioribus, eius tractatio in certa capita nobis est distinguenda: vt in singulis constituamus quid Platonicum, quid Aristotelicum esse videatur: deinde his quæ contra afferri possunt, occurramus. Primum verò de Ideis quæramus, an sint, deinde quæ sint, & quales, propter quid, & vbi à Platone posita. Secundo loco, quorũ illæ sint, & quorum non sint: vtrum vniuersorum tantum, an etiam singulorum: Postremo, in rebus quæ ad eandem ideam referuntur, quis participandi modus. Quæ cum erunt exposita, & in Aristotelis vniuersalibus eodem ordine simulque cum illis considerata, facile erit quæ hoc capite ab Alcinoo dicuntur intelligere, & in instituta Aristotelis cum Platone comparatione, videre quid nos sequamur, quoque iure à nonnullis in hac quæstione exagitemur. Idea, non est Platonis aut Socratis inuentum: sed ea multis seculis ante hos, Mercurio Trismegisto cognita, & ab eodem frequenter vsupata. Siquidem hic initio Pimandri, fatetur per conuersam Dei patris ideam, se in mente sensisse lucem viribus innumeris præditam. Et eodem dialogo ad finem sermonis primi, cum vniuersam naturam Dei imaginem nominat, agnoscit quod postea ex Platone efficere conabimur, in eodem rerum opifice, vel in eius filio, omnium quæ natura cõstant, exemplar ines-



se & ideam. Atque sermone 2. Deum vnicum appellat ipsum bonum: quæ etiam Platoni boni idea est. Sermone 8. Plenus ideis omnibus Deus pater, inquit, qualitates inferens in spheram (sic autem ipsam materiam eo loco nominat) velut in gyrum, omni qualitate circumscripsit. Sermone 9. ait Deum omnium authorem, efficientem omnia, hæc sibi consimilia reddidisse. Hoc verò quid aliud est, quam in eodem rerum omnium ideam prædicare? Et Sermone 12. non solum in Deo rerum omnium ideam agnoscit, sed apertè vult præter hunc mundum in sensum cadentem, alterum exemplarem esse, & intelligibilem, in quo huius idea consistit. Beatus Deus, inquit, dæmō bonus, animam esse in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronūtiavit. Deum autem horum patrem asseruit. Verbum itaque imago ac mens Dei est: est corpus quidem ideæ, idea verò anima est, purissimæque portio materiæ ær, æris anima, animæ mens, mentis denique Deus. Mens circa animam, anima circa ærem, ær circa materiam. Necessitas autem prouidentiaque & natura, organa mundi sunt ordinisque materiæ. Etenim intelligibilium vnumquodque essentia: essentia verò illorum ipsorum idem. Ac eorum quæ mundo insunt corporum vnumquodque est multitudo. Corpora composita ipsum idē habentia, atque inuicem mutuo transeuntia, immortalitatem ipsius eiusdem perpetuò seruant. In cæteris corporibus quæ cōposita sunt, corporis cuiusque numerus est. Absque numero constitutionem, vel compositionem, vel dissolutionē fieri impossibile est. Vnitates quippe gignunt, atque augent numerum, rursusque solutæ, se in numerum retrahunt. Materia quidem vna totusque hic mundus, magnus est Deus, imago maioris, vnitus illi, patris ordinem & voluntatem seruās, vitæ totius integra plenitudo. Idem in Asclepio, Dei vt exemplaris vel ideæ imaginem constituit duplicem, vnā in mundo, alteram in homine. Atque de ipsa mente alio loco ita scribit. Quid igitur est incorporeum? Mens, inquit, & verbum: quæ se ipsam ex vniuerso ab omni corpore liberam sustinet, & continet inerrabilis, impassibilis à corpore & intangibilis: ipsa seipsa stans, capax omnium seruatisque rerum. Cuius radij sunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplar. Atque hæc quidem ex Mercurio, cuius hac in parte, sicut in alijs permultis, admirabilis diuinitas. Platonem verò Aristoteles scribit Metaphysic. lib. 1. & 12. à puero cum Cratylo versatum imbutumque Heracliti opinionibus, quæ volunt ea semper fluere quæ sub sensum cadunt, neque eorum perceptionem & scientiam esse, ideas posuisse: quibus semper se eodem modo habentibus, scientiæ definitionesque accommodarentur. Quanquam ille neque in Theæteto, neque in Cratylo, Heracliti opinioni omnino assentitur: neque etiam si hæc

repudiaret, idearum necessitatem minus agnosceret. Quoniam etiam si res in totum secundum substantiam quotidie non mutetur (quod Heraclitus arbitrabatur) tamen quia oriuntur & intereunt numeroque infinitæ sunt, illi idea necessaria esse videtur: sicut & Aristoteli ipsum genus vniuersum, cuius scientia esse dicatur. Ille verò in Timæo ideas esse probat ea ratione quam Alcinous ad finem huius capituli sequutus est. Si intellectus & vera opinio, inquit, duo genera sunt, necesse est huiusmodi species esse, quæ per se ipsæ sint, & intelligentia potius quam sensibus comprehendantur. Sin autem, vt quibusdam videtur, vera opinio ab intellectu nihil differt: omnia quæ corporis sensus attingit, certa habenda sunt. Quippe, quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasio, & illud quidem semper cum ratione vera, hoc autem sine ratione. Illud nulla persuasionem mutabile: hoc verò contra, huic mutationi subiectum. Veræ quidem opinionis, vir quilibet est particeps: intelligentiæ verò, dij quidem omnes, homines vero pauci admodū participes sunt. Quæ cum ita se habeant, fateri oportet esse speciem quæ semper eadem, sine ortu atque interitu: quæ nec in se accipiat quicquam, nec aliunde: nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensuque corporis nullo percipiat. Atque hoc est quod ad solam intelligentiam pertinet, eiusque intentionis est proprium. In Phedone duæ aliæ rationes sunt, quæ pluribus ab illo expositæ in pauciora sic possunt contrahi. Prior quidem, quod quæcunque appellantur æqualia, ea secundum substantiam eadē manentia, possunt etiam fieri inæqualia. Æqualitas verò ipsa, nunquam inæqualitas fieri, aut videri possit. Posterior, quod quæ dicuntur æqualia, ea vt imperfecta, inæqualitate quadā participant. Æqualitas verò ipsa ab omni inæqualitate sit separata. Platonici vt hoc idem apertius confirmant, his alia multa adiciunt: quæ breuiter tantum indicabimus, ne primæ quæstionis explicatio longior sit quam volumus. Vniuersi opifex, aiunt, Deus est: qui suo esse facit omnia. Quicunque vero suo esse facit, sui imaginem facit. Qui igitur vniuersi est opifex, sui imaginem in mundo expressit. Quod si verum est, habet ille in se exemplares causas vniuersi: quæ sunt ideæ. Itémque, si mens & natura plenæ formarū sunt, perque illas agunt (quod in naturalibus artificijsque apparet) merito & Deus qui naturæ mentisque formator est, informis esse non debet. Per formas igitur agit, quas appellamus ideas. In quo, quanquam apud illos frequentissima sit Dei opificis cum nostris artificibus comparatio, hoc tamen interest, quod formæ exemplares in animis artificum partæ sunt, Deo naturaliter insunt: quodque in artificibus, & à se inuicem & ab illorū mente sunt distinctæ: in Deo verò minimè. Has Proculus non solum ex-

*Ideæ esse
quibus ratio-
nibus probet
Platonici.*



emplares, sed etiam essentielles formas esse voluit. Plotinus eo libro quo inquit vnde idearum multitudo extitit, docet primum ideam rei cuiusque, quantumlibet composita motibusque distincta, in Deo simplicem esse, omnia presentia in se continere, quae apud nos temporibus distinguuntur: deinde intellectum primum summa lucis suae fecunditate in quamplurimos redundante, se ipsum intus idearumque radios propagare, & ex hac propagatione, naturales rerum formas, tanquam lumina, profluere. Idem libro de intellectu & ideis, declarat formas quae sunt in materia, dependere a formis quae sunt in anima mundi, tanquam in fonte: has vero rursum a formis quae sunt in mente prima, tanquam in fonte formarum animae. Quid? quod etiam nostri, hanc Platonis sententiam ut cum religione Christiana maxime coniunctam, sunt amplexati? Antiquissimus philosophus & eorum qui nostram religionem fundauerunt penè aequalis, Dionysius Areopagita, libro de diuinis nominibus ita loquitur. Exemplaria esse dicimus, inquit, in Deo rationes substantificas rerum, & singulariter ante subsistentes, quas praedestinationes Theologia vocat, & bonas diuinasque voluntates, eorum quae sunt definitrices & effectrices: secundum quas ipse super essentiam Deus, quae sunt, omnia praedestinavit, atque produxit. Scio quid in eum locum scriptum à D. Thoma commemoret Bessario Cardinalis cap. 3. lib. 3. contra Trapezuntium. Considerandum, inquit Thomas, difficultatem esse in libris Dionysij propter multa, sed maxime quia utitur modo loquendi quo Platonici vsi sunt: qui apud iuniores consuetus non est. Cum enim reducere vellent composita, & materialia in simplicia, principia posuerunt species separatas: vnde hominem singularem sensibilem, non esse ipsum hominem, sed participatione illius primi hominis separati, singularem hunc esse dicebant. Quod ut in speciebus ponebant, ita etiam in maxime communibus vnum primum, quod esset ipsa essentia bonitatis, vnitatis & esse, quod Deum dicimus, ponendum censebant. Vnde illud primum nominabant ipsum bonum. Quae Platoniorum opinio, inquit D. Thomas, non consonat veritati, aut fidei, quantum ad hoc quod de speciebus naturaliter separatis statuit: sed quantum ad id quod de primo principio dicebant, verissima est, & fidei Christianae consona. Hoc, inquam, scio quale sit, & quam accommodatum ad defendendam Aristotelis disputationem contra Platonem: sed quia nondum quero quo modo ideae separatae sint (de quo postea disputabitur) verum id ago tantum, ut intelligatur quibus de causis haec ab illo sint posita, idcirco illud omitamus hoc tempore, & caetera persequamur. D. Augustinus cap. 15. lib. 5. de Genesi ad litteram, explicans illud D. Ioannis, Quod factum est in ipso, vita erat, de ideis Pla-

Christiani philosophi ideas probauerunt.

tonicis sic philosophatur. Id quod per ipsum factum est, inquit, vita esse in illo intelligatur. In qua vita vidit omnia quando fecit, & sicut vidit ea, ita fecit: non propter se ipsum videns, sed in se ipso, ita enumeravit omnia quae fecit. Nec alia visio ipsius & Patris: sed vna, sicut vna substantia. Nam & in libro Iob, ipsa sapientia, per quam facta sunt omnia, sic praedicatur: Sapientia vnde inuenta est, vel quis locus scientiae? Ignorat mortalis viam eius, nec inuenietur in hominibus. Et paulo post, Audiuius eius gloriam: dominus commendauit viam eius. Ipse enim omne quod est sub caelo perfecit, & nouit quae sunt in terra omniaque fecit: ventorum libramenta, atque mensuras quando fecit, sicut vidit, enumeravit. Quibus omnibus, inquit Augustinus, probatur quod haec omnia priusquam fierent, erant in notitia facientis & vtrique ibi meliora, vbi veriora, vbi aeterna & incommutabilia. Quamquam sufficere debeat, ut quisque nouerit & inconcusse credat, quod Deus haec omnia fecerit. Non opinor quenquam esse tam excordem, ut Deum, quae non nouerat, fecisse arbitretur. Porro si nouerat ea priusquam faceret, profecto priusquam fierent, apud illum erant eo modo nota quo sempiternae atque incommutabiliter viuunt & vita sunt. Facta autem eo modo quo vnaquaeque creatura in genere suo est. Idem D. Augustinus cum aliis locis multis hanc Platoniorum sententiam approbet. ca. 28. lib. 7. de Dei Ciuitate scribit Varronem voluisse ideam Mineruae nomine a poetis philosophiam suo more inuoluentibus significatam. Quod haec louis sapientia sit & ex eius cerebro nata. Atque in questionibus 83. questione 46. postquam distinxit ideas in Deo, & in humana mente valde repurgata, haec subiicit. Quis religiosus aut vera praeditus religione, tales ideas negabit? aut illas non profitebitur? Certè nullus. Nisi dicere velit quae sunt, a Deo non habere ut sint, aut ab illo non regi, neque gubernari: aut si hoc dederit, affirmare velit id sine cognitione ac ratione fieri. Quod esset velle Deum agere, quae agit, temere. Quae omnia cum sint absurdissima, necesse est ut ideas ponamus. Iam quis earum vsus sit videamus. De hoc quidem multa sunt apud Platonem libr. 6. de Rep. potissimumque de idea boni, quam Aristoteles exagitat cap. 6. lib. 1. Ethic. Sed illa omnia eo pertinent, ut intelligamus ad rerum procreationem, ne temeraria & fortuita videatur, ideas esse ponendas, ut exemplaria primi opificis. Cur enim hic non quauis mutatione quiduis procreatur, sed determinatae mutationes, & discursus apparent: nisi in naturae & opificis huius rationibus ordo quidam praexistat? De quo ita apud Platonem Socrates disputat cum Hippia. S O C. Omnium qui rem aliquam operantur, Hippia (ut mihi quidem videtur) ea est conditio, ut aut sciant quae agunt, aut nesciant. Num idem

Idea Mineruae nomine a poetis significata.

Idearum quis vsus.



195
videtur & tibi? HIPP. Viderur. SOC. Nonne qui sciunt, periti: qui verò nesciunt, rudes atque imperiti nominantur? HIPP. Nominantur. SOC. Quem intelligemus peritum Hippia, nonne qui eius rei quam facturur est, certam & rationem & speciem habet? HIP. Eum ipsum. SOC. Annulum igitur illum tuum, quem in Olympicis à te mira arte elaboratum ostentasti, num effecisses si & sculpendi rationem & annuli speciem non habuisses? HIPP. Non profecto. SOC. Et Phidias cum Mineruam quæ in arce est, faceret. HIPP. Minimè. SOC. Eia age, bone vir, illum qui à nobis *θυμουργός*, à poetis rerum opifex dicitur, qualem credis? HIPP. Maximum. SOC. Putasne eum certa ratione agere, quemadmodum periti sculptores solent: an potius cæco ac fortuito euentu, quemadmodum rudes & inexperti? HIPP. Certa ratione, ô Socrates, quemadmodum periti, SOC. Dicésne eum irrationabili potentia ignoranter agere, veluti naturam? HIPP. nequaquam SOC. fatendúmne præsciri ab eo quæ fiunt: vt si hominem faciat, cognoscere se facturum hominem: si equum, equum? HIPP. Fatendum. SOC. Nonne quemadmodum in te erat species annuli, & in Phidia species Mineruæ, erūt similiter in eo species hominis & equi? HIPP. Erunt. SOC. Habebit igitur is rerum quas facit, omnium in se species. HIPP. Habebit. Quibus etiam hæc utilitas adiici potest, quod vt per has ideas cognoscit opifex omnia: sic ad easdem nostra cognitio refertur, ad illasque aspirat, tanquam ad finem. Ad quas eò propius accedit, quo magis noster animus à rerum quæ in sensum cadunt, falsis imaginibus est repurgatus. Ex quo dictū ab eodem Platone in Symposio, animum diuinę pulchritudinis amatorem, quando diuinas rationes attingit, tunc nō amplius simulachra rerum, sed res veras parere in se ipso, partasque nutrire: familiarē Deo fieri, ac præ cæteris immortalē. Ideoque existimauit per ideas res habere, vt & verè sint, & perfectè non modo à Deo opifice, sed etiam à nobis cognoscantur. Neque verò ista de ideis secunda opinio est (quod quidam arbitratur) nec in hac ex rerum singularum diligenti obseruatione illæ tanquam notiones, in animis nostris imprimi & efformari apud Platonem dici possunt: verum per recordationem excitari: quæ ingenitæ sunt, sed corporis contagione obscuratæ. Quod verò de hac cognitionis nostræ perfectione per ideas à Platone dictum est, id Aristoteles occupans eodem capite 6. lib. 1. Ethic. sic reprehēdit. Fortasse, inquit, cuiusdam videatur utilius cognoscere ipsum (nempe ideam boni) propter ea quæ aguntur & possidentur bona. Quoniam ipsum tanquam exemplar nobis proponentes, facilius etiam agnoscemus nostra bona, & cum cognouerimus assequemur. Atque hæc ratio probabilitate quadam nititur: sed videtur à scientiis

dissentire. Nam cum omnes bonum aliquod expetāt, & quod opus est, inquirent, tamen huius boni cognitionem præmittunt. Atqui non est verisimile omnes tantum adiumentum ignorare, nec inquirere. Ac illud quæri potest ecquid textori, aut fabro ad artem adiumenti, si ipsum bonum intelligant? aut quo modo peritior medicus, aut præstantior dux belli sit futurus is, qui ideam ipsam fuerit contemplatus? Non enim sic valetudinem medicus spectare videtur: sed hominis, aut certè potius singulorum. Etenim singulis medetur. Ex quibus omnibus iam de ideis intelligitur quæ qualēsque sint, & cur à Platone positæ. Quarum verò rerum sint, quarum non sint (quod erat secundo loco propositum) commodius postea in Alcinoi contextu exquiretur. Nunc sequitur vt de hoc differamus, vbi illæ sint, & vtrum à diuina mente separatæ. Id enim vnum est veteribus philosophis, arque recentioribus maximè controuersum: & in quo exagitantur à nonnullis, qui nos hoc loco prolixiores esse cogunt. Ego quidem in philosophando Aristoteli tantum tribuo, quantum hominem homini tribuere fas est: nec ita tamen sum addictus, vt cum in aliis rebus multis, tum verò maximè in frequentissimis huius disputationibus contra alios philosophos, non illud arripiam ex eodem, amicum esse Platonem, amicum Aristotelem, sed sanctum esse vtrique anteferre veritatem. Quo confirmatus & in philosophando liberior factus, quanquam animaduertam aliud placuisse D. Thomæ, Alberti, Trapezuntio, & acutissimo nostræ ætatis philosopho Iulio Scaligero aliisque permultis: sic tamen mihi persuadeo, nunquam Platonem ideas secundum perfectionem suam alibi quam in diuina mente posuisse: nec de hac sententia vllam in eius doctrina contrarietatem verè notari posse: Aristotelem verò non ignorasse quidem hoc, sed eiusmodi philosophandi genus, quod rerum essentiam ab ipsis rebus separaret, nunquam probauisse: & si separatas ideas, ex Platone vlllo loco esse dixit (sicut certè plerisque dixit) id de alia separatione quam à diuina mente esse accipiendum. Quæ eadem si in disputatione contra has ideas instituta, intelligatur, rationes tamen Aristotelis magnā adhuc probabilitatem esse habituras. Sin verò ad illam exemplarium officinam à Deo distinctam, atque reipsa separatam, quam isti in Platone comminiscuntur, referatur: non modo non veram futuram tam nobilem disputationem, at ne probabilem quidem, sed fallacem, & in discipulo, si magistri odio id facit, intolerabilem: sin eum (sicut antea in præfatione dictum est) qua debuit obseruantia viuum mortuūque coluit, incredibilem. Quod vt mihi concedatur ab his qui eandem in philosophando libertatem adhibere volent, contendam hanc vnam fuisse Plotini, Porphyrij, Procli, Proculi, Iamblichi, Pselli,

Idea an à
Deo separata.



D. Augustini, Marsilij Ficini, Io. Pici Mirandulæ, Augustini Ægubini, Bessarionis Cardinalis omnium Platoniorum de Ideis opinionem. In quorum testimoniis commemorandis, ne in immensum crescat oratio, locum vnum atque alterum tantum nunc proferam ex Marsilio Ficino. Reliqua persequetur accuratius qui (quod nos sedulo fecimus) in illis omnibus Platonice euoluendis suam operam volent ponere. Neque verò Marsilius id tantum arbitratur quod nunc contendo, ideas scilicet secundum suam perfectionem non esse nisi in mente diuina, sed eos qui aliud Platoni ascribunt, calumniæ arguit. Sic enim ille scribit Commentario in librum D. Dionysij de diuinis nominibus. Platonici nunquam voluerunt, inquit, ideas esse ab intellectu, vel Deo separatas: vt falso Peripatetici calumniantur. Sed in quodam intellectu diuino extra controuersiam posuerunt illas, absoluta quadam ratione formaliter inter se distinctas. Intellectum verò eiusmodi Platonici quidem diuinum, nostri Angelicum nominant. Nam in ipso Deo ideas vtrique ponunt, non tamen absolute prorsus, sed quadam relatione distinctas: quatenus Deus ipse virtutis suæ cōsciens, quot quantisque modis sit extra communicabilis, non ignorat. Modi verò hi definiti penes Deum plurimi quidem, sed sub vnica natura formæque compræhensi, in rerum natura, ideas sunt omnium. Inde rursus in diuinam siue Angelicam mentem primo descriptæ: deinde per sequentia gradibus vsque suis participatæ. Et eodem commentario. Quemadmodum Sol, inquit, per lucem suam vnica simplicemque omnia sensibilia facit atque declarat: ita Deus per vnica sui simplicissimamque formam, cunctorum causam, cuncta facit pariter & cognoscit. Cum igitur diuina cognitio non à rebus cognoscendis dependeat, modumve accipiat, sed ex vnica sui forma merito & intuitu quodam immobili mobilia, & immaterialia materialia, indiuiduo diuidua vnica multa simul efficit & cognoscit. Eiusdem apertior est sententia in epistola quadam lib. 1. in qua eos qui in contraria opinione sunt, irridendos potius esse ait quam grauibus rationibus oppugnandos. Atque etiam Tertullianus lib. de Anima, in eo quidem Platonicos variis rationibus exagitat, quod ideas vt exemplares causas à rebus singulis tanquam ab imaginibus separarent scribitque in eiusmodi opinione relucere heretica semina Gnosticorum & Valentiorum. Sed illis hanc earundem à Deo separationem non ascribit. Durissimum tamen est quod ad extremum concludit, neque præferendum sensui intellectum (per quod enim quid constat, inquit, inferius ipso est) neque separandum à sensu. Per quod enim quid est in ipso est. Quod in illo non magis probandum est, quam quod eodem loco contendit, viuentibus omnibus & animatis, (quorum nu-

Tertulliani
error.

mero plantas non excludit) intellectum inesse: quo illa omnia vt aiunt sapiunt, & sua naturæ opera intelligunt. Sed ne superiores illi omnes Platonici quos enumerauimus, magistri sententiam occultasse, aut meliorem facere voluisse videantur amplius etiam postulabo vt attentè considerentur loci omnes in quibus Plato ipse de ideis est loquutus. Atque in his nisi de eo quod disputo, ideas in deo esse, summa doctrinæ consensus in illo depræhendatur, causam non dico quin & Aristoteles merito ideas exagitasse & nos in huius Platonice philosophia decepti videamur. Quid enim? Num isti concedent apud Platonem in Timæo, ideam esse primum intelligibile? Quis verò tam rudis & in huius scriptis tam inexercitatus, vt nesciat intelligibile primum esse ipsum deum patrem vel dei filium eundemque deum: nempe primam mentem rerum omnium procreatricem? Quid? in epistolis & aliis locis multis cum deum patrem esse ait ipsum bonum, nonne boni ideam significat? Si verò deus pater boni idea est, an ab eo reipsa separatam erit id quod ipse est? Quid porò apertius iis quæ paulò ante ex Socratis sermone cum Hippia sunt commemorata? In quibus cæcus est, omnino in philosophando, qui non videt ideas in deo non poni: ad quem pertinet rerum procreatio & præscientia. Lege Timæum, Phedonem, Phedrum, Sextum de Repub. senties illud hoc idem semper probauisse. Quod verò ex Parmenide in oppositam partem nonnulli afferunt hoc ad eius quod contendunt confirmationem omnino est ineptum. Tres in eo dialogo disputantes obseruât, primum Zenonem, de rebus naturalibus: secundum Socratem, de ideis: tertium Parmenidem, de vno rerum omnium principio. Atque hactenus illi quidem rectè & ex Marsilio Ficino: sicut & illud quod aiunt ideas inter res natura constantes & deum qui solus verè est, tanquam genus medium à Platone constitui. Sed ex hoc profecto non efficitur quod volunt illas in deo, non esse. Quoniam rerum quæ arte efficiuntur species, vel artes etiam ipsæ, in mentibus artificum sunt & tamen eadem inter ipsos artifices horumque opera mediæ. Et quantum eodem dialogo nominatim scribit ideas esse separatas ipse tamen postea se explicans subiicit has separatas esse à rebus singulis quæ eisdem participant. Quod ego omnibus non inuitus concedo: & penes huius separationis modum easdem ideas ab Aristotele vniuersalibus potissimum distingo. Sed illud etiam addo, non satis cautè ab istis, Platonis sententiam de ideis ex Parmenide colligi. Quoniam dialogus hic, sicut Io. Pici Mirandula obseruauit, non tam ad docendum quid Plato sentiat, institutus est, quam ad aliorum opiniones notandas, sub ea ironia quæ Socrati valde familiaris. At hi fortasse contra quos agimus hoc tempore, non dubitant quin multa sint apud Plato-



nem quæ confirmare possint eum in deo nonnunquam ideas esse voluisse: sed arbitrantur eiusmodi opinionem in illius doctrina esse inconstantem: satis verò esse vt merito à discipulo Aristotele exagitata videatur, si ex locis aliquot doceri possit, illum ita has separatas affirmasse, vt easdem extra deum esse voluerit. Itaque vt exactius hæc quæstio tractetur, attentè consideranda sunt singula quæ ad huius partis confirmationem ab eisdem solent afferri. Quæ si explicari possint, in priore sententia permaneamus: sin minus, non inuiti iustam Platoniarum idearum reprehensionem Aristoteli concedamus. Exordiamur verò à Iulio Scaligero, cuius autoritate magis comouemur. Is in disputatione contra Cardanum ita agit. Si sunt in mente diuina formæ rerum harum, vt informant: deus hæc omnia informabit. Quod quàm sit absurdum satis patet. Quod si non informant, iam nihil noui dicit Plato. Nemo enim negauit vnquam deum esse omnia. Nam Epicurus ipse quosque, qui fortè quadam, corpuscula illa coire atque dissolui scribit, ad omnia cõficienda reficiendave fortem ipsam hanc pro deo suo cognoscere cogetur necessario. In quo vt in cæteris acutissimè solet philosophari, ita mihi videtur attigisse rationem eam qua potissimum Aristoteles Platonem præmit: quòd scilicet absurdum arbitretur rerum earum quæ sunt, essentiam in ipsis rebus non ponere, sed essentiam imaginem tantum & in materia adumbratam imitationem. Quamquam hæc ipsa imago, materiata quædam est essentia, sed ab illa quæ est in deo, vel quæ potius est ipse deus, tanquã à fonte profluens. Quo modo non magis mirum est, deum omnia informare, etiam si rerum singularum propria forma non sit, quam Solem dei filium, sicut Plato appellat lib. 6 de Repub. animare inferiora hæc eisdemque vitam dare: qui tamen singulorum neque anima est propriè, neque vita. De qua si placet, audiamus Platoniarum sententiam, quam sic explicat Marsilius Ficinus cap. 11. lib. 2. Theologiæ Platonice. Cum effectus dei in se ipsi substantiæ sint, inquit, ideo nullo modo in eo tanquam accidentia esse debent. Non tamen illic multæ sunt substantiæ. Itaque sunt illic vna quædam, id est ipsamet dei substantia. Quandoquidem oportet in deo cuncta modo quam perfectissimo iuueniri, atque vniri illi sibi que inuicem perfectissimè. Nequeunt autem sublimiore modo in deo esse, atque sublimius vniri tum deo, tum sibi ipsis, quam si in deo sint ipse deus. Neque tamen absolutè idea, diuina est essentia: sed quatenus huius vel illius speciei est exemplar. Quocirca vt rationes ex vna essentia plures intelliguntur: sic plures dicuntur ideæ. Respectu quoque eiusmodi quibus ideæ multiplicantur, nõ à rebus ipsis efficiuntur, sed ab intellectu diuino suam cum rebus essentiam comparante. Eadem est opinio Plotini cap. 6. & 8. libri de

Scaligeri ratio contra Plat. ideas.

intellectu & ideis, & cap. 4. lib. de idearum multitudine. Ex quibus omnibus facillè est ea dissoluere, quibus Iulius Scaliger videtur nimium tribuere. Nunc verò cætera quæ contra sententiam quam tuemur, ex ipso Platone afferri solent, videamus. Hic scribit libro 10. de Republ. multos quidem esse lectos multasque mensas: at ideas huius suppellectilis duas esse, vnam lecti, alteram mensæ. Itaque dicere conuenimus, inquit, vtriusque suppellectilis artifices, sic opus suum absoluere, si in ideam illam intueantur, vnum quidem lectos, alterum mensas quibus vtrumque cæteraque similiter. Nullus enim artifex ideam ipsam facit. Hoc loco Ia. Lodoicus Strebeus commentario in Arist. Ethica, valde commouetur, atque Platonem ita præmi arbitratur. Si ideæ sunt in mente diuina, inquit, quo modo potest illas artifex intueri? Quo modo Plato ait lectum à deo factum esse? Si in humanis animis, quo modo illæ neque gignuntur, neque intereunt? In quo pace dicam Strebei, multa profecto mihi inepta esse videntur. Quoniam primum illud ridiculum est quod fingit, Platonem eo loco velle lectum à deo factum esse. Si quidem lectus & mensa ab illo ponuntur vt nostrorum artificum opera: cum quibus comparatur ea omnia quæ in vniuersitate naturæ à deo opifice sunt effecta. Deinde non minus absurdum quod querit, si lecti & mensæ ideæ in mente diuina sunt, quo modo artifex cum mensam vel lectum parat, illas possit intueri? Quid enim? an apud Aristotelem in Metaphysicis & apud Alcinoium hoc loco nõ legerat, quod postea explicabitur, rerum arte constantium ideas à Platone non esse positas: aut si id meminerat, cur querit quo modo humanus artifex in diuina mente lecti vel mensæ ideam possit intueri? Hoc verò discamus, artificum exemplaria per quandam similitudinem à Platone eo loco ideas appellari: sicut & à Cicerone in Oratore, ideam eloquentiæ: etiam si propriè sint rerum tantum naturalium, neque harum quidem omnium. Atque vt in nostrorum artificum mente, eorum quæ arte conantur efficere, exemplaria sunt: sic rerum omnium ideas poni in deo earum opifice. Quod qui attentè considerauerit, is vt spero, agnoscat superiorem Platonis locum valere potius ad confirmandum, quam ad euertendum: quod nunc ex huius sententia defendimus, ideas esse in mente diuina. Sequitur locus alter ex Epistola Platonis ad amicos Dionis. Tria sunt, inquit Plato, ex quibus scientiam fieri necesse est: quartum ipsa scientia: quintum verò oportet ponere quo quid est cognoscibile, id est quod agnosci potest, atque verè existit. Deinde tria priora ita distinguit. Horum vnum est, inquit, nomen: secundum ratio quædam: tertium simulachrum siue imago. Atque post modum illa quinque exemplis ita illustrat. Circulus, inquit, aliquid dicitur cui nomen id est quod modo pronuntiabamus,

Strebei error circa ideas.

Sequitur eius ratio quædam ex nominibus & verbis composita. Tertium verò est quod pictus circulus sit, vel deletus, aut torno factus, vel destructus. Quorum nihil ipse circulus circa quem singula sunt, patitur: ut pote aliud quiddam existens. Quartum autem scientia est & intellectus atque circa hæc vera opinio. Hoc rursus totum tanquam vnum est ponendum, quod nec in vocibus, nec in corporum figuris est, sed in animis. Ideoque manifestum est aliud esse, quam sit ipsa circuli natura rursus aliud quam tria illa quæ supra diximus. Horum verò ex numero, intellectus cognatione similitudinèque quinto proximus hæret: cetera remotiora sunt. In quem locum, obscurissimum profecto, interprete utamur Marsilio Ficino: qui eius sententiam sic exprimit cap. 1. lib. 12. Theologiæ Platonice. Animus noster ad scientiam circuli commouetur, inquit, sepe numero per auditum, quando auditum nomen hoc circulus, tum circuli descriptionem eiusmodi, circulus est figura reflexa, quæ æquis intervallis vndique distat à medio. Admouetur quoque per visum, quando circulum vel torno factum ex ligno videt, vel in pariete signatum, qui non verus est circulus: quoniam non perfectus, sed veri idolum & simulachrum. Per hæc commotus animus, avidus veritatis, eruit in actum ingenitam circuli formam: per quam velut characterem, ad ipsam circuli ideam in mente diuina vigentem, aciem dirigit: Quæ quidem directio est scientia circuli. Ostendit autem ea epistola Plato animum corpore clausum non posse ad ideam absque quatuor illis gradibus surgere. Quia oportet illum iamdiu infra se lapsum, primum per illa tria in se reuerti: deinde per formulam quam in se habet supra se ipsum ascendere ad ideam. Quibus Marsilij verbis hoc adiiciamus, humanam notionem (cuius esse scientiam, intellectum & veram opinionem, Plato ait) non esse ipsam ideam, sed ad hanc in hominibus qui mentis & intelligentiæ participes sunt (quales ille paucos esse vult) cognatione quadam & similitudine accedere: idque superioribus verbis manifestè indicari. Ad eam verò aspirare, nihil esse aliud in vita hac, quam animum humanum philosophiæ supremo munere moriem eam meditantem de qua primo capite dictum est, ad deum conuerti. Quod quam difficile sit, accommodatè ad superiorem Platonis locum indicare potest quod scribit Io. Picus Mirandula in suis conclusionibus, non esse credendum in doctrina Platonis animum quicquam intelligere per conuersionem, aut inspectionem ad ideas, nisi peruenerit ad illum statum qui est supremus gradus contemplatiuæ perfectionis: quodque idem subiicit modum cognoscendi per ideas eum esse cuius in Timæo dii quidem omnes participes esse dicuntur, homines autem pauci. Quare Plato in vita hac quantumuis repurgata, cognitionem nostram vix audet in ea epistola

*Ideas assequi
in vita hac
difficillimè.*

epistola cuius mentionem fecimus, perfectam omnino scientiam, sed veram tantum opinionem nominare. Veritas enim rei creatæ, ut ait Marsilius Ficinus eodem capite, in hoc versatur ut idea respondeat vndique: scientia verò, ut mens congruat veritati. Non potest autem rei ipsius veritati quadrare, nisi idea quoque quadret: in cuius congruitate sita est veritas. Si quidem vera scientia est per causam cognitio. Quid queritur amplius? An, si idea in mente diuina sit, quo modo id esse dicatur quod in scientiam cadit, quodque verè existit? Idea in deo deus ipse est: quoniam quicquid in deo est, deus est. Quis verò ignorat apud Platonicos, sicut & apud nos, vni deo omnino conuenire ut verè dicatur existere? De quo solo verè affirmari potest quod de quinto eadem epistola Plato scripsit: nempe id esse quo quid est cognoscibile & quod verè agnosci potest. Quoniam animus benè institutus, in quatuor prioribus ita exercetur, ut omnem laborè ad quintum, id est, dei tanquam ideam idearum omnium, cognitionem referat: nec possit non modo hunc, sed ne illa quidem priora quatuor, sine huius lumine cognoscere. Sed non omnes ista capiunt: neque hæc Plato cum omnibus communicanda arbitratur. Dicam verò ex Platone eadem epistola cur difficile sit huius quinti naturam perspicere. Maximè omnium, inquit, quod cum duo sint, essentia & qualitas, quando animus non quale, sed quid sit querit, nisi quodlibet horum quatuor quæ situm prius ab anima-tam ratione quam affectu, denique sensibus benè discussum, per omnia quæ dicuntur atque ostenduntur, euaserit, omni ambiguitate & obscuritate, ut ita dixerim, omnes implebit. In quibus igitur haud quaquam consueui sumus, ob prauam educationem, verum perquirere: sed satis nobis factum putamus si apposita simulachra attigerimus: minimè derisui sumus inuicem interrogantibus, potentibus duntaxat quatuor illa discutere & arguere. Vbi verò necessitas cogit quintum ostendere, quibus eorum qui possint subuertere atque retractare, peruincit: facitque ut qui exponit sermonibus, vel literis, vel disputationibus, apud audientium multos nihil eorum quæ vel dicere vel scribere aggreditur, intelligere videatur. Quæ in re sepe ignoratur non animum dicentis, vel scribentis redargui, sed naturam potius cuiuslibet illorum quatuor se male habentis. Transactio verò per omnia illa sursum deorsumque in vnumquodque discurrendo perueniens, vix tandem scientiam parit intrinsecus: scientiam, inquam, ipsius quod naturaliter bene affectum est, in animo ad ipsum quoque naturaliter bene affecto. Ergo neque locus hic ex superiore Platonis epistola, pertinet ad probandum ideas ab illo extra diuinam mentem esse positas. Sed tantum hoc ex eo probabile videri, quod etiam aliis locis idem docuit, ideas per se esse & præter res singulas &

seorsum ab his. Atque hoc certè est quod Aristoteles in illis potissimū videtur improbasse. Non videtur fieri posse, inquit *Metaphys.* 12. vt seorsum sit substantia & id cuius est substantia. Ex quo natus est non leuis locus *lib. 6. Top.* Spectandum est, inquit, ex idea, sit ne vera & propria quæ data est definitio: quandoquidem in quibusdam id non reperiri cernitur. Quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitioni, mortale. Si enim idea est, certè mortalis non est: velut ipse homo. Ita ideæ minimè conueniet definitio. Omnino necesse est si addatur id quod efficiens est, aut patibile, in idea discrepare definitionem. Impatibiles enim & immutabiles videntur ideæ his qui eas defendunt. Quales definitiones contra eos valent. Et certè in eandem sententiam *cap. 6. lib. 6. Metaphy.* reprehendit eos qui rerum essentias, ab ipsis rebus separarunt. Si eius quod est ratio, inquit, non est in iis quæ sunt, ne cæterorum quidem vlla erit. Præterea cui boni ratio non conuenit, id non est bonum. Necesse est igitur bonum vnum esse bonique rationem, honestum & honesti rationem, quæque non de alio dicuntur, sed prima & per se sunt. Etenim hoc satis magnam vim habet si adsit, etiam si species nullæ sint: aut potius fortasse, si extem species. Simul autem hoc perspicuum est, si sunt species quas nō nulli esse dicunt, id quod subiicitur, non esse essentiam. Nam has quidem essentias esse necesse est, non tamen dici de eo quod subiicitur. Hoc enim pacto communicabuntur. Ex his igitur rationibus perspicuum est vnum atque idem esse non per accidens, vnamque rem eiusque essentiam, ac scire vnumquodque, hoc esse eius rationē & essentiam cognitam habere. Et *cap. 7. lib. eiusdem*, Perspicuum est, inquit, species (sicuti species quidam soliti sunt dicere) si sunt aliquæ res præter singulas, nihil ad ortus rerum & essentias conducere: nec iis quidem de causis per se atque seiunctas esse naturas & essentias. Idem *ca. 14.* Ex iis ipsis etiam perspicuum est, inquit, quod in eodem modo suscipiant hi qui species simul & essentias esse, & seiunctas separatāsque ponunt, simulque species ex genere ac differentiis faciunt. Si enim species sunt & animal in homine & equo, aut vnum & idem numero sunt, aut aliud atque diuersum. Ratione enim vnum esse constat: quoniam eandem rationem in vtroque qui definit explicabit. Si igitur homo aliquid, quod ipsum per se atque seipsum, necesse est etiā ea ex quibus constat, vt animal & bipes, aliquid significare & seiuncta esse, & essentias. Itēque *cap. 4. lib. 12.* Socrates quidem, inquit, ea quæ vniuersè dicuntur, non seiungebat à rebus singulis, nec definitiones: illi autem, nempe Platonici, seiunxerunt, cæque res ideas, id est species nuncupauerunt. Quæ omnia partim in Aristotele, partim in ipso Platone, à nonnullis obseruata, non dubito quin ei opinioni, quæ

nunc oppugnamus, initium dederint. Sed aliud est velle ideas ab ipso deo rerum omnium opifice esse separatas, atque seorsum existere, aliud has secundum perfectionē suam exemplarē, à rebus singulis esse seiunctas, quarū tamen essentiam in se dicantur continere. Posterius verè Platonis est, & tamen ab Aristotele aliud philosophandi genus sequuto, sicut antea dictum est, cum magna probabilitate locis variis reprehensum. Prius, neque Platonis est, neque vllō loco, quod sciam, ab Arist. illi attributum. Idēque certè video placuisse Cardinali Cōtarenō *lib. 7. primæ philosophiæ*. Platonici existimasse videtur, inquit, eo modo res existere quo ab intellectu concipiuntur. Quamobrem cū intellectus concipiat species à singularibus abstractas: sic etiam censuere ideas substantias quasdam esse abstractas ab indiuiduis omnibus, quæ singularium horū quæ sensu percipiuntur, species sint, ac de eis prædicentur. Hanc Platonis sententiam Aristoteles pluribus locis reprehendit: sed præcipuè in *7. lib. primæ philosophiæ*, multasque affert rationes quarum non ignarus videtur fuisse Plato, cum earum complures recitet in *Parmenide*. Sed proculdubio fieri non posse iure quicunque arbitrabitur, vt vna quædam substantia per se existens prædicetur de pluribus substantiis distinctis numero, ea prædicatione qua hoc dicitur esse hoc, sicuti Socrates homo, ac item Plato homo. Idcirco existimauerim ego Platonem posuisse ideas esse rationes rerum inferiorum, quæ sunt in primo intellectu quem etiam appellat mūdum intelligibilem, ac causam exemplarem constituit, quemadmodum supra pluribus ostendi: ac intellectum nostrum à sensu ac phantasmatis inferiorum sensiliū excitari, vt ad rationē rerū conuertatur, quæ sunt in superioribus intellectibus. Nunc quoniam de ideis ea abundè disputata sunt quæ ad institutæ cōparationis primū caput, videbantur pertinere: ad Aristotelis vniuersalia veniamus. Quæ esse, quoniam inter philosophos constat, quem vsum habeant & vbi sint, primo loco queramus. Aristoteles voluit his, sicut & Plato suis ideis, scientiarum omnium descriptiones accommodari, & omnem contemplationem à rebus singulis abstractam, ad hæc ipsa referri. Quare cum ille *cap. 8. lib. 1. Analytic. Post.* scientiam quæ demonstratione paratur, æternorū esse docuisset, Neque, inquit, ideas esse, neque communem aliquam naturam à rebus singulis separatam, vt demonstratio sit, necesse est: sed illud tantum, vt communis aliqua ratio sit, quæ in rebus singulis consistat. Nam si id non sit, ne vllum quidem genus vniuersum esse poterit: quo sublato non erit medium ad sciendum accommodatum. Quare nec vlla demonstratio relinquetur. Ex quo efficitur vt sit necesse communem quandam ac minimè ambiguam esse naturam, quæ ita in multis cernatur, vt ab iis seiuncta esse non possit. Quibus ex eo

*Vniuersalia
Arist. quem
vsum habeat
& vbi sint.*





dem, sicut & ex Galeno, addi potest, ut duo sunt quæ ad omnem cognitionem nobis natura dedit, sensus & intellectus: sic duo esse horum obiecta, sensus quidem id quod singulum est, intellectus verò quod vniuersale. Atque ut sensus qui interior est, non res ipsas singulas in se recipit, sed earum presentium & sensibus exterius obiectarum, imagines, quæ phantasmata appellantur: sic nec intellectum rerum communes essentias continere, sed notiones tantum, per quas illæ absentes nihilo minus quam presentes, nobis contemplantibus obuersantur. Ex quo accidit quod idem Arist. scribit lib. 3. de Animo, ut scilicet contempleremur quando volumus, quia contemplationis obiectum semper habemus in promptu: non sentiamus tamen quando volumus. Quoniam id quod sensuum instrumenta mouere primum debet, externum est, nec in nostra potestate omnino situm. Quibus positis, de eisdem vniuersalibus alterum explicari potest: nempe ubi sunt, & quo modo se habeant ad res singulas, quas sub se continent: itemque ad humanum intellectum, cuius cognitione comprehenduntur. De quo ita semper in Aristotelis doctrina existimaui, idque etiam alio loco scripsi, existere substantias singulas à se inuicem separatas, omnique quod hoc modo existit, singulum quoque esse oportere: sed in hac rerum singularum existentia, duo inesse, nempe proprietatem naturæ, siue quandam huius circumscriptionem ab aliis separatam, per quam vnumquodque, ut Aristoteles ait, hoc aliquid est & numerabile. Atque in illa proprietate ita circumscripta, eiusdem naturæ quandam communionem inesse, quæ apud eundem in Categoria substantiæ quale quiddam est. Ut in hominibus, singuli à se inuicem separati existunt, nec ita existunt nisi singuli: sed in illis sic existentibus, naturæ quædam communio verè inest, quæ speciei definitione explicatur. In animo verò duobus illis alia duo respondere, singulo quidem circumscripto & ab aliis separato, imaginem quoque singulam in interiore sensu receptam: naturæ verò communioni, notionem vniuersalem ex comparatione singularum imaginum, quæ sunt in interiore sensu, vel in ipsa imaginatione, excitatam. Atque hoc semper addidi, priora duo substantias esse, posteriora animo accidere: idcirco cum vnum & idem (etiã si cum diuersis conferatur) substantia & accidens esse non possit, hæc in substantiis verè haberi nullo modo posse, representare tamè animo illam duplicem substantiam, atque idcirco nonnunquam ab iis qui minus accuratè ista expendunt, pro substantiis vsurpari: eo scilicet modo, quo Socratis imaginem aliquando Socratem ipsum esse dicimus. Qua loquendi consuetudine nonnulli fortasse decepti, notiones communes in intellectu substantias vniuersas esse voluerunt. Quorum

error à nobis refutatus est li. 4. prioris nostræ descriptionis physicæ. Sed longè absurdior, mea quidem opinione, alter est, eorum qui naturæ communionem de rebus singulis omnino tollunt, solaque, ut aiunt, nomina communia esse volunt: nullas his subiectas substantias vniuersas. Quid enim hoc aliud quam vana hæc ipsa nomina vniuersa dicere, si illis in natura nulla res subiecta est: vanamque omnino demonstrandi & definiendi rationem, si quidem his accommodatur quæ nulla sunt? Scio huic opinioni occasionem dedisse Auerroen cum aliis locis multis tum maximè Commentario in 7. Metaphys. itemque D. Thomam libello vno de sensu & intellectu, alteroque de vniuersalibus. Atque etiam agnosco meritò, ab Aristotele in Metaphysicis & à nostra schola, Christianaque religione semper esse damnatas substantias vniuersas à rebus singulis separatas: ne his positis Arist. ipse ideas admittere, aut nos aliqua ex parte probare videremur illum intellectum externum vnicum communem & immortalem ad cuius confirmationem idem Auerroes multis locis Aristotelicis est abusus. Sed quanquam satis accuratè quæ de hac quæstione ab aliis disputata sunt, considerauerim, in hisque inter se comparandis multum opere posuerim, nullius tamen rationibus persuaderi adhuc potuit, nullas apud Arist. substantias esse vniuersas (nisi fortè separatas, de quibus hic non disputo) nullam naturæ communionem in rebus singulis. Nec, ut spero, persuadebitur his qui mecum attentè considerabunt, quid ea de re multis locis Arist. scripserit: quamque puerilis, vel etiam putida tota philosophandi ratio futura sit, si naturæ communio è rebus ipsis omnino tollatur: vniuersaliæque in solo intellectu, vel etiam nulla omnino esse dicantur. Nam ut à primo exordiar, cum ante Categorias in diuisione eorum quæ sunt, vnum genus constituitur eorum quæ de subiecto dicuntur, in subiecto vero non sunt, manifestum est, opinor, hoc ad substantias vniuersas pertinere. Has igitur ille esse vult, quia in partibus eorum quæ sunt enumerat: sicut & lib. 1. Analyt. Priorum, cum viam atque rationem in medio deligendo ex eisdemategoriis repetit. Itaque si substantiæ vniuersæ quædam sunt, necessarium est ut illæ aut separatæ ponantur, quod in huius doctrina merito semper absurdissimum est habitum, aut in communionem naturæ rerum singularum esse dicantur. Quoniam in intellectu notiones tantum sunt, quæ substantiarum sunt imagines, non ipsæ substantiæ: sicut à nobis ex Aristotele confirmatum cap. 4. lib. 4. prioris descriptionis physicæ. Porro quid erit frigidius distributione substantiæ in primam & secundam, aut eo quod ab illo dicitur secundam significare quale aliquid, non tamen accidentium more, nisi vniuersalem quandam substantiam esse concedamus: quæ in nostra co-



gnitione secunda sit, quia à nobis intelligitur ex rerum singularum antecedente obseruatione, & tamen in earundem communione verè existens, his natura prior esse dicatur? Omitto quod eo ipso loco Aristoteles ait, sublatis primis substãtiis secundas tolli oportere. Quãquam hoc eius quod quærimus non leuem significationem habet. Quis enim Aristotele dignum existimauerit quærere, an secũdã substantiã cum primis tollantur, si illã omnino nullã sunt? aut si aliqua sunt, cur cum primis necessario tollũtur, nisi quia in harum communione existunt? Sed quoniam locus hic in varias sententias interpretum opinionibus est distractus, contra repugnantes fortasse non satis haberet virium ad efficiendum quod volumus. Quare ea quæ clara sunt persequamur. Sunt autem inter alia multa, quãdam in Analyticis post. quæ tam manifestam eius quod disputo, confirmationem habent, vt his positis, de vniuersalibus & naturæ communione in rebus singulis, adhuc dubitare, nihil aliud sit quam in medio sole ca ligare. Primum enim quis non videt conditiones eas quæ ab illo colliguntur cap. 4. lib. 1. vt proprietates quæ de aliqua specie per demonstrationem concludenda est, de omni dicatur, per se in sit, & primo, atque ad vniuersum genus pertineat, agrorum somniis similes prorsus futuras, si ipsius speciei nulla est essentia, nulla naturæ communio in rebus singulis? Quo modo enim proprietates prius speciei, quam rebus singulis conueniet, aut illi hoc ipso quod talis, si species ipsa in se nulla est nullamque omnino habet essentiam? Nec verò minus apertum videri potest, quod ex cap. 8. lib. eiusdem paulo antè commemorauimus. Quibus & illud adde quod scriptum est ca. 24. ipsum genus vniuersum quod in omnibus rebus singulis continetur, sensu percipi nullo modo posse: quando quidem nõ est certo quodam loco ac tempore definitum: aut certè vniuersam rem non futuram. Nam quod semper est & vbique, inquit, hoc est quod vniuersum genus appellamus. Quibus etiam apertius est quod capite vltimo lib. 2. notionem vniuersam à substantiã distinguit: illamque in intellectu, hanc in cõmunione rerum singularum esse vult. Oritur, inquit, ex sensu memoria: tum ex hac aliquoties repetita nascitur experiẽtia (si quidem hæc nihil est quàm multã, vt sic dicam, memoriã) postremo ab ipsa experientia, omnium artium, atque scientiarum principia proficiscuntur: illa verò tum est, cum infixã animo de toto genere pronuntiatio, aut vnus cuiusdam rei notio. Quæ sit ipsa quidem præter res singulas, in illis tamen omnibus vna eademque cohereat. Neque vero de ista sententia decedemus si interpretum opiniones vel numerãdã solum, non etiam ponderandã. Nam Simplicius Commentario in cap. 5. lib. 2. de animo, Vniuersalia, inquit, reperiuntur in animo, non ea quæ de

singularibus dicuntur. Namque hæc in ipsis singularibus existunt, & sola mentis apprehensione separantur. Sentit idem Ammonius itẽmque Ioan. Grammaticus Commentario in cap. 8. lib. 1. Analytic. post. & in cap. vltimum lib. 2. Quo loco vsurpat tritam vniuersalium distinctionem in ea quæ antè multa sunt, quæ in multis, quæ post multa. Quid vero est esse in multis, nisi in communione naturæ rerum singularum existere? Contareus Cardinalis quanquam in plerisque aliis quæstionibus Platonicus magis quam Peripatericus, de hac tamen idem statuit cum superioribus lib. 7. Compendij Metaphysici. Species rerum inferiorum, inquit, non habent esse extra intellectum eo modo quo ab intellectu concipiuntur, sed præter mentem singularia sunt, non abstracta à singularibus vniuersalia: nec tamen ob id figmenta quãdam sunt, aut entia rationis, quoniã mentis conceptus eiusmodi originem habet ab ipsa re. Vbi concludit formam per se ad certum locum, & tempus minimè determinatam, sed communicabilem multis, vel potius communicatam, principium esse naturæ vniuersalis: sicut materiam, singularum: idque quod de eadem natura vniuersali intelligitur, esse in re, vt hominem, equum, asinum: modum verò esse ab intellectu, qui tamen originem ducit à re, id est à natura formæ. Sed neglectis aliorum opinionibus rem ipsam ex sua natura expendamus, atque inquiramus num, exempli causa, inter omnes homines verè comunio quãdam intercedat, eaque non affectionum tantum sed substantiæ. Quæ si nulla est, quid igitur hominis definitione explicatur? An nomen commune tantum, nulla nomini subiecta substantiã? Ridiculũ hoc profecto, & omnino contrarium his quæ de exactissima definitione ab Aristotele scripta sunt lib. 2. Analytic. post. & cap. 2. li. 2. de animo. Si verò illa, animal rationis particeps mortale, vniuersa speciei definitio est, eiusdemque essentiam complectitur, in qua singuli homines reuera conueniunt, quis non animaduertit tam necessario effici essentia quãdam comunionem in rebus singulis verè existere, vt non minus in philosophiam peccare videantur qui hanc negant, quam qui, vt aiunt, ipsum Solem de medio tollunt? Consideremus quoque hoc idem alia ratione paulò attentius. Res quãdã eadẽ specie, alia genere esse dicuntur. Ergo necesse est eas secundũ speciem & genus, quiddam habere commune in quo consentiant. Neque verò satis est inter illas accidentium comunionem aliquam intercedere: sed eam essentia esse oportet, quæ speciei vel generi sit propria: alioqui illa eadem accidente tantum, non specie, vel genere esse dicentur. Quo modo vero inter res singulas essentia speciei, vel generis comunio intercedet, si nulla prorsus est, sicut istis volunt, in rebus singulis naturæ comunio? Quid porro hac sit



blata vanius est futurum ea enunciandi ratione qua species de rebus singulis dicitur? Etenim cum Socratem hominem esse dicimus, aliquid opinor, Socrati attribuimus quod illi reuera inest: idque non accidens. Quoniam genus hoc enunciandi valde ab illo differre volumus quo Socratem album esse dicimus. Si vero Socrati substantiæ cuiusdam fit attributio, cædo, an indiuiduæ? Minimè, opinor. Alioqui homo de Socrate vt maius de minore non enunciabitur: & affirmare Socratem esse hominem, perinde erit ac si Socratem, Socratem esse dicas. Quo quid absurdius in philosophia cogitari potest? Si vero homo de Socrate vt communior essentia de indiuidua verè dicitur, illam igitur essentiam Socrati cum aliis communè, in ipso Socrate & in aliis esse oportebit. Quoniam vt ab Arist. locis multis scriptum est, enunciatio ex eo vera dicitur quia in ea cum re subiecta id consentit, quod ipsa oratione exprimitur. An num igitur ex his efficitur humanæ essentiæ communionem quandam in Socrate & Platone esse oportere, cum de vtroque secundum essentiam homo verè enunciari dicatur? Sciens alia multa prætereo. Quoniam nec ad confirmandum quod volumus, nec ad redarguendam opinionem contrariam, hac in parte rationes nobis deesse possunt. Sed eis qui modestè veritatem inuestigant, non ad vanam contentionem omnia referunt, ista poterunt esse satis. Quare veniam ad institutam comparisonem idearum cum vniuersalibus, si prius hoc vnum addidero, obstinatum studium superioris opinionis defendendæ, alium errorem peperisse, eorum qui vniuersalia non omnino quidem tollunt, sed ea tantum esse volunt quando intelliguntur: nihil verò habere in natura quod mentis notioni respondeat. Sic enim ex Boetho scripsit D. Thomas lib. de vniuersalibus, in natura nihil esse actu vniuersale, sed tale tantum fieri per operationem intellectus. Quod mihi sanè perinde est, ac si ille diceret colores in natura nihil actu esse: sed tales effici quando re ipsa videntur. Quæ etiam opinio suos assertores habuit, sed ab Arist. est damnata, sicut à nobis postea suo loco pluribus explicabitur. Atqui vt sensus rerum obiectarum essentiam nõ immutat, sed ab illa potius immutatur, nec ille re ipsa sentiendo facit vt res singularis esse incipiat, quæ antea nulla erat, sed tantum hanc per mediam imaginem, quæ etiam singularis est, in se concipit: sic neque intellectus intelligendo facit id quod vniuersale dicimus (alioqui hoc in nobis, singulis ferè temporum momentis nouum oriretur ac interiret quod Arist. ortus ac interitus expers esse vult) sed hoc in communionem naturæ rerum singularum semper existit, etiam si à nemine adhuc re ipsa intelligatur: quemadmodum Aristoteles quædam re ipsa scibilia & numerabilia esse ait, quæ re ipsa neque sciuntur adhuc, neque numerantur. Per notionem

notionem autem communem, de rerum singularum imaginibus excitatam, illud intellectus comprehendit, & absentia nihilominus quam præsentia quotiescunque vult cõtemplatur & intelligit. Itaque sic videtur esse constituendum: in animo nostro duo esse genera imaginum, res eas quæ in natura sunt, representantium: vnum earum quæ singulares sunt, & ad interiorem sensum vel ad phantasiam pertinet: alterum notionum communium, quæ in humano intellectu ex singularum imaginum comparatione efformantur. De quo mihi (quam repugnantibus permultis) dictum esse videtur cap. 1. lib. 1. de animo, animal vniuersale, aut nihil esse, aut esse posterius. Vt verò neutra imago vana sit, sed in rebus quæ extra animum sunt habeat distinctum aliquid quod ipsa quoque animo distinctè representat, in illis duplicem esse naturam, vnam singularem, numerabile & hoc aliquid, per se ac separatim existètem (sic enim Aristoteles de ea loqui solet) quam interior sensus per hanc singularem imaginem percipit: alteram, quæ sit quale aliquid, vt idem loquitur in Categoriis, non ab aliis separata, & tamen in communionem rerum singularum verè existens: quam intellectus ab ipsarum rerum sensilium proprietatibus abstrahens, per notionem contemplatur. Atque sicut in interiore sensu, nõ est ipsa substantia, vt Socrates, sed huius imago tantum: sic neque in intellectu substantiam vniuersalem esse, quæ naturæ communio est in multis, sed eius solam notionem. Quo modo dictum videtur ab Arist. cap. 5. lib. 2. de animo, sciètiã rerum esse vniuersarum, quæ quodammodo in animo sitæ sunt. Et apertius cap. 8. lib. 3. necesse est, inquit, aut res ipsas esse in animo, aut certè earum species ac imagines. Non ipsæ quidem certè. Neque enim lapis in animo est, sed eius species. Sed de hac quæstione satis: nunc vt erat propositum, ad comparisonem idearum cum vniuersalibus veniamus. In qua ridiculum omnino est & à doctrinæ Platonice atq; Peripateticæ maxima ignorance profectum, quod scribit Thesalus methodicus lib. 3. suarum Animaduersionum, Platonis ideam nihil esse aliud quam genus logicum, quod à Porphyrio definitum: vel quod idem contendit lib. 6. scholarum Metaphysicarum, nullam ideam à Platone positam, quæ secundum essentiam sit à rerum singularum communionem separata. Nobisque potius tenendum est, hanc à generibus & vniuersalibus Aristotelicis differre, quod idea secundum suam perfectionem summam, in sola mente diuina sit, in rebus verò singulis, tantum per adumbratam quandam imitationem, sicut exemplar in suis imaginibus: vniuersalia autem, sicut modo dictum est, vt substantiæ perfectæ, sint in communionem rerum singularum: in intellectu, per notionem tantum, tanquã per imaginem, quæ huic illam naturæ communionem representat.

Idearum cum vniuersalibus comparatio. Thesali opinio puerilis de Ideis.



Ex quo etiam intelligi potest (quod fortasse in hac quaestione Thesfalum decepit) in Aristotelis doctrina res quidem singulas vniuersis & apud Platonem easdem ideis participare: sed tamen participatio- nis modo omnino dissimili. Siquidem vniuersalia tota atque perfe- cta apud Arist. in singulis sunt, per seque omnino talia, quales suapte natura res singulae. Adeo vt per se caduca esse dicantur, si sint in com- munionem rerum singularum suapte natura caducarum: eademque a- terna tantum, quia in illarum rerum perpetua successione per ortum conseruantur. Vt exempli gratia, homo apud Arist. per se mortalis est, quoniam singuli homines suapte natura mortales, & quia hoc ipsum in eius definitione, quae vniuersalium est, vsurpatur: omnesque defi- nitionis partes definito per se inesse oportet, vt idem docet cap. 4. lib. 1. Analyt. post. Hic vero aeternus tantum, quia dum homo perpetuo circulo hominem gignit, in eo hominis natura communis perpetua- tur. At hominis idea per se immortalis est, etiam si eius imagines in fluente materia expressae, caducae sint & mortales. Indequo natus est contra ideas locus ille nobilis quem ex lib. 6. Top. paulo ante com- memorauimus. Adde quod Aristoteli omnia quae eadem specie essen- tia participant, in hac ex aequo conueniunt. Quoniam ratio cuius- que speciei, in indiuiduo, tanquam in puncto, est posita: ideoque in Me- taphysicis ea dicitur similis numeris atque figuris: quibus si minimu addideris, vel detraxeris, speciem ipsam immutari est neesse. Platoni vero gradibus variis distincte sunt eiusdem ideae imagines, neque, in ha- ru vlla tota ipsius ideae natura, siue perfectio, potest cadere. De quo Platonem initio Parmenidis loquentem audiamus. Hoc igitur mihi dic, inquit Parmenides, videntur ne tibi, vt aiebas, species quaedam existere & ea quae illis participant illarum cognomen sortiri? Veluti similitudine participata, similia, magnitudine magna, pulchritudine & iustitia, pulchra & iusta vocari? Et maxime quidem, inquit Socra- tes. Nonne quodcumque speciei particeps sit, vel totam speciem, vel partem participat? An est alius praeter istos participandi modos? Et quis alius? Socrates ait. Vtrum videtur tibi tota species in vnoquoque multorum esse vna existens? an aliter? Quid prohibet esse vnam? V- num ergo & idem in multis seorsum positus, totum simul vnum erit, atque ita ipsum a se ipso seorsum existet. Nequaquam, inquit Socra- tes. Verum sicut dies vnus, idemque vbique simul adest, nec ipse tamen a se ipso secernitur: ita nihil prohibet quamlibet speciem vnam & ea- dem simul multis adesse, nec tamen a se ipsam secerni. Quibus expo- sitis iam expendamus in Porphyrij praefatione tres illas quaestiones, quae huius controuersiae inter Platonem & Aristotelem potissima ca- pita continent. Ego, inquit, praetermissis obscurioribus quaestionibus

Tres quaestio- nes Porph. de ideis & vni- uersalibus.

eas interim tractabo quae ad sensum popularem accommodantur. Ac primum ne longè abeam, de generibus ac formis consistant ne ipsa, an in solis animis sint: & si consistant, vtrum corpora sint, an ne corporis expertia: & num separari possint, an in sensibilibus & circa haec consistentia, dicere praetermittam: quod arduum sit eiusmodi negotium maioréque egeat inquisitione. Hic tres quaestiones sunt: quae quanquam academiae nostrae Thesfalo methodico, facillimae vi- sae sint (quid enim, inquit ille, facilius est quam dicere vocabulo- rum significationes & notiones animo contineri, res autem significa- tas extra esse?) difficilem tamen habent, nec eandem in Platonis & Aristotelis doctrina explicationem. Quoniam istam nobilem de i- deis & vniuersalibus controuersiam quodammodo continent. Quam Porphyrius Platonius, Chrysaorio discipulo ad Aristotelem viam parans, hoc loco voluit indicare. Earum prima est vtrum genera ac formae consistant: an in solis nudisque notionibus sint posita. In qua, consistere, significat in rerum natura existere: ideoque ei quod in sola nudaque notione versatur, ex altera parte opponitur. Cum vero nihil separatim existat, nisi singulare & hoc aliquid, vtraque, vniuer- salia inquam & ideae, consistunt vel existunt, non separatim, sed in singularum rerum communionem. Nec tamen in hac eodem modo. Nam Aristotelis vniuersalia, vt opinor, secundum perfectionem es- sentiae existunt tantum in communionem rerum singularum: non tan- quam in alio, ne quis cogatur fateri eas in illis esse, vt in subiectis, ac- cidentium more, sed tanquam in se ipsis. In intellectu vero esse di- cuntur quodam modo per aliud, hoc ipso scilicet quod eorum essen- tia in communionem rerum singularum verè existens, intellectui re- praesentatur per notionem tanquam per imaginem. Platonicae verò ideae, secundum suam perfectionem summam, sunt in sola mente pri- mi opificis Dei: nec hoc modo cadunt in existentiam rerum, sed in hac tantum deprehenduntur per imaginem quae partibus materiae communicatur, & in his adumbrata, res singulas efficit numero dif- ferentes: quarum est proprium consistere vel existere. De quo lege- re oportet quae vno libro ex Platoniarum doctrina disputat Ploti- nus, intelligibilia scilicet non esse extra intellectum. Quibus ita po- sitis, reliquarum duarum quaestionum quae ab eodem Porphyrio su- biiciuntur, explicatio facilius esse videtur: modo in eis semper at- tendamus quid Platonium sit, quid Aristotelicum. Nam quod se- cundo loco proponitur, Si ipsa consistunt, vtrum corpora sint, an ne corporis expertia, in ideis ita accipiendum est, vt omnes haec per se om- nino corporis expertes esse dicantur: etiam si de his quaedam sint rerum cor- porearum. Per imagines autem in reb' singulis expressas, partim corporeae,

HH ij



partim corporis expertes. Vniuersales verò substantiæ apud Aristor. per se tales sunt, quales res singulæ, in quarum communione existunt: rerum scilicet corporearum corporeæ, incorporearum incorporeæ. Quanquam omnes harum notiones in intellectu, corporis sunt expertes. Vt vniuersalis substantia animalis, per se corporea est: quoniam singula animalia suapte natura corporea. At ea notio quæ intellectu talem naturam representat, non nisi corporis expert esse potest. In tertia quæstione, num hæc separari possint, an in sensilibus & circa hæc consistentia? repetendum est quod pluribus antea disputatum de vniuersalibus & ideis, quo modo in ipsa mente sint, & in rebus singulis. Idearum enim summa perfectio à rebus singulis separata est: earundem imago his inhæret, vel potius in his consistit. Vniuersalis autem substantia non est, vel non consistit, nisi in rebus singulis: nec tamen vt antea dictum est, accidentium more, sed vt ea quæ rerum singularum essentiam constituit & continet. Notio ab his cogitatione abstrahitur, & in intellectu, vt affectio in suo subiecto, recipitur. Nunc sequitur vt quoniam idea apud Platonicos, vnum est vniuersæ naturæ principium, de comparatione huius cum physiciis principiis ab Aristor. positis, moneamus non satis aptè à nonnullis illam conferri cum priuatione Aristotelica. In intelligentia, aiunt illi, fons est idearum, siue exemplaris causa. Quam longè melius introduxit ab antiquis sanctisque edoctus Plato, quam eius discipulus Aristor. suæ priuationis somnium. Nam priuatio illa quæ semper est cum informi materia, ea est perinde ad quoduis incertum, sicut ad quoduis determinatum. Cum autem Deus faciat semper determinata ex determinatis & nunquam incerta ex incertis, est omnino necessarium, vt causa illa exemplaris non tantum generalis, sed specialis & indiuidua ponatur, & vt illa priuatio, quæ nihil planè conducit, exhibetur & repudietur. Quadrarent autem Peripatetica dogmata cum Academicis non dubiis, sed affirmandis verisque, si loco illius priuationis frustra inter causas positæ, ponerent Aristotelei speciarum illam causam omnifaciã, quæ est in intellectu agente. Quia causa exemplaris illa est mouens omnia & singula vt in finè, &c. Melius, vt opinor, cū Aristotelica forma, quæ cum priuatione potuit comparari: ad quæ quo modo se habeat à nobis dictum est Cõmentario in li. 1. prioris nostræ descriptionis, physice. Quo etiã loco quædam adducta sunt ad defensionem priuationis quæ ille in primis principiis numerauit. Aliter Io. Reuchlin, nec scio an maiore probabilitate, lib. 2. artis cabalisticæ, in principiis Arist. priuationis vsus cum opifice rerum omnium deo à Platone posito, comparauit. Cum oporteret tertium aliquid ponere, inquit, quo vniantur materia & forma (nec enim spõ-

Idea comparatio cum priuatione & forma Arist.

te confluunt, nec contingit fortuitus quarumlibet formarum cõcursum in materiam: neque vnius rei materia contingenter rei alterius formam recipit) necesse est principium aliud quam priuationem Aristotelicam adducere, quo moueatur forma ad materiæ desiderium: ita vt cessante hac & hac forma, introducat vicissim ista quædam & ista. Nam priuatio & potentia, nihil substantiuè agunt, cum sint nullius actiuitatis realis, ob idque minimè entitatis. Quantò magis certam formam alicui materiæ iungere aut vnire nequaquam possunt? Vnde inuenti sunt qui dicerent loco priuationis motum esse tertium principium. Qui cum sit accidens, quo modo erit principium substantiæ? aut quis eius motus erit motor? Quare sapientius contemplati Athenienses ambo Socrates Sophronisci & Plato Aristonis, pro motu seu priuatione, agillimorum actiuorum posuerunt deum, dicentes tria esse rerum principia ideam, deum & materiam. Pro quibus Pythagoras posuit infinitum, vnum & duo: infinito deum, ideam vno, duobus autem ipsam materiam significans. Sed de comparatione idearum cum vniuersalibus cūque Aristotelicis vniuersæ naturæ principiis, satis dictum est: nunc ex his quæ initio proposita, reliquum vt in hoc Alcinoi contextu expendamus quarum rerum idea sint, aut non sint à Platone positæ. Multis Platonice, inquit Alcinoi, minimè placet eorum quæ arte cõstant ideas esse, vt clypei, vel lyre: neque eorum quæ præter naturam, vt febris, ac bilis non naturalis: neque etiam singularum, vt Socratis & Platonis: Neque vilium vel abiectorum, vt sortidum, atque festuca: neque relatorum, vt maioris & excedentis. In quibus cum quinque enumerentur quorum ideas esse Platonice nolerunt, de singulis suo ordine differendum. Primum verò eorum quæ arte constant non sunt ideas, nisi per quandam rationis similitudinè, hoc ipso scilicet quod artifices in rebus singulis efficiendis, dei in natura prouidentiam imitantur. Sic enim, (quod paulò antè obseruatum est) Cicero Platonice imitatione, eloquentiæ ideam ponit in Oratore, & ipse Plato initio lib. 10. de Republ. mensæ & lecti ideam agnoscit. Nam vt naturæ opera dei sunt opificis & in illis diuinæ intelligentiæ (quæ ipsa dicitur essentia & idea) quædam est imago: sic artificia quæ vel sola rerum naturalium imitatione constant, vel ab ingenio naturali arte tamè exculto, elaborantur, quanquam propriè ideas nõ habeant, ratione tamen hominis in his opificem deum imitantis, illas quodammodo habere videntur: vt docet Plotinus cap. 11. lib. de intellectu & ideis. Quod etiam in Platonice doctrina Arist. obseruat lib. 12. Metaph. Multa quoque alia fiunt, inquit, quorum ideas Platonice non dicunt, vt domus & annulus. In quem locum sic scribit Syrianus. Ideas opificias, inquit, eorum quæ nec sunt in natura, nec à na-

Idea quartæ verò non sine à Plat. posita.



tura fiunt, non reliquerunt Platonici: nec artificialium ideas esse putabant intelligibiles & diuinas: sed rationes exemplares operatorum artificiales, non illis tantum placuit animis artificum inesse, sed ab Arist. idē multis locis est existimatū. Deinde cum Arist. in artificialibus exemplaria admittat, in naturalibus verò hæc respuat, ab eodem Syriano in eo sic exagitur. Quo pacto, inquit, res artificiosas per exempla accuratè fieri concedens, & in his non reuens exemplarem causam, naturæ opera, quæ certè ars imitatur, absque intentione perfici dicit, cum ad nullam determinatam causam naturalis actio referatur? Et si ipse quoque Aristoteles alicubi dicat à natura formam appeti: sed rationem non explicat. Quam enim formam appetit? inquit Syrianus. Illam ne quæ in motu fertur & materialem? Sed hanc nondū fecit & est natura ipsa posterior, & informi subiecto coniungitur.

Absurdum verò est naturam quod nondum est, concupiscere, quòdque posterius est & vna cum priuatione defertur: & ob hoc turpe quiddam sit ac inamabile. At si eius quæ separabilis est, formam diligit, quæ & vera est & prior ipsa & diuina & reuera forma, necesse est hanc esse intellectualem & immaterialem & semper in eisdem & eodem modo se habere, vt & naturæ desiderium inextinctum sit & indeficiens actio. Ex quibus etiam intelligi potest quod secundo loco Alcinoius, ait eorum quæ præter naturam sunt, ideas non esse à Platoniciis positas. Nam si hæc exemplaria sunt diuina & intelligibilia dei, naturam instituentis & moderantis, eorum quæ sunt præter naturam, esse nullomodo possunt. Sed quænam præter naturam à Platoniciis esse dicantur, quæque talia reuera sint existimanda, quæ actio est. Omnia quæ præter naturam sunt, illi in malis numerant: maiorumque deum causam esse negant. Ex quo est consequens, neque eorum ideam esse. Quoniam hæc ab illis definita est, dei ipsius res procreantis, intelligentia. At verò cum malum dicatur & de vitio, quòd culpæ à Theologis tribuitur, & de eo quod in corpore atque fortunis in deteriorem partem homines exercet, quòd ijdem pœnæ esse volunt, de utroque non est eodem modo statuendum.

Reram quæ præter naturam cur non sint idea.

Malorū autem deum causa sit

Culpæ enim siue peccati deus neque apud nos, neque apud Platonem, vlllo modo author est. Quare neque eius vlla omnino idea. Pœnæ autem quæ numerantur in malis, hoc ipso bonæ sunt, quòd à peccatis homines auocant. Quo modo illarum apud Platonem deus causa est, & quod est consequens, earundem idea. De quibus extat nobilissimus locus libro. 2. de Republ. Si quis, inquit, iambica inducat in quibus passiones Niobes referantur, vel Pelopidarum, vel Troianorum, aut aliquid eiusmodi, vel finendum non est eum dicere hæc dei esse opera, vel si dei sunt, educenda est in his ea quam nunc

querimus ratio, dicendumque deum quidem bona iustaque egisse, atque eos puniendo iuuisse. Quod verò miseri sint qui pœnas pœdunt, sitque deus qui sic affligit, pœnam dicere non est permittendum. Sed si diceret malos homines, vt pote miseros, pœnis egere, easque soluentes à deo iuari, permittendum. Malorum autem alicui causam esse ipsum deum, cum bonus sit, refellendum est omnino, neque permittendum hoc quemquam dicere in sua ciuitate, si bonis institui legibus ciuitas debet: neque insuper quemquā audire, siue sit ille iunior, siue senior: siue carminibus hæc inserantur, siue soluta oratione narretur: tanquā neque dicta sancta sint, neque nobis vtilia, neque inter se consona. Hinc verò existit eiusmodi dubitatio. Si mala ea quæ culpæ diximus nominari, neque à deo sunt, neque ad aliud principium referri possunt (ne cum Manicheis cogamur cōminisci duo contraria prima principia vniuersi, vnum boni, alterum mali) vnde igitur hæc extiterunt: aut quo modo poterunt cognosci? D. Dionysius Areopag. priorem quæstionem fusissimè tractat lib. de diuinis nominibus, atque omnino negat malū eiusmodi debere numerari inter ea quæ sunt. Quoniā, inquit, si omnia quæ existūt, ex bono sunt, omnibusque bonū inest continētq; omnia: certè in his malū esse non potest. At forsitan in bono malū erit? Minimè. Nā nec in igne est frigidū, nec malum vllū in se admittere potest, quod malum etiam reddit bonū. Deinde quod de duobus Manichæorum principis paulò ante dicebatur, idem ita euertit. Neque rursus possibile est, inquit, duo esse rerum principia & inuicem & in vniuerso contraria atque repugnantia. Si enim id concedatur, nec deus ipse à derrimento molestiaque procul aberit. Si quidem non desit quod ipsum quoque perturbet. Ex quibus tandem concludit, malum sola boni priuatione contineri: cuius sibi causæ sunt res ipsæ natura constantes, cum errore aliquo à sua integritate recedunt. Scitum est quod in eandem sententiam dicitur à Mercurio Trismegisto cap. vltimo Pimandri. A deo factore, inquit, nihil malum nihilque turpe. Hæc si quidem passiones sunt, creata opera sequentes, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor, cœnum & fordes. Eodemque modo nec deus etiam malum. Generationis autem perseveratio, malum sur-repere cogit. Eaque de causa mutationem deus rebus instituit ceu quandam ipsius generationis purgationem. Similis est sententia Athanasij in oratione contra idola. Nullum malum, inquit, nec à deo, nec in deo, nec ab initio extitit, nec vlla est eius substantia. Sed homines per priuationem imaginandi cogitandique boni, sibi illud quod malum est, comminisci cœperūt, effinxeruntque



pro libidine ea quæ non erant. Vt enim si quis sole præsentē & vniuersa terrarum suo iubate illustrante, conuiceat clausis oculis, ac inde tenebras, quæ nullæ sunt, animo fingat, ac postmodum quasi in tenebris ambulans, oberret, vt nunc labante gradu procidat, nunc ad præcipitia se incitet, arbitratus non lucem sed tenebras esse, seque inuerti, cum nihil videat: ita quoque mens humana clausis oculis, quibus deum contemplari poterat, effectis sua imaginatione, malis, in his sese agitat ac mouet, nesciens interim se nihil agere, dum se maximè negociosam præbet. Et quæ natura non subsistunt, animo comminiscitur. Non enim qualis à principio fuit condita, talis permanet: sed qualem se ipsam contaminando reddit. Condita enim est vt deum spectet, & ab eo illustretur: ipsa verò pro deo, mortalia & tenebras exquirit: vt alicubi spiritus scripto prodidit, Deus hominem rectum fecit: ipsi autem exquiritur multiplicia commenta. Malitiæ igitur inuentio & excogitatio, hominibus ab initio ita excita & conficta est. De cognitione verò mali (quæ erat altera quæstio) quo modo parari possit, si eius nulla est idea, sic scribit Plotinus eo libro quo inquit de malis quæ, & vnde sint. Cæterum dubium est, inquit, quam potissimum ex viribus quæ nobis insunt, mali naturam percipiamus.

Quippe cum cognitio singulorum per similitudinem quandam perficiatur. Intellectus namque & anima cum species quædam sint, species quoque cognoscunt, easque naturaliter appetunt. At verò malum nemo sub speciei ratione potest effingere: cū in quadam boni totius absentia cogitetur. Quod si quia contrariorum eadem scientia est & bono contrarium est malum, ideo eadem boni malique notitia erit, profecto necessarium est cognituros mala, discernere bonum. Quandoquidem præstantiora ritè præcedunt, ac species antecedunt ea quæ non species, sed priuationes potius indicantur. De qua quæstione vide plura apud D. Thomam cap. 71. lib. 1. contra Gentes. Locus est tertius in contextu Alcinoi de singularibus: quod horum non sint ideas

An singularium sint idee.

nisi per speciem in qua vniuntur. Quoniam idearū diuersitas in imaginibus quæ respondet, speciei distinctionem parit: res autem singulæ solo numero differentes, solius materiæ partitione, non specie distinguuntur. Itaque sicut Socratem à Callia specie differre, omnino à philosophia alienum est (in quo Thesalus Methodicus ex suis poetis & iureconsultis suo more nugatur) sic apud Platonem absurdum est Socratis & Calliæ differentes ideas ponere. An igitur ex Platonicorū sententia deus singularia nō cognosceret, si eorū idea non est per quam hic res omnes dicitur ab illis intelligere? Absit. Nam Proclus libro de decem dubitationibus contra prouidentiam, de vno rerum omnium principio ita loquitur: Illud cum in vno maneat, inquit, spatio carens &

Malum quo modo cognoscatur.

In deo qualis singularium cognitio.

& omnis diuisionis expers, omnia eodem modo intelligit: nec hominem solū & Solem & quod est eiusmodi: sed etiam rem quamque sigillatim. Nihil enim est quod illud vnū effugiat, seu esse, seu cognosci dicas. Quo igitur modo ille singula cognosceret? Vt hæc vniuntur. Prouidentia enim, vt idem ait eodem loco, in vnitatem cognitionis, in eodem impartibili omnium est quæ diuiduntur cognitio: tum earum rerum quæ maximè sunt indiuiduæ, tum earū quæ totius naturam retinent. Et quemadmodum sua vnitatem rem quamque produxit, ita & vnitatem vnāquamque cognoscit. Obscurior est Plotinus cap. 1. lib. eius quo inquit an singulorum sint etiam ideas, nec satis definitè de eo suam sententiam exprimit. Nunquid vniuscuiusque, inquit, est idea? Forsitan si ego & vnusquisque ad intelligibilem redigimur ordinem, ibi quoque est vniuscuiusque principium. Forsan etiam si semper est Socrates & Socratis anima, ipse Socrates erit, quatenus anima singularitatem, sic ibi Socrates & quilibet singularitatem. Sin autem non semper est Socrates, sed alias alia quodammodo euadit anima, adeò vt animus qui nunc est Socrates, prius Pythagoras aliūque fuerit, futurusque sit alius, non amplius vnusquisque eorum qui hic sunt, est & ibi. Veruntamen si vniuscuiusque anima seminarias rationes habet omnium quæ exequitur, atque explet: rursus ibi sunt omnes. Nam fatemur quot mundus rationes habet, totidem quoque singulas animas possidere. Quare si mundus non hominis tantum, sed singulorum etiam animalium, complectitur rationes, anima quoque rationes continet singulorum. Quamobrem sequetur infinitus numerus rationum: nisi certis temporum cursibus in idem restitutio fiat. Ita profecto infinita ipsa finita demum erit, quando eadem mundo reddetur. Cæterum si quæ sunt omnino plura sunt quam exemplar, cur nam oportet omnium quæ in vna mundi reuolutione fiunt, rationes exemplariæ extare? Videtur enim sufficere homo vnus ad omnes homines, quemadmodum & animæ numerata ad innumerabiles homines effingendos. Sed enim non potest vna esse ratio differentium. Neque sufficit homo ad exemplar multorū hominum differentium, non materia tantum, sed quā plurimis insuper propriis differentiis. Nō enim hæc ita se habet vt imagines Socratis ad exemplar: sed differentem effectiōnem necessariū ex differentiis rationibus proficisci. Vniuersa verò reuolutio, omnes complectitur rationes. Eademque rursus per easdem rationes regeneratur. Neque verò suspicandū est ne hinc in mundo intelligibili infinita multitudo sequatur. Tota enim illic multitudo in quodam indiuisibili continetur & quasi illinc procedunt singula, quādo agit. Hactenus Plotinus. Ex cuius verbis nō est facile de quæstione propofita statuere. Itaque de hac nostros potius, ad quos etiam



ea pertinet, audiamus. Deū non cognoscere singularia, sentētia est ab Academia parisiensi merito iā pridem dānata. Quo verò modo hęc di-
stinctē cognoscat, conatur explicare D. Thomas ca. 50. li. 1. cōtra Gēti-
les. De eōq; idē ita scribit Articulo 11. quest. 14. Sūmā. 1. Cū deus, in-
quit, causa sit rerum per suam essentiam, in tantum se extendit scien-
tia dei, in quantum se extendit eius causalitas. Vnde cum virtus actiua
dei se extendat nō solum ad formas à quibus accipitur ratio vniuer-
salis, sed etiam vsque ad materiam, necesse est quod scientia dei vsque
ad singularia se extendat, quæ per materiam indiuiduātur. Cum enim
sciat alia à se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum,
vel vt principium actiuum earum: necesse est quod essentia sit princi-
pium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt, non solum
in vniuersali, sed etiam in singulari. Quartum erat de rebus vilibus &
abiectis quod earum ideæ non sint à Platonicis posita. Id verò non si-
ne magna dubitatione est. Quid enim? an rerum eiusmodi deus opi-
fex non erit? Hoc Platonicis videntur arbitrari: quod eas diuina maie-
state indignas iudicarent. De quibus sic apud Platonē Parmenides.
Vtrum de iis, inquit, etiā dubitasti ô Socrates, quæ ridicula forte quis
putet, sicut de pilis lutōve & macula & aliis ignobilissimis rebus at-
que vilissimis? Num ambigis vtrum ponenda sit horum cuiusque se-
parata species aliud quiddam ab illis existens quæ nos pertractamus,
an nō? Nullo pacto, inquit Socrates, sed quæ videmus hęc & sunt, spe-
ciem verò quandam illorum esse putare forte nimis ridiculum esset.
Apertiora sunt quæ de eadem quæstione scribit Plotinus capite vlti-
mo libri de intellectu, ideis & ente. Quod quæritur, inquit, nun-
quid sit species eorum etiam quæ ex putrefactione fiunt, diffici-
liūque & admodum molestorum, item sordium atque cœni, di-
cendum est quodcunque mens ducit à primò, omnia esse optima,
in quibus vtique speciebus hęc non insunt. Neque ex his men-
tem accipere, sed animam à mente quidem accipere, admittere in-
super à materia plurima, in quibus hęc accidunt. Verum de his aper-
tius explanabitur si ad dubitationem illam regrediamur, qua quæri-
tur quo modo ex vno profluat multitudo. Iam verò constat illa com-
posita quæ frustra temerèque fiunt, nec mente, sed suo quodam impe-
tu in hoc sensilium genere confluunt, speciebus ipsis minimè conti-
neri. Præterea quæ putrefactione fiunt, ex quadam animæ sorte con-
tingere, tunc forsā aliud non potentis. Alioquin fecisset procul du-
bio aliquid naturæ potius consentaneum. In quibus sentire videntur
Platonici de istis vilibus rebus omnibus idem quod Aristoteles de
monstris, errores scilicet esse ipsius naturæ, materię vitio magna ex
parte enascentes, ideòque illarum causas exemplares in opifice deo

*Res vilis
an sit idea.*

non quæredas: quando earū opifex esse nō videtur. Quanto melius D.
Hieronymus commentario in Ioëlem. Vt potentia dei in Ægyptiis
plagis ostensa est per parua animalia & præcipuè Cyniphes (qui tam
parui sunt culices vt vix cernantur oculis) sic & nunc, air, in paruo tar-
dòque vermiculo qui vix moueri potest & leui tactu conteritur, dei
potentiam & humanam imbecillitatem demonstrari. Non quod deus
ad nutum suum, inquit, & potentia maiestate nequeat terras subuer-
tere & operire cuncta diluuiò, vel fulmine concremare, sed per parua
& vt ita dicam, puncta corporum, ostendit humanam fragilitatem.
Hęc quidem D. Hieronymus de animalibus quæ vilia esse putantur.
Quibus illud adiicio, acuto & diligenti rerum Physicarum obserua-
tori non minus admirandam videri naturæ vim, vel dei naturam re-
gentis prouidentiam, in spontanea generatione animalium ex mate-
ria putrescente, quam in aliis quæ ex similibus seminibus nascuntur.
Amplius verò si à deo cognoscuntur omnia per ideam ingentam, ex
his quæ à nostris Theologis disputantur, efficietur vilium ideam esse
ponendas. Quoniam D. Thomas cap. 70. lib. 1. contra Gentiles, con-
tendit hęc à deo cognosci: nec verò horum cognitione diuinam ma-
iestatem imminui: etiam si contra dictum ab Arist. videatur li. 12. Me-
taph. vilia melius ignorari, quàm cognosci. Quintum est & postremū
de relatis, quorum ex Platonicorum sententia ideam esse negat. In quo
Aristoteles cap. 4. lib. 12. Metaph. inconstantia eos arguit: quod ratio-
num earum quibus utebantur ad probandas ideam, exactissimè, etiam
relatorum ideam esse confirmarent. Hoc verò Syrianus Platonicus co-
natus est dissoluere facta relationum distinctione, isto modo. Habi-
tudinū non substantialiū, inquit, ideam esse non dicimus, aut earū quæ
sunt in motibus, aut quæ secundum aliquem situm non naturalem
perficiuntur, vt superioris, inferioris, dextri, sinistri, vicini & aliorum
huiusmodi. Quæcunque verò per alicuius ideam participationem ad
aliquid facta sunt, vt similia, aut æqualia, aut diuersa, hęc cum aliquo
genere entis participēt, altera verò minimè: omnino aliqua vna idea-
rum coordinationem inter se recipiunt. Et quid mirandum est si eorū
quædam quæ apud nos sunt, per illa dicimus ad aliquid fieri, cum e-
tiam ibi hanc relinquamus habitudinem. Substantialem verò non
nos tantum sed & ipse Aristoteles? Cum enim hoc causam aut princi-
pium esse dicimus, aut primum, aut continens, alterum verò causatum
ex principio, aut secundum, aut contentum, quid aliud facimus quam
quod ordinem quem habent diuina inter se, enitimus ostendere? Pla-
cet autem ipsi quoque Aristoteli separabilium formarū quibus spher-
as vniuersi deuincit, has quidem esse primas, illas medias, quædam
vltimas, & illas quidem maioris ambitus esse, has verò minoris: si

*An relato-
riū sit idea.*



quidem hunc habent etiam inter se ordinem quem & ætheris spheræ inter se ostendunt. Atque hæc quidem quinque quorum non esse ideas ex Platoniorum sententia hoc loco obseruat Alcinoi. Addit verò Aristoteles cap. 6. lib. 1. Ethic. Illos non posuisse ideas eorum in quibus prius, posteriùsque dixissent: atque idcirco numerorum ideas esse noluisse. Quod de sensilibus numeris apud eos intelligendum. Aliter enim Pythagoras formarum & idearum dominum esse dixit numerum, eundemque rerum omnium constitutorem & procreatorē. Sicut & Hippasus eo contineri voluit instrumentum dei, mundum fabricantis ac eiusdem exemplar. Hæc isti referentes ad numerum separabilem, vel potius ab ipsis sensilibus separatū. Neque verò partiū, vt capitis vel manus, ideas esse volebant: siue quia harū essentia toto posterior est, vt Aristoteles scribit lib. 1. Metaphys. siue quod earū ratio non est absoluta, sed posita in quadā relatione ad totū. Ex quo idē dicere solet partes à toto separatas nō manere nisi homonymos. Vel vt ait Syrianus Platonius, quod integræ existentes rerū causæ, totas species & formas producant, non diuisæ sint circa harum partes, velut naturæ rationes. Illis autē omnibus idē Syrianus hæc adiicit, nec Platonios priorum corporibus accidentiū in intellectu determinatas causas posuisse, vt dulcedinis, albedinis. Sufficere enim putabant naturales rationes ad actionē accidentiū corporib⁹. Sed nec compositorū, vt hominis sapiētis. Cū enim simplices sint ideæ, inquit simplicē cuiusque substantiā exponunt. Participare verò diuersis speciebus, mouet intellectū nostrum ad componendum hoc huic, aut diuidendum hoc ab hoc. Circa quod igitur est affirmatio & negatio, circa hoc & compositio est & diuisio. Ideæ verò & ideis coordinata intellectio, ab his omnibus exemptæ sunt, ob simplicitatis exuperantiam. Neque eorū quæ ex cōplexione dissimilium generū habent originem, vt mulorū. Neque eorum quæ ex diuersis arboribus conascuntur. Sunt enim hæc omnia posterius genita & aduentitia, & non solius naturæ opera, nec omnino secundum suas rationes procedentis, sed veluti iniuria affectæ & frustrata, vel laborare coactæ. Neque eorum operum quæ ab animæ proposito pendent. Ex quibus relinquuntur vniuersalium & perfectarum substantiarum esse ideas, & eorum quæ conferunt ad naturalem harum substantiarum dispositionem: vt hominis & eius quod hominem potest perficere, vt sapientiæ & virtutis. Sed hæc de ideis satis multa: nunc ad Alcinoi contextum reuertamur.

² *vōris*, quæ hoc loco de idea cum Deo comparata dicitur, siue intellectio, pro actu scilicet intelligendi, siue notio pro illius actus obiecto vsurpetur, in re parum interest. Quamquam cap. proximo, ideam vocat Dei energiam & actum intelligendo. Quoniam idea in Deo vtrūque horum est. Atque duo hæc quæ-

quam à seinuicem ratione sint distincta, re ipsa tamē cum Deo eadem sunt. Quia Dei essentia in perpetuo intelligendi actu posita est, & eius actus obiectum, ipsa est Dei essentia. Si quidem hic in se ipso semper intelligendo, sempiternam habet & incommutabilem essentiam. Quo modo idea in Deo nihil aliud esse videtur, quam Dei patris sempiterna & omnino immutabilis sapientia. Hæc vero ad nos relata, primum est intelligibile, sicut solis lumen primum aspectabile. Quoniā illa præstat nobis vt possimus intelligere, & rebus omnibus vt possint intelligi, nostrum intellectum illustrando & veritatem quæ in obiectis est recōdita, detegendo: quemadmodum lumen Solis oculo nostro præstat, vt videre possit, & rebus obiectis vt possint videri. Eadem Dei patris Sapientia, suæ perfectionis radios effundens in materiæ gremium, rebus singulis natura constantibus præstat originem: quarum idcirco prima summāque perfectio esse dicitur, cuius radij sunt in formis naturalibus ipsi materiæ communicatis. Quos quidē radios materiæ iam communicatos, Aristoteles naturæ genius primas corporū naturalium perfectiones appellauit: in natura nihil illis perfectius agnoscens. Plato autem diuina perfectionem hanc materiæ communicatam quoniam existimauit ab idea, vt imaginem à suo exemplari, emanare, idcirco materiæ perfectionem omnino primā, quam hoc *ἀίτιον* Alcinoi nominat, ideæ attribuit, secundam verò formis ipsis naturalibus, quas idcirco in primis naturæ principiis non numerat. Sicut à nobis obseruatum est Commentario in lib. 1. prioris nostræ descriptionis physicae. Quod perinde est ac si diceret causam primam fecunditatis eorum omnium quæ terra oriuntur, non esse positam in Solis radiis terra exceptis, sed in ipso sole à quo radij emanant. Cuius quidem exemplaris formæ siue idealis, confessionem nonnulli ab Aristotele volunt extorquere ex eo quod dixit li. 1. Physic. formam à materia appeti, sicut à deformi ipsum pulchrū: & lib. 2. naturam quæ vt ortus dicitur, ad formam tendere tanquam ad finem. Nam, inquit Syrianus Cōmentario in 12. Metaph. quam formam natura appetit? Illamne quæ in motu fertur & materiale? At hæc nondum est, & ipsa natura est posterior, & cum informi subiecto coniungitur: & absurdum est naturam id quod nondum est, concupiscere: quodque posterius est & vna cum priuatione defertur, & ob hoc turpe fit & inamabile. At si eius quæ separabilis est, formam diligit, quæ & reuera est & prior ipsa, & diuina & reuera forma, necesse est hanc esse intellectualem & immaterialem & semper in eisdem & eodem modo se habere. Vt & naturæ desiderium inextinctum sit, & indeficiens actio. Hæc vero ipsa Platonica idea esse videtur. Ideam vero sicut hoc loco Alcinoi *ἀίτιον* nominauit, cū ad materiam refertur: sic ab aliis Platonis eiusdem materiæ *ἀίτιον* dicitur. Quoniam vt per communes numeros omnia ad certum ordinem reducuntur, sub quo à nobis comprehenduntur: sic per ideam participationem sibi similia redduntur & in speciem, ordinem, pulchritudinem & vnitatem per eiusdem communicationem, adducuntur. Ex quo numerus vocatur quasi mensurās omnia, componens & amica faciens. Quod ipsius ideæ apud Platonios maxime est proprium.

3 Etiam si mundus hic apud Platonios habuerit originem, non eam quæ rationis est tantum, sed quæ rei: id est reuera aliquando esse incæperit, de quo postea suo loco disputabitur, eius tamen exemplar fuit æternum. Quia ab æterno in Deo patre opificæ, conceptæ rationes eorum omnium quæ mundo hoc continentur: sicut ipsum Verbum conceptum, apud eundem ab æterno fuisse dicitur ab ipsis Theologis. Porro hic attentè considerandum est quænam secundum naturam esse dicantur, vt intelligatur quorum à Platonis ideæ sint posita. A-



riforme secundum naturam sunt ea sola que continentur communi ordine causarum earum que secundum appellatur. Quae vero supra, vel praeter hunc ordinem diuina voluntate contingunt, ea a naturalibus separantur & per quandam excellentiam Deo attribuuntur: vt cum idem dixit lib. 1. de Caelo, Deum & naturam nihil frustra facere. An igitur talium apud Platonicos idea non erit, si exemplar est tantum eorum quae secundum naturam contingunt? Absit. Sed hic intelligamus potius his quae secundum naturam sunt, opponi tantum ab illis ex altera parte, ea quae infra naturam, vel etiam naturam contraria: non ea quae a Peripateticis praeter naturam vel supra eandem esse dicerentur. Quorum Deus causa est, quare & eorum idea. Illorum vero quae infra naturam sunt, vt fordidum, vel eorum quae naturam contraria, vt monstrorum & malorum, quia originem diuina maiestate indignam existimauerunt, neque ideas ponendas esse putauerunt.

4 Ratio haec est superiorum. Nam si ideae notiones Dei sunt aeternae & seipsis perfectae, habent igitur essentiam absolutam, non pendentes ex relatione ad alterum, aut ex hominum commentis, & vario apprehendendi modo pro diuersa rerum inter se comparatione. Cuiusmodi sunt ea quae in relatis numerantur. Haec enim definiuntur quae id ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, aut alio quouis modo ad aliud referuntur. Argumenta autem varia quae ex Platonice subiiciuntur ad confirmandum ideas esse ponendas, petita sunt a varia earundem consideratione quae initio capitis huius exposita. Formula vero argumentandi, ab affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis, quae Alcinoo hoc libro maxime familiaris.

5 Prima haec ratio ad confirmandas ideas, ducta ab earundem prima consideratione in Deo, est eiusmodi. Deus aut simplicissima mens est, habes suam essentiam in perpetuo intelligendi actu, aut substantia quadam cui hic intelligendi actus inesse dicatur: hoc autem magis quam illud, cum quadam concretionem videtur esse coniunctum. Siue autem hoc, siue illud Deo attribuimus, non potest esse sine perpetuo intelligendi munere: nullum vero intelligendi munus, sine intelligibili: quoniam hoc illius obiectum est. Ergo apud Deum semper & ab aeterno intelligentem, oportet sempiterna quadam esse intelligibilia: quae prima sint, sicut & ipse primum est intelligens. Eademque aeterna & immobilia: ne si haec mutantur, secundum ea Deus mutationem subeat, aut simul cum tempore nouam perfectionem acquirat. Quorum utrumque in ipso Deo parem absurditatem continet.

DEVM ESSE, PRIMVM OSTENDIT,

deinde quam difficilis huius cognitio, quaeque difficultatis causa sit, & quam varie homines ad eam soleant aspirare: postremo illum simplicissimum esse, & omnis concretionis expertem.

C A P. 9.

1 Deinceps de tertio principio differamus, quod penè inefabile Plato ponit. De ipso autem ad hunc modum infera-

mus. 2 Si sunt intelligibilia: haec autem nec sensilia, nec sensilibus participata, sed primis quibusdam intelligibilibus: sunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Verum autem est quod antecedit. Verum ergo quod sequitur. Homines quidem perturbatione sensuum occupati, quoties intelligibile quiddam contemplari volunt, in phantasia rei sensilis imagine implentur. Quo fit vt magnitudinem, figuram & colorem cum illo saepe animo comprehendant. Dij vero vt secreti a sensibus, pure, sincere & impermixte. 3 At quoniam intellectus animo est melior: intellectu autem eo qui in potestate est, is qui re ipsa omnia intelligit & simul ac semper: hoc vero pulchrior is qui huius est author & qui etiam his superior est, hic Deus primus est idemque causa vt mundi intellectus semper agat. Agit autem ille immobilis, in hunc, quemadmodum & 4 Sol in aspectum, cum illum hic intuetur. Atque vt appetendi principium appetitionem mouet, cum ipsum immobile maneat: sic & hic intellectus caeli vniuersi intellectum mouebit. Quoniam vero primus intellectus pulcherrimus est, pulcherrimum quoque intelligibile illi oportet subiici. Nihil autem ipso pulchrius. Se ipsum igitur sui que notiones semper intelligit. Hicque eius actus, idea est. 5 Quinetiam Deus primus aeternus est, ineffabilis, αὐτοτελής se ipso perfectus, ἀετελής, id est semper perfectus, παντελής, id est omni ex parte perfectus, Diuinitas, Essentialitas, Veritas, Commensuratio, Bonum. 6 Dico autem haec non vt separans, sed vt per omnia vnum intelligens. 7 Atque bonum quidem est, quoniam in omnia, pro cuiusque facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni causa sit. Pulchrum vero, quoniam ipsa natura amplius quiddam est, &



commēsuratum. Veritas, quia omnis veritatis principium est, ut Sol luminis. Pater verò est, quia causa omnium: caelestēque intellectum & mundi animum ad se ipsum suiq; notiones exornat. Nam secundum suam voluntatem omnia se ipso compleuit, mundi animum excitans & ad se conuertens. Quippe qui eius intellectus causa sit, qui à patre ornatus, in mundo hoc naturam vniuersam exornat. Ineffabilis autem est, & ut antea dictum, solo intellectu perceptibilis. ⁸ Quia neque genus est, neque species, neque differentia: imo neque accidit illi quicquam. Nam nec malum, nefas enim dictu id esset: neque etiam bonum, siquidem participatione alicuius & maximè, bonitatis, talis existeret. Neque differentia, non enim secundum eius notionem fieri potest: neque quale, non enim qualitate affectum est. Quia quod eiusmodi est, id à qualitate est perfectum. Neque verò qualitatis est expers. Quoniam nulla qualitate ad se pertinente est priuatus. Neque pars est cuiusquam: ⁹ neque ut totum ex partibus constitutum. Neque idem, vel diuersum. Quoniam in eum nihil cadit quo ab aliis secerni possit. ¹⁰ Neque vero mouet, neque mouetur. Erit igitur prima in eo intelligendo ratio per abstractionem horum. Quia & punctū intelligimus à sensilibus abstrahendo: primo quidem superficiem cogitatione comprehendentes, deinde lineam, postremo ipsum punctum. Secunda verò, in quadam rationis similitudine, hoc modo. Quam rationem Sol habet ad aspectum, & ad ea quæ aspectabilia sunt, cum ipse aspectus non sit, huic autem præstet ut videat, illis ut videantur: eandem profecto intellectus primus ad intellectionem quæ in animo est, & ad ea quæ intelliguntur. Neque enim est ipsa intelle-

ctio, perficit tamen in hac intelligendi actum, illis verò præstat ut intelligantur, veritatem quæ eis inest, illustrans. Tertia eiusdem intelligendi ratio, talis quædam erit. ¹¹ Contemplans aliquis pulchrum quod corporibus inest, ex eo progreditur ad animi pulchritudinem: hinc ad alteram, quæ in institutis ac legibus: deinde ad immensum pelagus ipsius pulchri. Ex quo ipsum bonum intelligit, & hoc amabile ac expetendum, velut splendorem in animum qui per hos gradus ascendit, resurgentem. Cum hoc autem cumque ipso Deo, intelligit, propter eam quæ in honorando est excellentiam. Partis quoque expertem intelligit. Quoniam illo nihil prius est. Pars autem omnis, & id ex quo aliud constituitur, id ipsum antecedit cuius pars est. Etenim planum prius est corpore, & linea plano. Cum verò sit partium expers, neque loco moueri potest, neque qualitatibus cōmutari. Quoniam si commutetur, vel à seipso, vel ab alio commutabitur. Si ab alio, illud certè Deo potentius esse oportebit. Sin à se ipso, aut in deterius, aut in melius eiusmodi commutatio fiet. At utrūque horum in iis est quæ fieri nullo modo possunt. Ex quibus omnibus perspicuum est ipsum quoque corpore carere. Quod etiā ex iis demonstrabitur. Si enim Deus corpus est, ex materia formæque constat. Quoniam corpus omne concretum quiddam est ex materia, formæque cum illo coniuncta. Quod quidem ideis similes efficitur & earum particeps, ratione quadam inexplicabili. Absurdum autem est Deum ex materia formæque constare. Simplex enim non esset, nec causæ principalis rationem retineret. Quamobrē incorporeum quiddam Deus est. Idemque ex eo intelligitur, quod si corpus est, ex materia constat. Quare vel Ignis, vel

*Aqua, vel Terra, vel Aer, aut aliquid ex his. Nullum autē horum principale est. Erit etiam sua materia posterior, si ex materia est. Quæ quoniā absurda sunt, incorporeū esse Deū necesse est. Corrupti enim posset, si corpus esset: ortūque esset & mutationi obnoxius. Quorum quodlibet in Deo est absurdum.*¹² Porro qualitates etiam incorporeas esse, hoc modo demōstretur. Omne corpus subiectū est. Qualitas verò non subiectum est, sed accidens: Qualitas ergo corpus esse non potest. Omnis qualitas in subiecto. Nullum autem corpus in subiecto. Qualitas ergo corpus non est. Deinde qualitas qualitati cōtraria est: non autem corpus corpori. Quoniam corpus à corpore hoc ipso quod corpus est, nulla re, sed qualitate distinguitur. Quare corpora qualitates non sunt.¹³ Quinetiam rationi maximē consentaneū est, ut quemadmodum materia qualitatis est expers: ita qualitas immateriata esse dicatur. At si immateriata est, eandem incorporeā esse necesse est. Etenim si qualitates corpora sunt, duo triūve corpora simul erunt. Hoc autē absurdissimum.¹⁴ Atqui positis qualitatibus incorporeis, opificem quoque earum incorporeum esse necesse est. Deinde efficientia non alia quàm incorporea esse possunt. Sunt enim corpora suapte natura patibilia atque fluētia, neque semper secundum se ipsa eadem, nec eodem modo se habentia, neque constantia, neque firma. Quæque in iis aliquid videntur agere, ea multo antiè patientia deprehenduntur. Quare ut est aliquid omnino patibile: ita necesse est aliquid quod verè agat, existere. Hoc vero aliud ab incorporeo reperiri nullo modo potest. Sit igitur principiorum explicatio Theologica eiusmodi: nūc ad Phisicum progrediendum, hinc ducto initio.



NOBILISS. ET HV-

MANISS. V. GVLIELMO RV-

ZEO, Doctōri Theologo, Andium Præsuli vigilantiss.

Iac. Carpentarius. S.



*S*emma tua dignitas & apud Christianiss. nostrum Regem authoritas, Præsul Ornatiss. eorum quæ in te elucent venerationem maiorem in scribendo, à me suo iure exigent, nisi per humanitatem tuam illis omnibus lōgè superiorem, qua vtriusque nostrum etate ferè adhuc, incunte frui capi, ex eoque tempore perpetua vite consuetudine in dies magis ac magis recreatus sum, apud te tantum mihi liceret, quantum vix cuiquam in hac fortunarum nostrarum inaequalitate, potest esse credibile. In qua, si cui nunc fortè ineptus esse videor, aut si ipse aliter pro tua dignitate faciendum existimes, ego ad eandem humanitatem tuam prouocabo, vel hanc potius meo nomine iudicio sistam: ut quæ hac in parte peccandi occasionem dedit, ea quoque de meo peccato apud omnes respondeat. Quamquam quid ago? aut satisne sanus sum, qui de hac tua erga me humanitate dubito? Equidem certò scio, prius omnem dignitatem & authoritatem depones, quam in tuum Car-



pentarium humanus esse desinas. Qui te spectatore addenté-
que, cohortationibus tuis, magnam animo alacritatem,
annos quatuor & viginti in philosophica exercitatione nō
omnino infeliciter sudauit & alsit. Nunc verò quoniam
hoc opere (quod utinam aliis utilitati sit tam varia &
multiplici, quam mihi multarum vigiliarum extitit) eius
studij arma vult deponere, non ad Herculis postem, vt ille
Veianius, sed ad aliquam commoditatem Academiae, quae
vtrumque nostrum excepit & aluit, te verò maximis lau-
dibus exornauit, huicque eadem cōsecrare: hoc etiam te spe-
ctatore perficiendum existimauit, aequūque vt in eiusdem
operis partem aliquam venires. Ecquam verò potius quam
in hanc, quae de Deo Platonica & Peripatetica continet, ac
in Peripateticis, Aristotelis defensionem contra Praeam
Thessalicamque sectam, iampridem tibi valdè suspectam:
vel ex eo tempore, quo vterque nostrum antè octo & vi-
ginti in schola Bellouaca, bonorum artium professione cae-
pit efflorescere? Hanc igitur disputationem excipe, Praesul
Ornatiss. ac bene vale, & qua soles humanitate Carpentaria-
rium tuum semper complectere.



DE DEO DISGRES-

SIO TERTIA,

IN QVA QVÆRITVR QVID

veteres philosophi, maximèque Plato & Aristo-
teles in eo videre potuerint: doctrinæque A-
ristotelis contra Thessali Methodici
calumnias defenditur.



De Deo quærendum est, quid veteribus philo-
sophis placuerit, & quousque in eius inuesti-
gatione potuerint progredi: deinde in eadem
quæstione Plato cum Aristotele conferendus:
vt intelligatur, quod antea significatum est, in
illo diuiniora esse pleræque, in hoc ad naturæ
leges magis accommodata omnia. Dei cogni-
tionem esse difficillimam, & quod in ea sis a-
deptus, periculosum esse cum omnibus communicare, Plato primum
confirmauit in Timæo, deinde Epistola 2. ad Dionysium. Nam in Ti-
mæo, Opificem quidem & Patrem mūdi inuenire, inquit, difficilè est,
& cum iam inueneris prædicare, eloqui vulgo, impossibile. Epistola
verò ad Dionysium, cum de deo quædam vellet colligere, ea dicen-
da esse ait per ænigmata: vt si quid ei tabellæ in qua illa describebantur,
vel mari, vel terra cōtingeret, qui eam legerit, intelligere non pos-
sit. Quibus hæc subiicit, Caue, inquit, ne ista excidant vnquam in au-
res hominum disciplinæ eruditionisque expertium. Nulla enim sunt,
vt mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur:
neque quæ apud ingenuos prolata, magis admirabilia & diuina.
Quo etiam modo Mercurius Trismegistus initio Asclepij, scribit
irreligiøsæ esse mentis, tractatum de deo tota numinis maiestate
plenissimum, multorum conscientia publicare. Difficultatem ve-
rò in deo cognoscendo, confirmauit Simonides, qui vt est apud Cice-



ronem libro 1. de natura deorum, ab Hierone Tyranno interrogatus quid esset deus, ad deliberandum sibi vnum diem postulauit: cum idē ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: cumque sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret cur ita faceret, quia quanto diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur obscurior. Idem Mercurius Trismegistus cap. 5. lib. de potestate & sapientia dei, deum latere docet & maximè patere. Hunc sermonem, inquit Trismegistus, apud te transigam ô Tati, ne præcipuum nomen tibi desit, néve ignores id quod plurimis occultum videtur, esse perspicuum. Nam si nusquam pateat, nihil vtique erit. Quodcūque se offert aspectui, genitum est: quod verò later, sempiternum. Neque enim opus est vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit. Ante oculos quidem id reliqua ponit. Ipsum verò secretum manet, vt pote quod vita fruatur sempiterna. Etenim phantasia solum circa ea quæ genita sunt, versatur. In qua præter generationem nihil existit. At vnicum id ingenitum, incomprehensibile phantasia. Cum verò per ipsum cuncta clarescant, per omnia rursus atque in omnibus fulget, hisque præsertim apparet quibus ipse notitiam communicare voluit. Deus sanè totius expers inuidiæ, per singulas mundi particulas vbique splendet, atque se notum præstat, vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis (vt ita dixerim) liceat atrectare. Nā vndique oculis nostris eius obuersatur seque obicit imago. Et cap. 11. lib. eiusdē. Deus, inquit, omnia ob eam causam fabricauit, vt eum per singula cerneret. Hæc dei bonitas, hæc eius virtus est, illum fulgere per omnia. Nihil est vel in incorporeis inuisibile. Mens ipsa intellectu videtur: deus autem in operatione conspicitur. Simile est quod Cicero scribit lib. 2. de natura deorum, nihil esse tam apertum tamque perspicuum cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod nomen præstantissimæ mentis, quo hæc omnia regantur. Quod ni ita esset, inquit, qui potuit assensu omnium dicere Ennius,

Aspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes, Iouem. Illum verò & Iouem & dominatorem rerum & omnia nutu regentem, & vt idem Ennius ait, — Patrem diuūmque hominūmque. & præsentem & præpotētem deum. Quod qui dubitet, haud sanè intelligo cur non idem Sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Sic nostri Theologi de deo cum omnibus eodem modo agere nefas esse putauerunt & in eius cognitione eandem difficultatem agnouerūt: atque contra hanc, idem subsidium nostræ imbecillitati accommodauerūt. Caue, inquit Dionysius Areopagita libro de Trinitate, ne quis prophanus hæc audiat. Eos autem sic appello, qui occupati duntaxat in iis quæ sunt atque entia nominantur, nihil istis excelsius superessen-

tialiter esse putant. Sed arbitrantur cognitione sibi propria illum apprehendere, qui tenebras posuit latibulum suum. De difficultate verò sic Origenes cap. 1. lib. 1. de Principiis. Sicut si videamus, inquit, aliquē vix posse scintillam luminis, aut breuissimæ lucernæ lumen aspicerē, & cum cuius acies oculorum plus de lumine capere quam supra diximus, non valet: si velimus de claritate & splendore solis docere, nonne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter & inestimabiliter melior ac præstantior est Solis splendor? Ita mens nostra cum intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro tali materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, licet pro comparatione naturæ corporeæ, longè præcellens habeatur, tamen dum ad corporea nititur, atque eorum intentionem rimatur, tum scintillam alicuius lucernæ vix obtinet. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est incorporeis, tam præstans omnibus, tam ineffabiliter atque inestimabiliter præcellens quam deus? At vt interdum oculi nostri cum ipsam naturam lucis, id est substantiam Solis, intueri non possunt, splendorem eius & radios fenestris fortè & quibuslibet aliis receptaculis breuibus infusos intuentes, considerare possumus fomes ipse ac fons quantus sit corporis luminis: ita quasi radij quidam sint dei, naturæ opera, diuinæ prouidentia & vniuersitatis huius, ad comparationem substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens nostra ipsum per se deum sicut est, non potest intueri, ex pulchritudine operum & decore creaturarum parentem vniuersitatis intelligit. Similis est sententia Tertulliani in Apologético contra Gentes. Quod colimus, inquit, deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ: vnde & græci nomen mundo, κόσμον accommodauerunt. Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam representetur: inestimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus & tantus est. Cæterum quòd videri communiter, quòd comprehendere, quòd æstimari potest, minus est & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & sensibus quibus inuenitur. Quòd verò immensum est, soli sibi notum est: hoc quòd est, deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus obicit & ignotum. De quo scitum est illud Athanasij in Oratione contra idola, Quemadmodum, inquit, de statuario Phidia referunt quem sua opera ex commensuratione & proportione partium inter se, etiam absentem representarunt: ita quoque ex mundi ordine opifex & conditor deus est intelligendus. In cuius cognitio-



ne quousque homo possit, progredi sic docet Marsilius Ficinus in lib. D. Dionisij de diuinis nominibus. Intellectus, inquit, lumine naturali potest certis rationibus intelligere primò quidem esse deum: deinde quid nò sit ipse deus: Tertio quid & quèadmodù efficiat atque regat, Quarto qua conditione res omnes ad deum sese habeant. Scire quid propriè sit ipsa natura dei, nec intellectus noster, nec Angelicus, naturali lumine potest. Est enim natura illa longo interuallo super essentiam & intelligentiam quantumuis perfectam. Sed solæ beatæ mentes intelligunt quid sit deus, sub lumine quodam plusquam naturali. Quando deus ipse se menti cõiungit, tanquàm formam quam videat & per quam videat. Ideòque diuinitus à Plotino dictum est. Animum perfectè purgatum, prius per vnionem diuinam deum effici, quam cognoscat quid sit ipse deus: sed comprehendere deum, naturamque eius sub cunctis rationibus suis apprehendere, nullum intellectum nullo lumine valere. Ex quibus potest intelligi veteribus omnibus hac in parte veniam esse dandam si cum naturæ solo lumine dirigerentur, nec satis sanctè de deo sunt loquuti: imo potius mirari nos debere in iis non modò philosophos, sed etiam poëtas, tam multa tamque diuina in deo vidisse, quæ ab eisdem literarum monumentis mandata ad nos peruenerunt. Quid enim in naturæ lumine eo maius esse potest quod pluribus cõfirmare conatur Plato li. 10. de Rep. deos esse eosque omnium curam habere, nec præter iustum præcibus vllis flecti posse: Quid quod idem deum patrem à prima mète separat & ab his, mundi animam eiusdem motricem & gubernatricem? Quæ profectò sunt eiusmodi vt per paucis mutatis summa videri possint Christianorum mysteria. De poëtis verò prætermittam hoc tempore quæ ex Parmenide & Melisso (hi enim versibus philosophiam suam explicarunt) cõmemorat Bessarion Cardinalis cap. 11. lib. 2. contra Trapezuntium: eaque persequar quæ ex Orpheo citat Theodoretus li. 2. de curatione græcarum affectionum,

*Perfectus deus est, inquit, qui perficit omnia solus,
Ipse eadem lustrans: oculis nec cernere cuiquam
Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta ruetur,
Conspicuum nulli. Quoniam caliginis atra
Obstunt nebula, & mortalia lumina nobis
Et puppa tenues, caro circum atque ossa resistunt.
Idemque alio loco
Ipse autem magnum super est innixus Olympum
Aurato residens solio pedibusque sub ipsis
Pressatur tellus, dextram vsque ad litora tendit
Oceanus. Montes imis radicibus acti*

Contrepidant

*Contrepidant nec ferre queunt ea lumina dorso
In calo residens, imis tamen omnia terris
Perficit. Hic caput, hic medium sinisque ruetur.*

Quibus non minus diuina sunt illa Sophoclis tragici.

*Vnus profectò, inquit, solus est, vnus deus
Terramque fecit & polorum vertices,
Pontique fluctus & sonora flumina.
Sed nos sopore, corde mortales vagi,
Statuimus hoc solatium mentis leue,
Simulachra diuum è marmore aut ex ære
Elephantinòue ex ebore, fuluòue ex auro,
Queis sacra cœtusque & coronas affatim
Dantes putamus sic pium persoluere.*

De philosophis autem veteribus hoc Tertullianus ipse miratur in Apologetico contra gentes, tantum eos in dei cognitione naturæ lumine potuisse consequi. Iam, inquit, ediximus deum vniuersitatem hanc mundi, verbo & ratione & virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes, λόγος id est sermonem atque rationem, constat opificem videri vniuersitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorè, qui cuncta in dispositione formarit: eundem & fatum vocari, & deum & animum Iouis, & necessitatem omnium rerum. Hæc Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem vniuersitatis affirmat: & nos etiam sermoni atque rationi itémque virtuti, per quæ omnia molitum ediximus, propriam substantiam spiritus inscribimus, cui & sermo insit pronuncianti, & ratio adsit disponenti, & virtus præsit perficienti. Similis locus est apud Lactantium cap. 9. lib. 4. de vera religione & sapientia. Euolue libros decem Augustini Agubini de perenni philosophia: in illis merito miraberis prophanam Gentilium sapientiam, tam multa de deo vno trinòque videre potuisse. Nos verò in Platonis & Arist. comparatione permaneamus. Bessarion Cardinalis cap. 4. lib. 2. contra Trapezuntium, multa ex Platone colligit quibus effice-
Platonis sententia de deo.

re conatur deum vnum eundemque trinum, huic fuisse cognitum. D. Augustinus cap. 23. li. 10. de dei ciuitate, de eodem Platone sic scribit, Dicit hic, inquit, deum patrem & deum filium, quem græcè appellat paternum intellectum, vel paternam mentem. De spiritu autem sancto aut nihil, aut non apertè aliquid dicit: quamuis quem alium dicit horum medium non intelligo. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animæ naturam etiã iste vellet intelligi, non vtique diceret horum medium, id est patris & filij medium. Postponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectu: iste autem cum dicit medium, non postponit, sed interpo-

LL



nit. Et nimirum hoc dicit vt potuit siue vt voluit, quod nos spiritum sanctum, nec patris tantum, nec filij tantum, sed vtriusque spiritum dicimus. Idem Bessario Cardinalis cap. 22. lib. 3. quod à Platone omnibusque Platonice de anima mundi dici solet, id in nostra religione de diuino spiritu interpretatur. Quàquam apud Platonicos anima vniuersi deo patre primaque mente longè inferior est: quòd de diuino spiritu nobis esset nefandum & impium. De deo verò vno rerum omnium moderatore, diuinitus Socrates apud Platonem loquitur in eo sermone quem cum Critone habuisse dicitur. Iam verò de iustis rebus atque, iniustis, inquit, deque honestis ac turpibus, malisque itè ac bonis, de quibus nunc consultatio nobis est, vtrum tandem multorum hominum sententia nobis est conseruanda, eademque timenda, an vnus potius qui audit omnia quemque, vnum præ cunctis aliis timere & reuereri oportet, quem inquam nisi conseruabimur, corrupemus illud ac vitiamus quod iusto quidem accedente melius factum est, iniusto autem deterius. Et paulò post. Haud itaque prorsus est, ò vit optime, curandum quid multi de nobis autem ac loquantur, sed quid ille qui & iustos audit & iniustos: qui est vnus & ipsa veritas. Quem locum obseruans Theodoretus Cyrensis lib. 2. de curatione græcarum affectionum, quasi manifestè, inquit, Socrates significare voluit si quando deorum multorum mentionem fecerit, coactum se id fecisse, ad Atheniensis populi gratiam, qui iam mendaciis ac falsitate circumuentus esset. Etenim si ne sic quidem cicuta poculum effugit, quidnam quæso passurus mali non fuit, si manifestè abnegasset numerosum deorum examen? Apertius est quod ex Epistola Platonis ad Dionysium eodem libro commemorat idem Theodoretus. Notæ meminisse te puto, inquit Plato, quam videlicet epistolis illis appono quas alicuius ponderis scribo, & quas nullius. Tu tamen ea quæ nunc dicam intellige & diligenter aduerte. Multi me rogant vt ad te aliquid scribā, quos haud facillè est vacuos à me prorsus repellere. Symbolum itaque tibi hoc est, vt illius epistolæ quam serio à me scriptam velim accipias, dictio hæc Deus, singulari numero sit principium: leuioris autem epistolæ, Dij, numero multitudinis. Eusebius cap. 10. lib. 11. de Euangelica præparatione multa commemorat quibus confirmare conatur quod paulò ante significatum, Platoni non modo fuisse cognitum deum patrem & opificem rerum omnium, sed ab eodem ipsum verbum, tanquam filium, à patre esse distinctum. Et certè apud eum Socrates in Philebo postquam menti sapientiam attribuit, mètemque ab anima distinxit, in Iouis ipsius natura regia animam regiam, mètem, inesse scribit, propter causæ vim & facultatè. Theodoretus verò lib. 2. de curatione græcarum affectionum, idem vult efficere:

atque etiam amplius postquam ex quadam Platonis Epistola ad Dionysium hoc commemorauit, circa omnium regem esse omnia, ipsumque causam esse omnium: circa verò secundum secunda, circa tertium tertia: in eo obseruat ab illo distingui ipsum, bonum, mètem & animam. De quibus sic scribit. Vocat Plato ipsum bonum, inquit Theodoretus, quem nos dicimus patrem, mentem verò, intellectum quem nos filium verbumque: potentiam verò quæ animet omnia & viuificet, animam nominat: eam ipsam videlicet quam spiritum sanctum sacræ literæ appellat. In quibus omnibus Plato multa quidem diuinitus, sed ita vt in illis deum quidem somniaret, non cognosceret. Quod etiam de eodem scripsit Lactantius Firmianus ca. 15. li. 5. Adeo vt facile in eis notari possit genus illud philosophandi quod in præfatione indicauimus & in quo Platonem ab Arist. distinximus. Si quidem multa de deo ex aliorum scriptis in sua trāstulit, quæ nec ipse ratione docere poterat, nec fortasse satis intelligebat. Quorum omnium diligens comparatio cum nostris, id est cum iis quæ ad religionem Christianam pertinent, eò extulit nonnullos Platonicos vt dicere ausi sint Christum in legendo Platone sedulo esse versatum, ex eoque permulta in instituenda nostra religione pro suis vsurpasse. Quam opinionem in Celso Origenes reprehendit lib. 6. disputationis contra illum institutæ. Fecit etiam hæc eadem, vt de Platonice recentiores alij cum incidissent in initium Euangelij D. Ioannis, in eoque illud audirent, In Principio Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat, Verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil quod factum est, penè hæc inuideret D. Ioanni Iudæo, quem contumeliosè barbarum nominabant. Quod ea Græcorum & inter Græcos, Platonice propria vellent videri: sicut de Amelio obseruat Eusebius cap. 10. lib. 11. de præparatione Euangelica & Bessario Cardinalis cap. 4. li. 2. contra Trapezuntium. Vnde verò Plato hæc tam multa tamque diuina de Verbo dei filio, primaque mente haurire potuit, quæ vix ac fortasse, ne vix quidem, naturæ lumine cognosci potuerunt: nec ex Mose (etiam si hunc ab illo lectum, Aristobulo Iudæo lib. 1. ad Philometora concedamus) omnino colligi? Equidem mihi est probabile illum multa hausisse & in suos libros deduxisse ex Græco Mercurio Trismegisto, non multis annis Mosem sequuto. Quem in Phædro scribit deum apud Ægyptios habitum, primamque artis numerandi, Geometriæ & Astronomiæ inuentorem fuisse: & in Philebo addit eundem artificiosè elementa sermonis distinxisse, artemque legendi confecisse. Huius enim de Verbo hæc extant maximè diuina testimonia, Verbum dei, inquit, procedens omni ex parte perfectum, & fecundum, & opifex, lapsus in



naturam fecundam & fecundas aquas, has reddidit prolificas. Et loco alio, naturæ mundæque intelligibili, inquit, subiacerit Pyramis (hanc verò elementorum molem intelligit) Habet enim principem incumbentem, opifex Verbum eius qui est omnium dominus. Qui post illum est prima virtus increata, infinita ex illo promanans. Et incubit atque imperat his quæ ab ipso facta sunt. Est autem perfectissimi primogenitus & perfectus & fecundus legitimus filius. Itemque, Verbum opificis ô fili, inquit, sempiternum, per se mouens, quod neque accrescere potest, neque imminui, neque immutari, incorruptibile, singulare, semper sui simile, æquale, concors, stabile, bene instructum, Vnum existens est post deum, qui prior intelligitur. Quibus omnibus Mercurij Trismegisti dictis, Platonica, quæ antea indicauimus, magna ex parte similia esse videtur. His verò quæ apud Aristotelem respondeant, nulla ex vniuersa huius philosophia possumus commemorare. Nisi fortè Aristotelis esse concedimus opus de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios, cuius antea sæpe mentionem fecimus, quodque nuper edidimus. In hoc enim permulta sunt de deo deique verbo, siue prima mente, quæ non modo ad Platonis diuinitatem proximè accedunt, sed hanc longo etiam interuallo superant. De quibus nonnulla tantum hoc loco indicabo: cætera ex ipso opere, quod nunc est in hominum manibus, lector cum volet, poterit repetere. Cap. 3. lib. 4. Deum nominat primum opificem, authorem vniuersitatis, quam infinitate quadam immotus antecedit. Negatque eum aliquando incœpisse cum antea non esset, sed finem esse atque principium omnium eorum quæ sunt. Cuius, inquit, si excellentiam atque magnitudinem oratione conemur explicare, vel cogitatione complecti, hanc vix poterimus attingere. Essentiæ enim dignitate superat cætera omnia, quæ sunt quasi signa per aliorum imitationem expressa, de illisque pendentia. De quibus per essentiam primum intellectum procreauit, sub eoque animam & singula quæ oriri possunt. Quare humana facultas, quæ infima est, neque hinc cogitatione complecti potest: neque eorum quæ illi attribuuntur, quicquam perfecte cognoscere. Quid potest magis esse coniunctum cum iis quæ ex Platonis initio capitis huius ab Alcinoo commemorantur? Capit. 4. lib. 5. scribit illum opificem rerum omnium (quem scilicet Plato patrem nominat) primum omnium intellectum procreauisse: cuius vi reliquorum essentia conseruatur. Quo intellectu, inquit, inferior est anima vniuersa, quæ forma est absoluta omnium eorum quæ sequuntur. Quibus singulis pro sua conditione propriam qualitatem tribuit, nonnullis nobiliorem, aliis inferiorem. Animam sequitur ipsa natura, cuius vi procreantur & conseruantur omnia quæ cum materia prima ita coherent, vt ab hac separari non possint. Diuinius est

*Aristotelis
sententia de
deo.*

quod scribitur cap. 1. lib. 10. de Deo rerum omnium opifice, eiusdemque verbo. Primus opifex, inquit, gloria supremus est: quoniam & perfectione summus. Talisque est, quia cætera omnia perficit. Perficit vero hæc: quoniam & efficit: hocque, quia procreator est principiorum omnium, quibus essentia quælibet continetur: vt pote qui author est vniuersi atque mundi vtriusque. Apud autem primum vitam infundit & facultatem ac dignitatem, in singula influens prout hæc suis gradibus distincta sunt. Quare quod quicque illi propinquius est, eò plura ab eodem excipit. Primum verò omnium quod dignitate substantiæ perpetuitatæque constantiæ illi est proximum, idemque medium inter opificem primum & cætera quæ ab illo procreata, prius ab eodem influentem vitam excipit, deinde hanc cum reliquis inferioribus communicat. Siquidem hoc primum omnium procreatum, sua essentia spiritus simplex & absolutus, in se lumen vimque veritatis maximam continet: & quod virtute honoræque inferius est, idem lumen habet tenuius, & cum corpore veræque compositione magis communicans. Atque hoc primum quod soli formæ primæ subiectum est, eiusdemque Verbo contiguum, substantiam habet inter reliquas perfectissimam, in quam vis quoque influens infinita, ab eodem verò transmissa iam finita est: prout scilicet lumen potestatis est appetitus perpetuitatis, quod pertinet ad intellectum secundum, illi primo, inter ea quæ procreata sunt, proximum. Et cap. 2. lib. eiusdem, Ipsa mens, inquit, inter essentias absolutè primaria est, quæ idcirco princeps dicitur: quanquam eadem cum Dei Verbo, atque cum eo quod proximè formæ est subiectum. Eademque vt genus summum, omnes substantias illustres absolutasque & puras sub se continet. Hanc sequitur intellectus, qui cum ipsa mente comparatus, secundus est & illius quasi species, suumque subiectum perficit, cui vt forma quadam propria efficitur. Huic verò lumine inest ab intellectus radice profectum, non aliter quam Crystallo radius à Sole reflexus. Ab intellectu adhuc profluit essentia eius animi qui rationis est particeps. Cuius lumen tenuius est & matutino crepusculo persimile. Apertiora sunt diuiniusque omnia de Verbo, siue de prima mente cap. 13. lib. eiusdem: & cap. 15. de Verbi huius admiranda distinctione in conceptum & expressum: deque Verbi expressi virtute in rebus procreandis, cap. 17. Quæ omnia in illo opere (de quo quid variis coniecturis colligam, eiusdem initio lectori indicauimus) si Aristotelis esse, ipse certo crederem aliique persuadere possem: facile vt opinor, efficerem in vniuersa veterum philosophia huius scriptis nihil esse diuinius. Sed quia hæc Academicæ nostræ Thesalio methodico, doctrinæ Peripateticæ osori, qui Aristotelem Ateismi in simulat, non satisfaciunt, quod ea Arabis



cuiusdam, non Aristotelis esse clamet: Danda est opera ut ex certioribus huius persequamur institutam comparationem cum Platone in quaestione de Deo. Ut tandem in hac intelligatur falsissimum esse quod iste, homo scilicet religiosissimus, in scholis metaph. contumeliosè dicitur, Aristotelem non modo Atheum esse, sed Atheismi authorem, & theologum Epicuro nihilo meliorem. Librum de mundo ad Alexandrum, Aristotelis esse confirmat, veterum cōsensus & antiquissimus scriptor Iustinus Martyr, qui eum Aristotelicæ physiologiæ Epitomen nominat. At in illo audiamus quam multa sint de Deo diuinæque prouidentia dicta diuinitus. Verus est sermo, inquit, à maioribusque proditus, inter omnes homines, vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata: nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutela permilla sit. Quocirca veterum nonnulli eo usque prouecti sunt, ut hæc omnia dicitarent Deorum esse plena, hauriri que eorum spectra ab hominibus, oculis & auribus reliquisque sensibus: sententiæ illi quidem fundamenta iacentes diuinæ fortasse potentiæ, non item naturæ diuinæ congruentia. Etenim cunctorum quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum verò quæcunque in hoc mundo, quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitor est: non sic tamen ipse ut opificis in morem animalisque lassitudinem sentiētis, labore affici possit: ut qui ea facultate utatur quæ nulli cadat difficultati, cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet: nec minus etiam quæ longius ab ipso videntur esse sumpta. Quæ omnia de diuina prouidentia sic dicta sunt, ut cuius facile sit videre ea ab Epicuri diis Monogrammis valde esse aliena. Pergit vero eodem loco. Omnia, inquit, quæ in aëre sūt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera meritò esse dixerimus: Dei inquam opera, cum imperio summo mundum ac pro potestate obrinētis. Ex quo Deo, ut inquit Empedocles physicus:

*Omnia quotquot erunt, quot sunt presentia, quotque
Orta fuere ante hæc, stirpes hominesque feræque,
Inde etiam volucres, piscesque humoris alumni.*

Deinde eandem sententiã eleganti similitudine, quæ etiam dissimilitudinem habet adiunctam, ita concludit. Ut summam iam loquamur, inquit, quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. Nisi si hæcenus interest, quod labor & motus multiplex illos exercet, & curæ angunt variæ: cum huic inelaborata succedant omnia, omnis molestia expertia, citraque corporis infirmitatem. Quippe cui in loco stabili, immotoque colloca-

to, omnia mouere & circumagere pro arbitratu liceat, quo libitum est cumque & quo modo libitum est: sedque diuersis in formis simul atque naturis. Id autem ratione simili facit ille atque lex ciuilis: quæ immobilis ipsa existens, in ventium animis, regit omnia ad Rempub. pertinentia. Addit etiam quod est admirabilius, cum vnicus Deus sit eum pluribus nominibus esse appellatum, ab iis utique suis omnibus effectibus denominatum, quorum specimen edere ipse solet. Tandemque librum concludit in eam sententiã quæ illi cum Platone communis est. Enimvero Deus, inquit, (ut est vetusto verbo proditum) principium & finem & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, è vestigio comitem habens iustitiæ præsidem, quam dixit nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul ut quicquam sanctionum eius prætermisum est. Cuius ut sit particeps numinis, iam inde oportet ab initio qui ad vitam beatam euasurus est atque fœlicem. An num hæc omnia à nobis impetrabunt, ut inter veteres philosophos, in quaestione de Deo cæcutientes, Aristotelis doctrina tolerabilis esse videatur? An num eadem perficiunt, ut illa contra istius osoris calumnias, iam in furorem erumpentes, eadem quo antea fuit loco semper in Academia, etiam à viris sanctissimis, retineatur? Atqui alia quoque eiusdem per multa sunt de Deo diuinæque actione & prouidentia, non obscura testimonia. Nam libro 8. Physic. aperte declarat Deum virtutis infinitæ, perpetuo motu ita mouere omnia, ut ipse immotus maneat. Et 12. Metap. cum essentiarum tres species posuit cap. 6. duas naturales, tertiam immobilem, de hacque eo loco dicendum esse constituit: ca. 7. in postrema specie Deum complexus, de eo sic loquitur. Ergo ex tali principio, inquit, tum cælum, tum natura dependet. Vitam verò optimam traducit: qualem nos breui paruoque tempore. Sic enim illud semper est (nos enim non possumus) quandoquidem ei sua actio voluptati est. Intelligentia porro quæ per se est, in eo versatur, quod est optimum: & ut quæque per se est maximè, ita maximè eius est quod præstantissimum. Mens verò se ipsa intelligit & cernit, eius quod animo cernitur & ratione intelligitur, assumptione. Intelligitur enim hoc ipso, quod se ipsam tangit & intelligit. Itaque idè est mens, & quod mente & ratione intelligitur. Mens enim eius quod animo cernitur, atque essentiæ receptaculum est: quod cum habet, operatur. Quocirca illud magis, quam hoc, diuinum est, quod mens habere videtur: rerumque cognitione & contemplatione nihil iucundius est, nihil melius. Quod si Deus bene affectus est, semper eo modo, quo nos interdum sumus, profectò admirationem excitat, eoque maiore, si melius quàm animus est constitutus. Atqui ita est. Vita quoque ei



ineſt. Si quidem mentis operatio vita eſt. Ille autem actus eſt. Actus verò per ſe, illius vita eſt optima & æterna. Atqui Deum animal eſſe æternum atque præſtantiffimū dicimus. Vita igitur & æuum continuum atque perpetuum Deo ineſt. Hoc enim Deus eſt. Diuinius eſt, quod indicat cap. 4. lib. 13. Mirum autem eſt, inquit, ſi ei quod primum & æternum ſibi que ipſi ſufficiētiſſimum, hoc ipſum primum non inſit tanquam bonum, eſſe ipſam per ſe ſufficiētiā & ſalutem. Quid enim maius ab eiſmodi philoſopho expectari poteſt, quam quod hoc loco ſignificatur cæterarum rerum ſufficiētiā & ſalutem à Deo tanquam à fonte emanare? Quibus magna ex parte reſpondet quod idem ſcribit cap. 8. lib. 10. Ethic. Deos inquit, putamus eſſe beatiffimos. Quas tandem hiſ actiones? quæ officia tribuemus? Num iuſtitia? At nonne ridiculi videbuntur ſi & res contrahant, & depoſita reddāt, cæteraque faciant eiſdem generis? An fortè dicemus eos qui res aſperas perferant, periculaque adeant, ob eam cauſam quia decet? Num liberales? At cui largientur? Abſurdum etiam videtur ſi numum aut tale quid habeant. An verò temperantes? At qui eſſe poſſunt? An non laus ſit violenta & importuna, prauis eos vacare cupiditatibus? Atqui ſi per omnia actionum officiorūque genera expatiemur, perexiguam ſanè laudem & Deorum maiestate indignam continere videbuntur. Attamen eos viuere omnes exiſtiant. Agere ergo etiam eos putant. Non enim par eſt eos tanquam Endymionem, dormientes facere. Sublata igitur agendi ratione, itēque faciendi, ac multo etiam magis, quid tandem viuenti Deo præter contemplationem relinquitur? Ita Dei præſtans beatitudine actio, in cognitione & contemplatione conſiſtat neceſſe eſt. Atque etiam hominum actio, vt quæque ad hanc proximè accedit, ita eſt beatiffima. Idem cap. 8. lib. 1. Polit. Deum nobiſcum genere coniunctum eſſe vult: ferè eadem ratione qua Cicero lib. 1. de legibus, illum eādē ciuitatem nobiſcum incolere, in qua ſumma lex nobis cum illo communis, recta ratione contineatur. Scitè Homerus, inquit Ariſt. Iouem qui omnium rex eſſet Deorum & hominum, vocabulo patris appellauit, hoc modo locutus:

Patris hominūque Deūque.

Natura quidem antecellere, idem tamen genere eſſe debet rex: quod ſeniori in iuniorem, parenti in liberos datum eſt. Admirabilius eſt quod cum plerique locis (vt lib. de Mundo ad Alexandrum & cap. 1. lib. 2. de Cælo) ex communi hominum opinione, Deum in cælo ponat: cap. 9. lib. 1. de Cælo, ne illum vniuerſitatis ambitu concludere, & naturæ legibus addicere videatur, vult eundem quaſi vniuerſa natura ſuperiorem, extra cælum, vbi neque tēpus eſt, neque locus, neque inane,

ne, exiſtere. Perſpicuum eſt, inquit, nec locum extra cælum eſſe, nec inane, nec tempus. Itaque ea quæ ibi ſunt, non ſunt in loco, nec ea tēpus ad ſenectutem conapellit, nec eorum quæ extra extimum orbem habitant, vlla eſt mutatio: ſed ab omni commutatione vique externa libera & ſecreta & optimam vitam, quæque ſe ipſa maximè contenta eſt, ex ſeque omnia quæ optare quis poſſit, copioſiſſimè ſuppeditat, per omnem *aiōva*, id eſt ſeculum, traducunt. Quem locum Alexander & de recentioribus Franciſcus Cataneus falſò de ſupremo orbe interpretantur. Eodem libro 1. de Cælo, Deum à natura manifeſtè diſtinguit, cum neque hanc, neque illum fruſtra quicquam facere vult. Et lib. 12. Metaph. ſcribit à primo ente (ſic enim de Deo loquitur) cælum & naturam pendere. Omitto quod 1. Top. eos pœna indigere ait, qui de Deo quærun, an ſit colendus. Ex quibus ſatis intelligitur, Ariſtotelem naturæ genium, inter veteres philoſophos in hac quaſtione cæcutientes, non omnino malè de Deo ſenſiſſe. Quanquā ſcio alios quoque nonnullos in eius doctrinam commoueri, quod in Metaphyſicis eo loco qui paulò antè notatus eſt, dixerit Deum animal eſſe. Quoniam cum animalis genere eum comprehendit, videtur eidem corpoream naturam tribuere. Sed in eo exiſtimo illis eſſe ſatiſ factum à Beſſarione Card. Cap. 14. lib. 3. contra Trapezuntium. In quo etiam ſi ex animi ſententia eſſet loquutus (quod hic minimè arbitratur) commune tamen illi peccatum eſſet cum Stoicis: qui Deum definiuerūt animal beatum & immortale. Quod fortè ſecutus Seneca lib. 20. Epistoſtarum, auſus eſt dicere, animum animal eſſe, noua quadam ratione. Quia, inquit, ipſe efficit vt ſimus animalia. Et ſi memini illud de Deo dictum, à nullis de mundo explicari, qui ſuo magno corpore conſtat & anima: Ideoque Platoniciſ magnum animal eſt: & ab ipſo Platone mundus Deus vocatus in Timæo, & Mercurio Trimegiſto eadem libertate in Aſclepio, Cælum ſenſibilis Deus eſt, adminiſtrator reliquorum corporum. Et eidem cap. 10. Pimandri, Mundus materialis Deus eſt pulcher quidem, non tamen bonus. Etenim, inquit, ex materia conſtat, paſſionibusque ſubiicitur: primūſque eſt eorum quæ patiuntur: ſecundus autem eorum, quæ ſunt. Intolerabilius verò videri poteſt quod eidem Ariſtoteſi Cicero tribuit lib. 1. de natura Deorum, Deum ardorem eſſe cæli. Quod etiam ſi ille citet ex eiſdem lib. 3. de philoſophia, quam tamen veritatis ſpeciem in Peripateticorum doctrina habere poſſit omnino non video. Præſertim cum contra Anaxagoram idem alio loco diſputet, ne ætheream quidem naturam, (in qua Dei ſedes eſt, vel potius qua Deus ipſe ſuperior eſt) ardorem eſſe poſſe. Neque tamen eſt à ſuperioribus alienū, quod Cicero eodem loco ſcribit, Ariſtotelem modo menti diuinita-



tem omnem tribuisse, modo mundum ipsum Deum dixisse: modo alium quendam præfuisse mundo, eique tribuisse vt replicatione quadam, mundi motum regat atque tueatur. Poterant hæc satis multa videri ad institutam comparationem Platonis cum Arist. in quæstione de Deo, nisi Academia nostræ Thessalus methodicus, in suis scholis Metaphysicis pleræque ad eam pertinentia, in Peripatericis, falso (nescio verò maioréne ignorantia, an malitia) exagitaret. De quibus quoniam nonnulla ad Alcinoium intelligendum hoc capite necessaria esse videntur, de his differendum est paulo pluribus: vt Aristotelis Platonisque doctrina illustretur, & ille tandem aliquando, si modo potest, sentiat se prorsus excæcatum in bonis authoribus: quoniam laborat magis in his contaminandis quam illustrandis, vel pro dignitate tractandis. Aristotelis duo nobilissima decreta sunt de Deo. Vnū quidem, illum esse actum purissimum, omnis potètiæ prorsus expertem: alterum, in perpetua contemplatione eundem versari, nec tamē extra se quicquam intelligere. Quorum vtrūque non modo illi (vt postea intelligetur) cū Platonis cōmune est, sed à Christianis Theologis etiam laudatum. Et tamen in illis sic Thessalus in Aristotelem exultat, vt sophisticæ victoriæ insolescere, non philosophari videatur. De priore sicut est propositum, loco priore differamus. Actus & potentia à philosophis in distinctione eorum quæ sunt, frequentissimè vsurpantur. Quorum illud ad formam, hoc ad materiam pertinet: vt ex variis Arist. locis intelligi potest, sed maximè ex cap. 1. lib. 2. de Animo & ex cap. 1. lib. 8. Metaph. Idque quoniam, vt eodem loco Arist. docet, per materiam nihil est re ipsa hoc aliquid, sed vi tantum & potestate: forma autem rei cuiusque ratio est & essentia, à qua illa habet id ipsum quod est. Porro materiæ adiuncta est impuritas & imperfectio: sicut formæ cōtra, puritas & perfectio. Ideoque dictum est cap. vltimo lib. 1. phys. formam diuinum quiddam esse & bonum & expetendum: materiam ne esse quidem omnino videri, si quis ad id malum quod affert, animi cogitationem conuerterit. Quare cum formarum duæ sint differètiæ (nam mathematicas hoc tempore prætermitto) vna physicarum, altera metaphysicarum, quia vtræque actus quidam sunt, Aristoteles distinguendi causa, phisicas formas nominare solet actus impuros, cum materiæ potentia communicātes, metaphysicas autem actus puros expertes eius potentia quæ ad materiā pertinet. Quoniam cum hac nihil omnino communicant. Amplius vero cū in metaphysicis formis complectatur Cælestes intelligentias, singulorum orbium motrices causas & Deum summum, quem ex Homero, parentem hominūque Deūque, pauld antè diximus nominari, assentior acutissimo philosopho Iulio Casari Scaligero

Aristoteles de Deo contra Thessalū defenditur.

qui non existimat illis omnibus actus appellationem eodem modo conuenire. Est, inquit ille, intelligentia actus, id est eius, cui nihil causæ potest euenire quo sit hoc quod est. Neque hoc satis. Id enim est, esse actu potius quam actum. Sed est actus: quia est orbis sui perfectio, quamuis non in orbe. Hæc cælestis. Supercælestis autem actus est, quia nullo medio instrumento eget ad functiones suas perficiendas. An verò est etiam purissimus actus? Audiamus quid idem Scaliger respondeat. Non, inquit. Solus enim Deus causa est sine causa: & ens absque ente. Mera namque essentia. Intelligentia verò tametsi non est composita, tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu. Potentiam illam dicimus eius esse: actum verò eius essentiam. Est autem essentia qua est id quod est. Esse vero eius, est receptiuitas essentia. Id ipsum autem est quod Alcinoius ad finem huius capituli ex Platoniorum doctrina voluit indicare. Efficientia, inquit, non alia quam incorporea esse possunt. Sunt enim corpora suapte natura patibilia atque fluentia, neque semper secundum se ipsa eadem, nec eodem modo se habentia, neque constantia, neque firma. Quæque in iis aliquid videntur agere, ea multo magis patientia deprehenduntur. Quare vt est aliquid omnino patibile, ita necesse est aliquid quod verè agat, existere. Hoc vero aliud ab incorporeo reperiri nullo modo potest. In quam sententiam scitum est quod scribit Marsilius Ficinus in epistola quadā lib. 2. de comparatione lucis Dei, cum vmbra materiæ. Profecto, inquit, sicut in rerū infimo, id est materia prima, idem est esse, & informè tenebrosūque esse: sic in summo, idem est esse, & formosum lucidūque esse: imo formam lucēque esse. Materia enim apud Moysen, tenebrarum abyssus est, formarūque informe subiectum: Deus lux, abyssus luminum: formaque, fons formarum. Materia, infinita est patiendi potentia: Deus infinita virtus agendi, imò infinitus est actus. Illa ergo potentia est potentiarum omnium quæ in patiendi versantur: hic actus est actuum. Et sicut innumerè de materia verè dicitur, materia neque forma hæc est, neque illa: ita de Deo innumerabiliter dicitur & verè dicitur, Deus hæc forma est & illa. Vna materia est vmbra rerum vmbraatiliū infima: Vnus Deus, Lux summa luminum. Materia ob nimias tenebras, ignota est: Deus ob nimiam lucem est incognitus. Nam si lux quæ est purior, est & lucidior: nimirum Deus cum solus sit purus actus, solus lux est reuera dicendus. Si lux in forma quadam consistit, potius quā in subiecto, & formositas consistit in luce: ibi solum vera lux, vbi mera sine subiecti inquinamento, forma. Ibi solum vera formositas, vbi solum lux vera veræque forma. Quapropter omnis forma & lux quæ vel videtur oculis, vel cogitatur, quia finita est, vmbra quædam est ad



Dei formam atque lucem. Merito Deus infinitus est actus: quoniam vel subiecti, vel causæ limite non contrahitur. In quibus manifestum est, hunc ex Platoniorum omnium sententia pro duobus extremis statuisse in ipsa vniuersitate, Deum, actum summum & purissimum: materiam, potentiam infimam & impurissimam. Vt in Deo ponere aliquid eius potentia quæ ad materiam pertinet, nihil aliud sit, quam eundem facere participem eius, impuritatis, quæ in corporibus naturalibus materiae imperfectionem comitatur. De quo Aristotelis scripta in Metaphysicis consideremus paulo attentius. Hic cap. 1. lib. 9. Metaph. potentiam distinguit in eam quæ patiendi est tantum, & in alteram quæ faciendi: tertiamque illis adiicit, quæ utramque habet coniunctam. Cap. 8. lib. 11. eorum quæ sunt, quædam vult esse actu solum, alia solum potentia, alia partim actu, partim potentia. Quæ eadem est distinctio lib. de Interpretatione, cap. de pronunciatis modo circumscribitur. Concluditque illo eodem loco, quod amplius est expositum in physicis, motum esse actum rei in potentia existentis, hoc ipso quod in potentia est: ex eoque apparere in motu aliquid esse perfectionis & aliquid imperfectionis: quia in hoc, actus cum potentia quodammodo est coniunctus. Potentia autem adiuncta est imperfectio, sicut actui perfectio. Sed cum potentia quædam actiua sit, alia verò passiuæ, ad utramque non eodem modo se habet ipse actus siue perfectio. Passiuæ enim (qualis materiae & materialis tribuitur) inchoatio quædam est actus, vel præperatio ad actum, qui pertinet ad id in quo est talis potentia: Imò, quædam est illius potentia perfectio. At is actus cuius inchoatio est in ipsa agendi potentia, non tam perfectio est agentis, aut potentia actiua, quàm eius, quæ ad patiendum comparata. Quare passiuæ potentia, in eo cuius est, imperfectionem quandam significat, cuius perfectio in actu consistit. Actiua verò potentia nullam in agente imperfectionem indicat, sed potius consistit in eiusdem perfectione, quæ virtutis est & energiae minimè otiosæ, Quibus positis, idem Aristoteles capit. 5. lib. 12. postquam repetiuit superiorem distinctionem trium differentiarum in his quæ sunt, actus inquit, species est, si separabilis est: potentia autem, materia. Et capit. 6. lib. eiusdem statuit ad perpetuitatē motus substantiam quandam esse ponendam quæ species sit sine materia, vel actus sine potentia. Has, inquit, substantias esse oportet absque materia. Sempiternas enim esse oportet: si quidē aliquid æternū est. Actu igitur sunt. Ex quibus omnibus ita cōcludit cap. 7. Quare æternum est profecto primū cælum: estq; aliquid quod mouet. Cum verò id quod mouetur & mouet, medium sit: est etiam aliquid quod non motum mouet: quod æternum, substantia & actus

est. Quæ omnia idcirco commemorō, vt ex cōparatione locorum diuersorum apertè intelligatur, Aristotelem cum scribit deum cælestes orbis mouentem horūque motus perpetuantem, actum esse æternum, potentia expertem, de potentia quæ ad materiā pertinet, quàmque passiuam appellauimus haud dubiè esse intelligendum. Vt in eam sententiam duo hæc apud illum coniuncta sint, speciem esse siue formam sine materia, & actum sine potentia. Quis enim nisi ad calumniandum magis quam ad intelligendum vel explicandum comparatus suspicari velit Aristotelem deo adimere voluisse agendi potentia, eo ipso loco quo scribit contemplari esse agere, deique vitam in perpetua contemplatione consistere? Quibus ita constitutis Thessalum nostrum methodicum in illum furentem audiamus. Eadē est, inquit, Aristotelis sophistica, ad docendum deum expertem esse omnis potentia, quæ fuit ad docendum Dei æternitatem. Sed hinc non solum argumentum falsum est, sed etiam thesis ipsa prorsus impia. Etenim qualenam est opinionis huius prodigium? Deum actu agere mouerēque, quod agere ac mouere possit: nihil præterea posse vel agere vel mouere? Equidem legi multos & audiui qui in philosophia cæcutirent: sed qui magis insaniret vidi antea neminem. Adeo vt hæc in Aristotelem tam aperta calumnia mihi contemnenda potius videatur quam subtiliore ratione aliqua redarguenda. Præsertim cum ex ipso Arist. didicerim non in quasuis opiniones inquirendum esse seuerius, sed in eas tantum quarum authores ratione aliqua nituntur, non pœna indigentes vel sensu. Et tamen vt intelligatur non tã prodigiosam esse illam Aristotelis sententiam, quàm in Thessalo furiosam mentis insanæ calumniam, danda est opera vt doceatur non solum Peripateticos, sed veteres quoque alios philosophos & maximè Platonicos, idem de deo sensisse, actum scilicet esse purum, eius potentia, quæ ad materiam pertinet, omnino expertem: neque verò hoc à nostra religione esse alienum. Antiquissimus philosophus & theologus Mercurius Trismegistus, de deo sic scribit cap. 3. Pimandri. Gloria omnium deus: diuinum, diuina natura. Principium vniuersorum, deus, mens, actus, necessitas, finis & renouatio: & cap. 10, dei actus, inquit, voluntas est: eiusdem essentia velle cuncta subsistere. Quid est deus & pater & bonum, nisi ipsum esse horum omnium nondū existentium? Quinetiam existentia ipsa eorundem, id deus, id pater, id bonum, cui nihil aliud ex omnibus applicatur. Eodēque capite, deus, inquit, super omnia est, & circa omnia. Dei radij, actus existūt: mūdi radij sunt naturæ: radij verò hominis artes & sciētia. Per mūdū exercētur actus: hinc in hominē per mūdi radios descendūt: naturę per elemēta: hominis per artes atq; sciētias. Et ca. 11. Hæc, inquit, dei vita hic eius actus,

Deus veteribus actus est purus.



agitare singula vitamque omnibus inspirare. Cap. 12. ab eodem actu qui deo proprius est, materiã sic separat. Materia, fili mi, inquit Trismegistus, seorsum est à deo, vt locus illi proprius assignetur. Quid aliud illam existimas quam rudem indigestamque congeriem hanc existere posse? ne secus credas, nisi formetur. Quod si formatur, ab aliquo certè formatur. Operationes enim formandi, partes dei esse diximus. Ergo vita donantur animantia singula, quo fiunt immortalia, quæ immortalitatis munere perfruuntur: à quo mutantur quæ mutabilia sunt, siue materiam seu corpus nuncupaueris, dei actus esse memento. Actumque materiæ, materiæ ratione: actum corporeum, corporum ratione: actum essentia: essentia: rationem: idque omne, neque quicquam est in omni, quod non sit ipse deus. Cap. 13. eundem nominat vitam, lucem, actum omnium potestatum, potestatemque omnium actuum. Atque hæc quidem de actus nomine, quo modo deo attribuat, non occulta sunt Mercurij qui multis seculis Platonem antecessit, testimonia: sed longe clariora extant Plotini philosophi in doctrina Platoniorum nobilissimi. Hic enim libello quem inscripsit de eo quod in potentia & de eo quod in actu, cap. 3. de mundo intelligibili (qui si Platonica cum Peripateticis volumus coniungere, re ipsa non est aliud à deo, mundi huius opifice, vel certè moderatore) sic loquitur. Profecto si neque ibi materia est, in qua id ipsum consistit quod esse dicitur in potentia: neque quicquam illorum quod iam non sit, est futurum: neque permutatur in aliud, neque manens ipsum ex se generat aliud: neque à se ipso digrediens tradit alteri vt ipsius sit vice: certè non erit illic quod esse dicitur in potentia, vbi entium regnum est, non temporalium, sed æternorum: Rationem etiã subiicit eodem loco. Quod in potentia est, inquit, exigit alterum quo accedente perducatur ad actum, vt aliquid tandem fiat in actu. Quod autem ipsum à seipso semper ita se habet, est actus. Itaque omnia prima, actus existunt. Habent enim quicquid oportet habere. Atque id quidem & à seipsis & semper. Iam verò & anima ita se habet, præcipue quæ non in materia est, sed in intelligibili mundo. Equidè si in veteribus Platonis euoluendis & intelligendis Thesalus tam diligens esse voluisset quàm in suis logicis Capellis pectendis, facillè vidisset damnata illa Aristotelis sententia de Deo, quod actus purus sit omnis potentia ad materiam pertinentis, expertus omnium quoque Platoniorum sententiam damnari. Sed homini religiosissimo, fortasse non erit hoc satis: nisi id ipsum doceatur à nostra religione minime esse alienum. Ergo hoc etiam agamus, quidque nonnulli de nostris theologis hæc de re senserint, breuiter inquiramus. D. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, cū Elimas Magus illud D. Pauli reprehende-

*Theologorum
sententia de
deo, qualis a-
ctus sit.*

ret, deum non posse negare se ipsum, quasi esset contrarium dei, vt sic dicam, omnipotentia, respondet non idcirco deum impotentem esse, quod negare se non possit: quoniam hoc ab eius essentia est alienum, negareque se posse, in illo impotentia potius est, quam potentia, aut virtutis vel energia. Videor hoc loco contra Thesali calumnias idem dicere posse, deum non idcirco aliqua in parte impotentem esse, quod expertus sit potentia ad materiam pertinentis. Imo potius quia actus est omnipotens, illum omnino oportere esse expertem potentia eius quæ ad materiam pertinet. Quoniam hæc cum impotentia quadam necessario est coniuncta. Ad quod confirmandum præter quàm quod videor abundare variis Platoniorum & Peripateticorum rationibus, etiam in promptu est autoritas. D. Thomæ Theologi non minus nobilis, quàm acuti philosophi. Hic enim cap. 16. lib. 1. contra Gentiles, multa colligit quibus probat id ipsum quod Aristoteli placuit, in deo nihil esse omnino eius potentia quæ materiæ est propria. Eundem verò actum esse purissimum, ille quoque eodem libro confirmauit, primum quidè cap. 21. cum docuit deum esse suam essentia: deinde cap. 22. quando adiicit, quod ad illud quodammodo est consequens, in deo eandem esse essentiam cum eo quod ipse est. Scio hæc Thesalo futura monstrosa: sed ea lubenter vsurpo, vt solidioris doctrina philosophis persuadeam quod alio loco indicauit, hunc in vniuersa philosophia nihil suum dicere posse præter fucum, proprium scilicet scholæ Thesalicæ. Nos verò hoc discamus, potentiam ad materiam pertinentem, necessario cum quadam imperfectione esse coniunctam. Non quia posse aliquid, omnino imperfectionis sit: sed quoniam illa in eo cernitur quo id ipsum cui talis potentia attribuitur, aptum significatur ad nouam perfectionem suscipiendam. Non esset autem eiusmodi, nisi idem aliqua ex parte esset imperfectum. Deus verò, vt etiam hoc cap. ab Alcinoo confirmatur, non solum omni ex parte perfectus est, sed ipsa summa primaque rerum omnium perfectio. Quo modo igitur, nisi impiè, dicitur particeps eius potentia quæ ad materiam pertinet, cum omnem perfectionem sit in se complexus? Actus igitur est primus purus, prima impuraque potentia ad materiam pertinenti quæ ex altera parte, vt paulò ante ex Ficino indicauimus, à Platonis atque Peripateticis oppositus. Sed quoniam actus hic otiosus esse non potest, semper aliquid agat est necessè: quia ipse est sempiternus. Quid igitur agat? Contemplabitur, suæque prouidentia mundum reget: An verò hæc agat, nisi ad eandem insulam habeat facultatem, siue potentiam, Minime verò. Nec quisquam opinor tam fatuum aut stupidum Aristotelem



in philosophādo credet vt cum ab eo nominatim scriptū meminerit lib. 10. Ethic. & 12. Metaph. dei vitam in perpetua contemplatione versari, suspicari velit eundem deo omnem ad contemplandum potentiam siue facultatem ademisse. Ex quo profecta est potentiarum siue facultatum superior illa distinctio in passiuam & actiuam: quarū prior vno consensu omnium rectè philosophantium deo adimitur: posterior in eodem multis rationibus confirmatur à D. Thoma cap. 7. lib. 2. cōtra Gentiles: hæcque eiusdem dei substantia itēque actio esse dicitur cap. 7. & 9. lib. eiusdem. Quam distinctionem in philosophia vidit etiam Thessalus, sed in subdistinctione membri posterioris errorem alium vitare non potuit, in quo homini cęcutienti in Arist. doctrina monstrosū esse videtur, quod aliis sanū intelligētiūque iudicium adhibentibus, semper fuit verissimū. Potentia ea (inquit, Thessalus) quæ passionis est, æternis non cōuenit. Nisi fortè qualitate aliqua externa, aut loco, vt Luna semiplena potest effici plena: vt Sol in Geminis ad Taurum moueri potest (leuis exceptio, nec fortasse satis accommodata Aristoteli, qui cælestia corpora omnino impatibilia solet dicere: sed reliqua audiamus) At hic Aristoteles, inquit, Thessalus, longè sæcius philosophatur, de potentia nempe actiua: & sic *ὁραμας ἐνεργεῖν* nominatim hic ab eodem dicitur. Ecquid, istud prodigij monstrūque est? Id enim satis admirari nequeo: & accuratè consideranti, furiosum mentis insanè deliramentum videri necesse sit. Atqui non satis accuratè ista considerasti, Thessale, furorūque mentis tuæ semper ad calumniandum magis quam ad intelligendum cōparatæ, facit vt nimium intelligendo nihil intelligas. Disce igitur nūc primum quod nos ex Aristotele iam pridem didicimus, actiuam facultatem quæ non nisi ad formam pertinet, adhuc duplicem esse: quoniam & formæ de quibus hoc loco agimus sicut paulò ante dictum est, sunt duplices. Etenim naturales quia vt à nobis alio loco dictum cum materia necessariò communicant, actus quidem sunt ad agendum potentes: sed tamen sine materia adiuuante non possunt agere. Quoniam hæc in se continet instrumenta ad cuiusque formæ actionē destinata, quæ ad excitationē noui operis ab illa moueri oportet, & in caducis corporibus idcirco paulatim elāguescere. Quia dum formæ suapte natura impatibili in agendo vel efficiendo subserviunt, ipsæ in se necessario patiuntur tandemque marcescunt: vt in animalū corporibus eorūque functionibus Arist. obseruauit cap. 4. lib. 1. de Animo. Sic idem (quòd paulò ante obseruatū est) cap. 8. lib. 10. Ethic. agendi faciendique rationem deo adimit, solam contemplationem ei relinquit quā ab actione effectiōneque separat: quod hæc formarū sit naturalium cum sua materia communicantium. Quam si tu, illo repugnante

pugnante, Deo attribuis, tam flagitiosè peccas quam si cum Epicuro, in quæstione de mundi origine à Platone requiras in tanti operis fabrica. Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vestes, qui ministri tanti operis fuerint. Melius verò nostri, qui vt in rebus omnibus procreandis indicent nulla omnino instrumenta deo fuisse necessaria, illud usurpare solent, Ipse dixit, & omnia facta sunt. Adde quod eiusmodi naturales formæ ad agendum potentes, non semper agunt: sed in suis motibus frequentem habent interpositam quietem. Deus autem Aristoteli actus est cuius potentia in sempiterna actione versatur nulla quiete antecedente, aut interposita. Quam dissimilitudinem hic tibi indicare potuit cum ita scripsit cap. 6. lib. 12. Metaph. At verò, inquit, si motiuum, aut effectiuum est, nō autem operans aliquid, non est motus. Possibile namque est non operari, quod potentiam habeat. Ergo noluit deum motiuum aut effectiuum esse, aliquando non operantem: ne motus in vniuersa natura ab illo excitatus, non esset futurus sempiternus: sed actum esse sua essentia in perpetua actione versantem. Quod eodem loco indicat cum ista subiicit: Nam si nō operabitur, inquit, motus non erit. Nec item si operabitur quidem, substantia verò eius potentia sit. Non enim erit perpetuus motus. Quoniam quod potentia est, contingit non esse. Quæ omnia, Thessale, eo pertinent vt intelligatur quod etiam tandem colligitur cap. 7. Deum essentia sua simplicem & æternum, formam sine potentia & materia, impatibilem & immutabilem in naturæ vniuersitate sempiterni motus causam esse semper tamen immobilem. Ex quibus mundi æternitas naturæ lumine ab eodem faciliè concluderetur: ne aut ante mundum ortum Deus, qui in perpetua actione ponitur, nihil habere videretur quod ageret aut in ipsa mundi origine ad nouum motum suam facultatem excitasse antea ociosam. In quo si tu eum reprehendis quòd de mundi æternitate contra ea statuat quæ in religione nostra sunt posita, equidem sententiam tuam lubens amplector: sed non possum laudare quod furiosum mentis insanæ deliramentum id appellasti, quod omnes qui sana mente sunt, naturæ legibus valde consentaneum existimant: & in quo veteres etiam nostri Theologi in quæstione de mundi origine, vt Aristoteli satisfacerent maximè laborarunt. Quod esset difficilè vel cogitatione fingere quid Deus actus purus, qui in sempiterna actione vitam habet & essentiam ageret ante mundum ortum. De quo postea capite decimo cum de mundo erit agendum, pluribus differetur. Sed facit hoc credo ingenij tui peruersitas, Thessale, vt quæ aliorum iudicio cum natura valde consentiunt, tibi maximè sint monstrosa: sicut contra in omni genere doctrinarum



251
ALCINOI INSTITVTIO AD
tūi fortus qui tibi mirificè placent, aliis quia diri nescio quid rei literaria portendunt in alienas insulas videntur esse deportandi. Sequitur altera quæstio de deo, quo modo se ipse cæteraque contempletur & intelligat: in qua non minus ardes odio doctrinæ Peripateticæ. Aristotelis sententiam primum expendamus: deinde tua somnia cū illa conferamus. Statuit Arist. cap. 4. lib. 3. de Animo, in iis quæ materiæ & corporis expertia sunt, idem esse intelligens & id quod intelligitur. Formas autem quæ cum materia communicant, intelligibiles esse tantum, non etiam intelligentes. Ex quo sequitur deum qui actus est omnino à materia separatus, & intelligibile esse & intelligentem, queritur verò quid intelligat & in intelligendi modo à nostro intellectu cælestibusque intelligentiis quo differat. Manifestum est, inquit Arist. cap. 9. lib. 12. Metaph. primam mentem intelligere id quod diuinissimum honorabilissimumque est. Neque verò mutatur, in deterius namque mutatio fieret, atque id ipsum iam motio quædam esset. Primum igitur si non est intellectio, sed potentia, rationi consentaneum est laboriosam ei continuationem intelligendi esse: deinde dilucidum, quod aliud esset honorabilius mente: id scilicet quod intelligitur. Et intelligere profectò ac intellectio & quod pessimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc sit. Etenim quedam melius est non videre: quam videre: alioqui non fuerit quod optimum intellectio. Se ipsam ergo intelligit: si est quod optimum est. Quo vno in loco, quia multa sunt quæ Thesalus calumniatur, eaque si tanè intelligantur, ad illustrandam quæstionem de deo non parum pertinent, hæc nobis distinguenda sunt & sigillatim tractanda: vt ab omnibus intelligatur quo modo hic in illis Aristotelem suo more id est sic vt nescias maiore ne ignoratione, an malitia exagitet. Tria verò potissimum ille conatur reprehendere primum quidem quod Aristoteles dicere videtur omnem mutationem fieri in deterius: alterum, quod si in intelligendi munere potètia sit interposita, ab eodem concluditur in deo laboriosam futuram intelligendi continuationem: tertium, quod statuit deum se solum intelligere, nihil extra se: alioqui deo futurum aliquid præstantius: parique ratione, ne posse quidem eum quæ mala sunt intelligere. In singulis quibus ille rationibus contra Arist. nitatur audiamus. Aristoteles manifestum esse ait (inquit Thesalus) quod diuinissima & præstantissima mens illa intelligat, & actu intelligat, neque mutetur: quia in deterius omnis sit mutatio. At ratio ista falsa est. Nec enim ortus, vel accretio, vel iis cõsimilis alteratio, latiorque est in deterius. Hic mihi breuissima erit pro Arist. responsio: quæ tamè verissima ab eo intelligitur qui id de quo agitur, attentè considerauerit. Thesalus locum Arist. peruertit & ex falsa eiusdem interpretatione suo more calumniandi

occasionem quarit. Non enim Arist. ait omnem mutationem in deterius fieri. Sed negat deum intelligere, excitando potentiam aliquam in suum actum: verum in perpetuo intelligendi actu versari, in quo suam habet essentiam. Illud verò ex eo confirmat, quod si in deo potentia aliqua antecedens in suum actum excitaretur, secundum eam deus moueretur atque mutaretur. Hoc enim ipsum motus est: actus scilicet rei in potentia existentis, hoc ipso quod est in potentia. At deum moueri vel mutari absurdum est: quia in deterius mutari oporteret. Non quod omnem mutationem in deterius fieri arbitretur. Sed quia cū id omne quod mutatur aut in melius, aut in deterius mutari sit necesse: ratum Arist. existimauit deum optimum & præstantissimum in melius mutari non posse. Itaque sumpsit quod erat reliquum, si fortè deus mutetur, ad deterius mutationem eiusmodi fieri oportere. Idemque Alcinoi hoc cap. sed paulò plenius vsurpauit. Si deus commutetur, inquit, vel à seipso, vel ab alio commutabitur. Si ab alio, illud certè deo potentius esse oportebit. Sin à seipso aut in deterius, aut in melius eiusmodi commutatio fiet. At vtrumque horum in iis est, quæ fieri nullo modo possunt. In secundo, Thesalus Alexandri interpretationem reprehendens, nec tamen meliorem afferens, in Peripatetica doctrina valde rudem se declarat & hac in parte, sicut in cæteris, magis ad calumniandum quam ad explicandum comparatum. Pergit verò theologus Aristoteles, inquit Thesalus. Si potentia intercurreret, intelligentiæ continuatio esset ipsi menti laboriosa. Nam si essentia mentis esset ipsa intellectio, non magis deo laboriosum sit ipsum intelligere, quam homini esset hominem esse. At contra vt homini ambulare laboriosum, quia non est illa hominis essentia: sic deo graue esset molestumque intelligere, nisi intellectio ipsa dei esset essentia. Sic enim Alexander hunc Aristotelis locum ariolando interpretatur. Id enim est augurari potius quam philosophari: cum Aristotelis verba id minime significent. Equidem quid hoc loco tibi tam sit reconditum, non video: nec magis intelligo quid in Alexandri interpretatione ab Aristot. mente alienum esse arbitreris. Cum hominibus in Peripatetica doctrina exercitatis tritum illud sit quod à nobis antea pluribus est explicatum, functiones eas in quibus obeundis agens cum potentia materiæ communicat, intendi atque remitti, cum ipsaque remissione agentis defatigationem necessariò esse coniunctam. Ex quo nata est hæc acuta verèque philosophica Aristotelis ratio, quam si verum fateri, vis potius contempisti quam in ea intelligenda elaborasti. Sed hoc proprium tuæ doctrinæ: cætera videamus. Postremum reprehensionis tuæ caput est de Deo quo modo se ipse intelligat & an nihil extra se: in quo sic Aristotelem exagitas vt in supe-



rrioribus luisse tantum, nunc in eum verè furere videaris. Non erit profecto cuiquam credibilis tanta amentia, nisi tuis fideliter recitatis, quasi in rem præsentem lector deducatur. Hæc igitur audiamus. Quo loco, ais, lubet omnes non dico Christianos, sed homines tantam non Epicureos, sed patres in primis de liberorum institutione sollicitos appellare. Etenim per deum immortalem, de cuius natura modo agitur, qualisnam deus à philosopho nobis describitur? Epicurus (ait Tullius de natura deorum) Atheniensibus ne in eorum offensionem caderet, verbis reliquit deos, re sustulit. Itaque in illis selectis breuibûsque sententiis, quas appellat *νομιὰς ἀδελφῶν* hæc prima sententia est. Quod beatum & immortale, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. Atque hæc Epicuri theologia quidnam habet à doctoris nostri theologia diuersum? Metuebat Epicurus ne deus rerum humanarum procuracione & cura obrueretur, & ideo à liquid è voluptate immineret: Aristoteles cum deo vitam optimam & iucundissimam antea attribuisset, veritus item est ne contemplacione & intelligentia, aut vilium aut ipso leuiorum rerum fœdaretur. Deus igitur Aristotelis supra cælum mundumque positus, nihil eorum intelligit quæ cælo mundoque toto continentur: sed pavonis alicuius instar pulchritudinis suæ contemplacione delectatur. Ergo verus ille deus cui capilli cuiusque nostrum etiam numerati sunt, cui fortium euentus ante prouisus est, cui omnia denique toto mundo maxima, minima, mediocria, curæ sunt, Aristotelis ista theologia miser erit. O monstrum impietatis atque portentum! Deus te ex animis hominum pœnitens eradicer. Amarulenta profecto sunt ista nimium Thessalæ, sed vrit te fortasse in religionem Christianam singularis tua pietas. Itaque pro hac tibi ista condonemus: quæ in alio non ferres si quis in te ageret isto modo. Atque sicut cœpimus in tuis recitandis pergamus. O Theologi Christiani, ais, considerate iam quanta Christianis moribus pestis Theologiæ in scholas inducta sit. Philosophus iste pro Deo penè nescio quot secula cultus est, & omnino sic acceptus vt Theologiæ etiam Christianæ fundamentum & firmamentum censeretur. Id enim criminis contra nos secundo & vicesimo ab hinc anno intentati caput fuit, eneruata Aristotelis authoritate, Christianæ quoque religionis authoritatem enervari. Enimuerò Deus Aristotelis non modo hominum generi nihil consulit, sed ne cogitat quidem, vel intelligit præter se aliud quicquã. Et cerè Aristotelis impietatem de animorum mortalitate consequens impietas hæc altera fuit, vt Deus nulla generis humani cura tangere-tur. Equidem Thessalæ etiam si in Dei sinu, vt dicitur, per multos an-

nos luisse, quoque modo hic se ceteraque omnia intelligat, penitus perspectum haberes: deberes tamen Aristoteli solam naturam sequenti & huius tenuissimo lumine circa quæstionem omnium obscurissimam fortasse caliganti, ignoscere, Deique beneficium in te recognoscere, illius sortem misereri, errorem hac in parte si quis esse videbatur, modestè aliis indicare, non vniuersam doctrinam tanta animi impotentia insectari. Quid enim cum illa superiora euomis, aliud testaris, quàm te doctrinæ Peripateticæ iuratum hostem esse: sine qua tamen (quod omnes docti apertè intelligunt) neque ista contra Aristotelem declamitare potuisti, neque tuas nugas contra omnem antiquitatem, tanti venditare? Sed si tu non modo Christianus, verum inter Christianos homo nescio cuius, at tua certè opinione melioris notæ quam cæteri, quid Deus intelligat & quo modo, si verum fatirivis profusò nò intelligis, quo ore audes tam superbè in hac quæstione cæcutiens caligantem inter philosophos Aristotelem insectari? Quanquam in ea tibi quantum voles arrogabis: per me enim licet. nec vnquam istum doctrinæ fastum tibi tuivse inuidebo. Ego vero cum non solum ex veteribus philosophis, sed ex nostris theologis didicerim Dei non tantum vitam, sed essentiam in intelligendi munere consistere (quoniam vt illi dicere solent, quicquid in eo est, Deus ipse est) palam fatebor hoc nescire me quod nescio. Idque faciam eo lubentius quod facilè animaduerto curiosius inquirere quid propriè Deus intelligat, & quo modo, non esse aliud quam scire velle in quo propriè consistat eius essentia, quisque sit essentiæ modus. Et tamen ne plus hac in parte sapere quam nos videre, ego te testibus nunc obruam locupletissimis, ad efficiendū hanc ipsam Aristotelis opinionem de Dei intellectu cum veteribus philosophis, addo etiam cum nostra religione, aut omnino, aut magna ex parte, consentire. An num erit id potentissimum ad illum liberandum tuis calumniis? Hoc ipsum igitur iam agamus. Plotinus in Platonica doctrina explicanda illustrandaque tam nobilis, quàm tu in Peripatetica contaminada atque fœdanda, vno libro contendit id quod est supra Ens (sic autem ille Deum nominat) non intelligere. Quas tragœdias excitares Thessalæ, si hoc in Aristotelis schola audires? At illum hoc ipsum eodem libro confirmare conantem audiamus. Capite primo ostendit quando aliquid dicitur intelligens necessario significari aliud ab eo esse distinctum, nempe id ipsum quod intelligitur: sed hoc ab intelligente modo magis, modo minus esse distinctum. Duplex est intelligentia, inquit: Aut enim aliquid intelligit aliud aut se ipsum. Quod autem intelligit aliud, vult ipsum quoque diuersitatè fugere, sed minus id valet. Habet quidem apud se quod videt, sed à se diuersum. Verum quod



se ipsum intelligit, nō est ab eo quod intelligitur essentia separatum: sed coexistēs secum, se ipsum & intuetur. Vtūque itaque simul ens vnum efficitur. Imo verò magis intelligit, quoniam quod intelligit habet. Primòque intelligit: quia ipsum intelligens oportet vnū duoque existere. Quibus positis, de Deo quoniam intelligente superiore, ita concludit capite 2. Si igitur aliud quidē est primo intelligens, inquit, aliud autem est intelligens aliter: certè quod est primo intelligente superius, non intelligit. Intellectum namque oporteret esse, vt intelligeret. Si autē intellectus foret, intelligibile oporteret habere. Ac si primo intelligeret, habere intelligibile in se primo. Non tamē necessarium est quicquid intelligibile est, habere in se intellectum & intelligere. Esset enim non intelligibile tantum, sed & intelligēs. Cūque duo iam sit, non esset vtique primum. Iam verò intellectus qui intelligibile possidet, nunquam consistere posset, si non esset essentia eius quod est intelligibile purum. Quod ad intellectum quidem intelligibile erit: secundum autem seipsum, neque intelligēs, neque intelligibile propriè erit. Nempe quod intelligibile dicitur, alteri intelligibile indicatur. Atque intellectus suam illam vim per quam intelligentia nititur, habet vacuam, nisi acceperit comprehenderitque ipsum intelligibile, quod intelligit. Non enim absque intelligibili habet intelligentiam. Tunc itaque perfectus est quando iam habet. Oportet autem antequam intelligat, penes se habere essentiam. Illud ergo ex quo secundum essentiam perfectus existit, id ipsum est ante intelligentiam. Quamobrem nihil huic opus est intelligentia, cum antè hanc sufficienter existat. Itaque non intelligit. Est igitur supremum aliquid quod non intelligit. Est insuper quod intelligit primo. Est denique quod secundam quandam intelligentiam habet. Præterea si primum illud omnium principium intelligat, aliquid illi iam aderit. Non erit itaque primum, sed secundum: neque vnum, sed iam multa, & profecto totidem quot & intelligit. Quinimò si solum intelligat semetipsum, multa rursus euadet. Subtilius est quod apud eundem sequitur ca. 5. Quod in se est multiplex, inquit, merito seipsum quarret optabitque conspirare secum: seque mutuo vndique persentire. Quod autem est penitus vnum, quoniam se cōferet ad se ipsum, seque excipiet? Vbi nam sensu sui ipsius intimo indigebit? Est enim idem ipsum omni conspiratione sensus omnique intelligentia melius. Si quidem intelligentia non est primum. Neque enim primum obtinet gradum: siue quantum ad simpliciter esse spectat, siue quantum ad esse pertinet venerandum. Imo verò secundum occupat locum, natæque est postquam ipsum bonum extitit: ortæque in essentia, statim eā prouocauit ad bonum. Hæc autem prouocata, iam processit ad illud

atque nouit. Idque ipsum est intelligere, moueri scilicet ad bonum ipsius desiderio boni. Nempe desiderium intelligentiam procreauit, eamque sedulo comitatur. Visio namque in appetitu quodam visus ipsius consistit, ad videndum alliciente. Quamobrem ipsum bonum intelligere neque se, neque quicquam oportet. Neque præter se aliud quicquam habet sibi ipsi bonum. Atque hæc ille de Deo summo. De modo autem intelligendi in diis minoribus qui in cælo sunt, vt ait, incorporeo, ea idem scribit cap. 4. lib. de Intelligibili pulchritudine, quæ cum Aristotelis doctrina hoc loco de Dei intellectu magis cōsentiant. Huc tendunt, inquit, quæ à Platone traduntur in Phædro. Facilem scilicet illic superos vitam agere: veritatēque ipsam eorum genitricem esse, atque nutricem & essentiam & nutrimentum. Item illos omnia cernere, non illa quidem quæ generationi subiecta sint, sed quæ sint in essentia. Videre quoque seipsum in aliis. Omnia enim illic vndique perspicua sunt. Nihil ibi tenebrosum, nihil obsistens. Sed omnis illic omnibus est cōspicius intrinsecus atque per omnia. Et cap. 5. libr. de intellectu, Ideis & ente. Intellectum accipere decet, inquit, existentem in actu perpetuo: qui & ita semper intellectus existat. Si verò intellectus eiusmodi aduentitiam non habet intelligentiam, quicquid intelligit à se profus intelligit, & si quid habet, possidet à se ipso. Quod si à se & ex se intelligit, ipse profecto existit hæc ipsa quæ intelligit. Si enim essentia quidem eius est altera, quæ verò intelligit rursus & altera ipsa, certè huius essentia erit muneris intellectualis expertis: neque amplius in actu, sed in potētia intellectus. Iam vero si apud eundem Plotinum de prima mēte agendum est, quoniā hæc idea idearum est rerum omnium, in se ipsa & per se omnia cognoscet, nihil omnino extra se. Vt ex iis colligi potest quæ ab illo pluribus explicantur libro de substantiis cognoscentibus, & de eo quod superius est. An igitur illa res singulas non cognoscet? Eò certè modo quo & harum apud Platonicos sunt Ideæ. Quo modo vero sint, & qua ratione distincta quæstio est his controuersa, & ab eodem Plotino alio libro vno tractata. De qua dictum est cap. superiore. Non dubito quin apud te plus autoritatis D. Dionisius Areopagita sit habiturus. Eum igitur cum Arist. consentientem audiamus. Hic libro de diuinis nominibus, de re proposita sic statuit. Diuina certitudo per quam sibi certa habet omnia, etsi sæpe intelligentia nominatur, est tamen toto genere vel perfectissima intelligentia longè superior. Cognoscit verò cuncta per vnicum intuitum vnice suæ formæ, quæ efficit omnia pariter & demonstrat. Quam cum primum intus inspexit, relatione quadam distribuit in ideas rerum inde procreandarum. Adeo vt prima Dei cognitio non solum res creatas, sed adhuc creandas, imò



& ipsas rerū creandarū ideas, mirabiliter antecedar. Angelica vero cognitio ideas quidem sequitur, sed res antecedit. Humana, cōmuniter vtrāsq̄ sequitur. Ideā quidem comparantur ad Deum sicut ad lucem radij, vel splendorēs: cetera vero sicut vmbra. Deus igitur per vnicam lucem suam cognoscit concipitque ideas: per has reliqua velut vmbra: perinde atque si Sol per lucem suam radios circumiectos contueretur, per radios vmbra ex opposito resultantes. Et capite proximè subsequente, Diuinus intellectus, inquit, omnia continet, cunctis eminente cognitione per ipsam omnium causam in se ipso intelligentiam omnium anticipans. Priusquam angeli fierēt, cognoscens angelos atque producens: ceteraque omnia ex intimis suis ab ipsoque vt ita loquar, exordio noscens, ad essentiāque perducēs. Idēque arbitror sacrum eloquium significare dicēs, quia omnia nouit antequam fierent. Intellectus enim diuinus non res ipsas nouit ex ipsis, sed ex se ipso & in se, per causam, omnium notitiam & cognitionem essentiāque anticipat, & excellenti ratione comprahendit, non distractus in singula, sed per vnam causā comprahensionem omnia sciens atque continens. Et iterum capite altero. Diuina sapientia, inquit, se ipsam cognoscens, cuncta cognoscit. Materialia quidem immaterialiter, impartibiliter partibilia. Vnica multa, intuitu videlicet vno cuncta cognoscens atque producens. Nempe si per vnam causam Deus essentiā omnibus impertit, per eandem quoque causam vnicā, scit insuper omnia: quippe cum ex ipso sint, & in ipso antè subsistant. Neque igitur ex rebus rerum notionem accipiet, sed ipse singulis id præstabit vt & se & alia noscant. Deus igitur non aliam quidem sui, aliam vero aliorum scientiam habet. Ipsa namque omnium causa se cernens, quoniam pacto cogitari potest quæ ab ipsa sunt quorūve causa est, ignorare? Hac igitur ratione Deus cuncta cognoscit, non quidem vlla rerum, sed ipsa sui ipsius scientia noscens. Non sentis, Thessale, hic à Christiano theologo eoque nō vulgari, ea ipsa laudari in quibus Aristotelem impietatis arguis? An igitur hunc quoque quia cum Aristotele, quem odisti canē peius & angue, existimat Deū se ipsum tantum intelligere, nihil extra se, schola Christiana sicut & Aristotelem explodendum iudicabis? Vide quid agas atque caue obsecro te, ne ardori ingenij tui nimium indulgeas. Vis in D. Thoma, quia huius nomen in theologorum schola auditur frequentius, acquiescamus. Ego capita doctrinæ eius cum Arist. hac in parte consentientia, tibi indicabo vt hæc aliquando si voles, liberiori animo perlegas, ex eisdemque aliquando discas quam inconsideratè, ne quid dicam grauius, impietatis nomen hoc loco in Aristotelem tibi exciderit. Ille capite 45. lib. 1. contra gentiles confirmat primum, Dei intelligere

intelligere Dei esse essentiā: ad idque docendum nominatim usurpat quod paulo antè posuimus, quicquid in Deo est, diuinam esse essentiā. Ex quibus postea colligit cap. 46. Deum per aliud nihil intelligere, quam per suam essentiā. Pergit verò cap. 48. atque contēdit, quod ad retinendam Aristotelis doctrinam potentissimum est, Deum primo & per se solum se ipsum cognoscere. Hocque ex eo probat quod species intelligibilis, per quam & in qua Deus omnia intelligit, ipsa nihil aliud sit quam Dei essentiā. Sentis hoc ipsum esse, aut certè ei proximum, quod in Arist. nunc exagitas? Age verò hūc etiam idem alio loco confirmantem & eam dubitationem quæ te in hac quæstione perturbauit, explicantem audiamus. Hic articulo 5. quæst. 14. Summè 1. ex D. Augustino commemorat, lib. 83. quæstionum, Deū extra se nihil intueri. Deinde statuit Deum seipsum videre in seipso, quia se ipsum videt per essentiā suam. Alia autem à se, inquit, videt non in ipsis, sed in se ipso: in quantum scilicet essentiā sua cōtinet exemplar aliorum omnium. Ex quibus illud quoque intelligere potuisti quod aliquando ab Episcopo Parisiensi damnatum legimus, Deum scilicet non cognoscere aliud à se. Nec verò dubitas, opinor, quin ad hanc D. Thomæ sententiā vniuersa nostrorum theologorum schola vno consensu sit accessura: sed quia huius authoritas tibi iam pridè cœpit vilescere, barbaros etiam de eadem quæstione cum Arist. statuentes audiamus. Auerroes inter Arabes philosophus magni nominis, non solum hac in parte Aristotelem sequitur, sed si animaduertis eam quoque dubitationem quæ te perturbauit, aptè dissoluit. Hic enim disputatione sexta contra Algazelem, qui ante te in hac quæstione laborauit, scribit intellectum separatum non intelligere nisi seipsum, & intelligere se ipsum cum intelligit omnia entia. Intellectio enim eius, inquit, nihil aliud est nisi ordo & proportio quæ est in omnibus entibus. Et iste ordo & proportio est ille quem recipiunt potentia actiua, habentes ordinem & proportionem repertam in omnibus entibus: & est id quod philosophi appellant, naturam. Quod idem quoque reperit quæstione 11. At, inquis, si se solum Deus intelligit, extra cælum mundumque positus, nihil eorum intelliget quæ cælo mundoque cōtinentur. Ridicula profecto obiectio & Christiano philosopho valdè indigna. Quid enim, Thessale, ita ne tibi Deus extra, vel potius supra cælum mundumque positus, vt neque in cælo neque in mūdo sit? Caue ne hæc opinio grauiorem impietatem parturiant ea quam hoc loco in Aristotele notare voluisti. Deus loco non continetur, sed vbique totus est. Quare nec extra cælum, nec in cælo mūdōve repositus verè dici potest. Non enim (inquit D. Augustinus cap. 29. lib. 22. de Dei Ciuitate) quia dicimus Deum in cælo esse & in



terra (ipse quippe ait per prophetam, Cælum & terram ego impleo) aliam partem dicturi sumus eum in cælo habere, & in terra aliam: sed totus vbicunque est non alternis temporibus, sed vtrúmque simul: quod nulla natura corporalis potest. Ergo quia vbicunque Deus est, ibi se ipse quoque intelligit, & supra cælum & in cælo mundoque se intelligit: quoniam per omnia hæc fusus est, nullo horum circumscriptus. Vrges vero etiam amplius, Deus Aristotelicus, ais, pauonis alicuius instar, pulchritudinis suæ sola contemplatione delectabitur. Bona verba Thessale, & extra iocum. Nec enim in re tam graui ei locus est. Ergo verus ille Deus, inquis, cui capilli cuiusque nostrum etiã numerati sunt, cui sortium euentus antè prouisus est, cui omnia denique toto mundo maxima, minima, mediocria curæ sunt, Aristotelis ista theologia miser erit. Imo, Thessale, verus ille Deus cui capilli capitis tui numerati sunt, per aliud nihil intelligit quam per suam essentiam: sed generat ex se ipso, in se ipso sui, ipsius intellectiõnem semper eodem modo & eandem & æqualem sibi. Quia non intelligit per speciem, sed per sui ipsius præsentiam. Quoniam ipse causa est omnium: idcirco que se ipsum cognoscendo, omnia cognoscit. Si quidẽ vnumquodque per causam cognoscitur. Vt idem D. Thomas confirmat ca. 49. & 50. lib. 1. contra Gentiles: & de numeratis capillis tuis locum Mathei in eandem sententiam interpretatur D. Ioan. Chrysostomus, de Dei prouidentia sic disputans. Nonne duo passeris, inquit, asseduntur, & vnus ex ipsis non cadit in laqueum sine patre vestro qui in cælis est? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Quid vilis passeribus? Sed tamen nunquam ignorante Deo capiuntur. Non enim cooperante Deo incidere in laqueum passeris ait, quod diuinæ maiestati indignum esset: sed non esse clam Deo etiam vilissimarum auium causam ostendit. Quod si nihil penitus Deus ignorat: at vos paterna charitate prosequitur & ita amat, vt pilos capitis quoque vestri non negligat, quid timendum vobis est? Hoc autem dicebat, inquit, Chrysostomus, non quod Deus capillos numeret: sed quia perfectam cognitionem rerum omnium, & summam de rebus omnibus Dei prouidentiam voluit ostendere. Ex quibus colligi potest cognitionem capillorum, sicut & passerulorum, in Deo tanquam in causa, nostrorum theologorum sententia esse spectandam. Quam si arbitraris ab Arist. esse sublatam, cum dixit Deum extra se nihil intelligere, sed in se ea tantum quorum causa est, assumptum prius oportuit Deum in se capillorum tuorum causam non esse. Quod in nostra religione nemo tibi concessurus. Nescio verò an in tua, quæ alia longè plura grauiorãque monstra peperit, tam fatuæ, vel potius impiæ opinionis patronum aliquem sis inuenturus. Contra quam placet etiam

hoc loco commemorare Iulij Scaligeri olim in quæstione de methodo magistri tui, acutissimam sententiam in disputatione contra Cardanum. Primam intelligentiam, inquit, facere ignaram earum rerum quarum ipsa author est, animi est aut impij, aut absurdi. Neque tamẽ ex eo contingit vt ipsa ex horum intellectu vilis fiat. Non enim hæc habet tanquam obiecta, à quibus vel immutetur, vel perficiatur. Sed se ipsa intelligendo, quæ omnia sit, omnia intelligit. Etenim si nõ intelligeret hæc inferiora, non esset eorum causa: neque ea conseruaret. At Sol & homo gignit hominem apud philosophum. Non gignit speciem, sed hunc. Quo modo gignit, si non nouit? An quispiam locus est: vsquam loci angulus, à quo Deus excludatur & præscribatur? Cuius, à quo erit ea prærogatiua, vt aliqua vel forma vel corpore Deus terminetur? Quid? Cui licet sic designare Deus non est hic. Igitur si vbique est, vbique adest. Adest: & non cognoscit? Amentes sunt qui hæc dicunt, non ille amens. Etiam manum hanc dirigit ad scripturam hanc, quæ istos arguat temeritatis: etiam intellectum, qui hæc & cõcipiat & dicitur. Neque enim vltimæ formæ proximæque corporibus agunt, nisi forã adiutæque formis superioribus: illæ verò porro aliis, ad primam vsque. Omnes autem formas ad vnam referri formam necesse est, quemadmodum est in 12. diuinæ philosophiæ & in 4. Paraphraseos apud Auerroen. Quarum omnium formarum intellectiõnes atque actiones ad illius primam intellectiõnem reduci oportet. Non sentis Thessale, quam multos, quanquam acutos non modo Theologos, sed melioris notæ philosophos defensores habeat illa de Deo sententia, quam in Arist. condemnasti? Quamque pia eadem semper sit habita, in qua tu, veteris philosophiæ & veræ christiænæ summa ignoratione, tui atheismi fundamenta sira existimasti? Ex quibus omnibus hoc quoque est consequens, Deum nihilo magis per se, & in se mala cognoscere, quam eundem malorum per se & in se causam esse. Qui locus alter est à te quoque in Arist. exagitatus: sed profecto non satis intellectus. Nam eodem modo apud Platonem malorum nullæ sunt ideæ. Quia neque Deus malorũ causa est: neque quicquam intelligit nisi per ideam: quemadmodum antea dictum est in disputatione de ideis. Quod si in vtrõque reprehendere voluisti, quia in hac quæstione de malis vnde sint, te nuper nescio quibus addixisti, qui Deum malorum authorem facere audent: at hoc memineris inter Christianos alios esse plerõsque qui hoc auersantur, quique Platonem & Arist. quia in eo tibi tuisque contradicunt, non modo non concedunt Christiana schola esse explodendos: sed illos potius eo cupidius amplexantur discendõsque inuenturi sedulo proponunt. Quorum labore, doctrina vtriusque in hac academia, sicut



sa. Quo loco dignissimus est obseruatio ordo formarum à primo rerum omnium opifice emanantium. De quo non minus admiranda est sententia Plotini libro de ordine eorum que sunt post primum. Quoniam vero illa in Platonico-rum doctrina trium primorum distinctio que ad hunc locum Alcinoi intelligendum est necessararia, magnam habet obscuritatem & lubricam sententiam, placet in hac alienis vestigijs insistere, potius quam temerè quicquam affirmare. De qua audiamus Contarenum Cardinalem lib. 5. Compendij Metaphysici. Postrema omnium, inquit, sententia est Platonis, esse scilicet infra primum principium ac supra animas corporum caelestium, intellectum seu mundum intelligibilem. Huiusmodi vero intellectus necesse est, vt sit infra primum principium. Id nãque est ipsum esse per se existens, nulli naturæ additum: in intellectu vero esse, est contractum ad intelligibilitatem, vt ita dicam, seu ad intellectionem. Quapropter Plato posuit hunc intellectum causam esse exemplarium, in quibus sunt ideæ rerum omnium. Nam in primo principio res altiore modo sunt, quam vt in eo exemplaria rerum constitui queant. Exemplar enim omne cognosci potest, & quatenus exemplar est, comprehendit. At in primo principio sunt supra cognoscibilitatem, ac in arcano sita, quod minimè peruium est cuius intellectui. Quamobrem Plato, vt reor, posuit causam exemplarem in secundo ente, in quo esse, contractum est ac definitum ad naturam intelligibilem. Et eodem libro. Primum, inquit, in quod esse, à puritate sui degenerat, est intellectus, qui iam aliqua natura est, non esse purum: verum tam late fusa, vt in se, suo tamen modo, omnes quoque res alias atque naturas comprehendat. Quæ in parte æmulatur ipsum esse, deficiente tamen ratione. Nam in principio res omnes sunt secundum vnicum esse eminent, ac præexcellens quibuscunque naturis, ac cuius rerum modo. At in intellectu res omnes sunt, secundum determinatam tamen rationem, & definitum modum: id est secundum esse intelligibile. Ea nãque est natura intellectus ipsius. Idem Contarenus lib. 6. scribit ab vno, id est, à primo rerum omnium principio, non emanare immediatè nisi vnũ, primum videlicet intellectum ac mundum intelligibilem. In hoc verò quãdam inesse multitudinem, idearum scilicet que in eo ratione distinguuntur, tanquam in primo exemplari. Hinc causam existere multitudinis rerum sensilium, quæ sunt in hoc sensili mundo. Non quod deus pater & rerum omnium opifex, exemplari alio, à se indiguerit ad rerum productionem, cum in eo supereminente quodammodo exemplar sit cuiuscunque exemplaris: sed exemplarem causam Plato in secundo ente videtur posuisse, quoniam primum principium à nobis capi non potest, cum superet intellectum. Exemplaris vero ratio in hoc est, vt sit intelligibile. Atque hæc quidem satis multa, de Deo patre & primo intellectu eius filio. Quo modo vero mundi anima totum mundum animet totaque sit in qualibet mundi parte, & tamen præter hæc, certæ mundi partes propriam animam habeant: quædam præstantiorem, aliæ ignobiliorem, quæstio est apud Platonicos que à Plotino explicatur cap. 14. libri eius quo docet, ens vnum idemque, totum esse vbique.

4. Vt Sol ratione sui luminis primum est aspectabile & causa per quam oculus potest aspicere, & color aspici, ideoque lumen appellatur vtriusque actus, siue perfectio, vt amplius differetur cap. 15. lib. huius: sic deus intelligibile primum est & causa cuius beneficio cetera intelliguntur. Huius verò lumen, Platonici nobis affulgere voluerunt per intellectum primum, quem Dei filium diximus posse appellari. De quo sic scriptum à Proclo lib. de anima & demone. Intellectus ipse quidem inquit, circa nos semper agit, semperque præbet intelligentiæ lumen. Atque etiã

priusquam labamur in conditionem irrationalem. Et quando in passionibus vitam degimus, & passionibus quandoque sedatis nõ semper animaduertimus: sed quando à plurimo generationis tumultu purgati sumus, atque tranquille viuimus. Tunc enim intellectus nobis affulget: tunc quasi nobiscum loquitur: tunc suam nobis communicat vocem, antea silentio presens. Quomodo cum Aristoteles lib. 3. de Animo, videretur esse loquutus de intellectu agente, que ponit immortalem & à corpore separabilem, nonnulli hunc sua essentia vnicum & ab hominibus separatum esse voluerunt: qui tamen sua virtute quasi lumine, in singulis insuaret hisque actum intelligendi daret. De quo alio loco iam à nobis disputatum est & amplius differetur in sequentibus. Nunc ad Alcinoium reuertamur. Comparatio ipsius boni (sic enim Plato Deum patrem solet appellare) cum Sole, que etiam hoc capite paulo post explicatur, in secundo modo cognoscendi Deum, expressa est lib. 6. de Rep. Carterum o viri felices, inquit Socrates, quid ipsum bonum sit in presentia dimittamus. Est enim, vt mihi videtur, presentem supra contemplationem, Quis autem appareat boni ipsius filius, quisque simillimus ei sit, si vobis placet dicam: sin minus dimittam. Dic age. Solem me vocare boni filium dicitis: quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilem. Vt quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum, & ea que intelliguntur, se habet: sic & iste in loco visibili, ad visum se habeat & ad ea que videntur. Quo pacto? Latius explica. Oculi porro quoties non ad ea vertuntur quorum colores diurnus fulgor illuminat, ostenditque, sed ad illa que nocturnis radijs attinguntur, cecutiunt hallucinanturque & propè ceci esse videntur, ac si purus in illis visus non insit. Sic accidit. Quoties verò ad ea que Sol illustrat, perspicue cernunt iisdemque ipsis in oculis inesse visus apparet. Est ita. Sic de animo cogita. Quando enim illi inhaeret in quo veritas & ipsum ens emicat, intelligit illud cognoscitque, & intellectum habere videtur. Sed cum ad id fertur quod tenebris est permixtum, quod videlicet generatur atque corumpitur, eius obtunditur acies, opinionisque versat varias, ac mentis expertus esse videtur. Sic apparet. Illud igitur quod veritatem illis que intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicitis, scientiæ & veritatis que per intellectum percipitur, causam. Cum verò adeo pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet & veritas, si bonum ipsum aliud quam ista & pulchrius affirmabis, rectè putabis. Et quemadmodum lumen ac visum, solis speciem quandam habere existimare decet, solem vero ipsum esse nequaquam: ita cognitionem & veritatem boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse verò ipsum minimè. Augustior enim est ipsius boni maiestas. Non enim solum iis dat vt cognoscantur, sed esse insuper & essentiam largitur: cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam dignitate ipsam & potentia super ens. Scitum est quod de eadem comparatione scribit Martilius Ficinus in libro Dionysij de diuinis nominibus. Lumen est imago boni, inquit. Sol caelestium dominus & imago Dei. Res nulla magis quam lumen refert naturam boni. Primum quidem lumen in genere sensibili purissimum eminentissimumque apparet: secundò facillimè omnium & amplissimè momento dilatatur: tertio innoxium occurrit omnibus atque penetrat leuissimum & blandissimum: quartò calorem secum fert alium, omnia fouentem & generantem atque mouentem: quinto dum adest inestque cunctis, à nullo insecitur, nulli miscetur. Sic ipsum bonum totum rerum ordinem supereminet, amplissimè dilatatur, mulcet & allicit omnia, nihil cogit: amorem quasi calorem habet vbique comitem, quo singula passim insecantur, bonumque libenter asciscunt. Vbi que rerum penetra-



libus presentissimum, commercium cum rebus nullum habet. Denique sicut ipsum bonum inestimabile est atque ineffabile: ita ferme lumen. Hoc enim nullus adhuc definiuit philosophorum. Vt nihil lumine clarius sit, alicubi nihil rursus videatur obscurius. Sicut & ipsum bonum notissimum est omnium, & omnium obscurissimum. Quibus adde, vt in Sole tria sunt, substantia, lumen & calor: sic in Deo substantiam esse patris, lumen mentis, id est filij, calorem spiritus omnia animantis. Quod etiam in eadem comparatione quodammodo sequutus videtur idem Marcellus cap. 12. lib. de Sole. Nihil, inquit, in mundo diuinae Trinitati reperitur similis ipso Sole. In vna enim Solis substantia tria quaedam inter se distincta sunt pariter & vnita, primum quidem naturalis ipsa fecunditas sensibus nostris prorsus occulta: secundum manifesta lux eiusdem, ex ipsa fecunditate mansans, ipsi semper equalis: Tertium, ab vtroque calefactoria virtus penitus par vtriusque. Fecunditas, patre refert: lux, intelligentiae similis, filium intelligentiae modo conceptum: calor amatorium spiritum representat. Quod verò Socrates apud Platonem, vt antea dictum est, Sole huc vocat Dei filium, hoc Ficinus cap. 13. lib. eiusdem obseruat esse intelligendum non de primo, sed de secundo, iamque visibili Dei filio. Primum namque Dei filium non esse Solem hunc oculis manifestum, sed alterum hoc longe superiorem, intellectum scilicet primum, solo contemplabilem intellectu. Quare cum idem Socrates dicatur aliquando in castris sub dio, immotis membris oculisque minime conuiuicibus, Solem occiderem, & iterum orientem contemplatus & veneratus, negant hoc Platonici de isto Sole in sensum cadente intelligendum esse, sed de altero cuius imaginem in hoc admirabatur & cum maxima voluptate intuebatur. Eandem comparationem inter theologos expressit D. Gregorius in oratione de laudibus Athanasij. Quod rebus sensibilibus Sol est, inquit, id est intelligibilibus Deus. Alter enim lucem mundo visibili, alter mundo inuisibili praestat: & alter visum corporeum, alter naturam intellectualem sibi similem reddit. Atque vt Sol videntibus & videndis, his quidem quod possint videre, illis quod videri possint, se ipsam prebens, omnium quae videntur pulcherrimus est: ita Deus intelligentibus & intelligendis, illis quidem vt intelligere possint, his vt possint intelligi, ipse omnium quae intelliguntur summus est: in quem vis intelligens, omnis quiete & progredi ultra non potest. Huic similitudini dissimilitudinem opponit Mercurius Trismegistus in Pimandro. Quod Sol fulgore nimio corrumpit oculos, calligantesque reddit: ipsius autem boni conspectio, intellectum illustrat & eius lucem eo magis adauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum.

De hac nominum varietate in Deo vno, sic scribit Marcellus Ficinus in lib. Dionisij Areopagita de diuinis nominibus: Nomina, cognomina, adiectiua, inquit, quae a sacris literis varia tribuntur Deo, non ad hoc inuenta sunt vt ipsam Dei naturam significarent. Quae cum vnica sit & simplex, si nominanda foret, vnico nomine foret nominanda: sed ideo instituta sunt, vt multa variaque bona a diuina bonitate largissime profuentia, declararent. Si quid verò praeter processum a Deo significant, apud Deum dicunt vtrique quid non sit ipse Deus. Vt cum dicitur Deus ipsum vnum, vel vnitas, vel monas: per haec primo significatur non esse Deos plures, sed vnicum: item vnicum Deum non esse compositum, sed simplicissimum: rursus simplicissimum Deum, non esse diuiduum. Atque ita his dicitur quid non sit ipse Deus. Et eodem lib. per ipsius Dei appellationes, intelligenda esse ait munera quaedam ex diuina prouidentia vniuersi gradibus distributa. Per ipsam quidem appellationem boni, beneficos processus, per omnia passim etiam atque non entia, vel vsque ad materiam primam, boni prorsus audi-

dam

dam, quamuis non essentiae compotem. Per appellationem verò entis & vitae, vires diuinitus procedentes distribuentisque singulis citra materiam, existendum atque viuendi: pluribus tamen esse, quam viuere concedentes. Per cognomen intelligentiae vel sapientiae, quendam diuini splendoris effluxum, cognitionem triplicem gradatim largientem, intellectualem quidam Angelis, rationalem nobis, sensualem denique brutis. Ipsum autem inter haec Deum extare cogita, super entia similiter & essentiam, super viuentia vitam, super omnia quae sapiunt, sapientiam. Dignum etiam obseruatione est quod idem scribit commentario in lib. Dionisij de Trinitate, de affirmationibus & negationibus quomodo se in Deo habeant. Duo quaedam potissimum, inquit, de rerum principio communiter cogitamus. Vnum quidem quemadmodum omnia inde profluunt semperque dependet. Alterum verò quemadmodum ipsum interim est ab omnibus eminentissimum segregatum. Prima igitur ratione omnia quae diuinitus effecta sunt, quatenus inde videntur egredi, de Deo possumus affirmare: quasi non inde venire poterint, nisi prius illic extiterint. Sic Deum esse affirmamus Essentiam, Substantiam, Vitam, Intellectum, Animam, Naturam, Coelum, Elementa, Stellae itemque formas rerum vtriusque formosas. Sed ratione secunda negare rursus singula de Deo debemus: Quo enim pacto est aliquid eorum quae fecit: si quidem est ab eis interim mirabiliter segregatum? Et autem tutior veriorque negatio rerum quam affirmatio circa Deum. Quoniam longe plus est quod ipsius Dei separatum est à rebus singulis, quam quod ipsis rebus est communicatum. Hoc enim finitum est omnino: illud autem prorsus immensum. Denique mentiri facilius affirmando possumus, quam negando. Si quidem affirmatio ad intelligentiam nostram limites finire videtur quod incomparabiliter est immensum. Quare eleganter dictum est à Iulio Scaligero contra Cardanum, nullis vocibus tam plene Deum significari, quam iis quae ignorantem nostram pretendunt: nimirum vbi eum dicimus immensum, incomprehensibilem. Quid enim aliud, inquit, quàm & esse cognoscimus & superesse? Istas verò varias attributiones, veteres in Deo considerantes, caelestium numinum atque deorum multitudinem induxerunt. Siquidem quod apud Orpheum Pallas significat, id nobis in Deo vno sapientiam esse videtur: & à philosophis positum Mercurium, in eodem alij intelligentiam interpretantur: sicut & Saturnum, rerum fecuram: Neptunum, vim procreatricem: Iunonem, abditam naturam: Venerem, eorum quae in vniuersitate naturae continentur, diuinum amorem. Sic circa Deorum nomina philosophatur Plato in Cratylo, eorumque rectam rationem inquit: quam fateretur paucis esse cognitam. Mirabilis hoc in Aristotele, quia minus diuinus existimatur: & tamen ita scribit penè extrema pagina libri de mundo ad Alexandrum. Vnus Deus cum sit, inquit, pluribus nominibus appellatus est: ab iis vtrique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet. Atque cum quidem tum Zena, tum Dia vocant, inter se compositis vtentes nominibus, atque è regione collocatis: tanquam duabus his vocibus significare velint, per quem viuimus. Is Crono, id est Saturno, & Crono, id est tempore ortus esse dicitur: nimirum ab aeo sempiterno, ad alterum eum pertinens. Vocatur & fulgurator & Altitonans & Aetherius & fulminator & Pluuus: à pluuiis vtrique & fulminibus aliisque operibus è quibus vocabula ipsa deducta sunt. Quin & frugipotens & custos vrbium vocatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius & Patrius, videlicet à communione quae diuino ipsi numini cum his rebus intercedit. Ad haec Sodalitius & amicitiae praesens, tum Hospitalis, Castrensis, Tropaealis, Expiator, Sanguinarius, & duplex & placabilis vt poetae loquuntur: denique Seruator dicitur &

pp



Affertor, & vt semel omnia complectur, Cælestis, Terrenus, ab omni natura fortè- que nomen adpetus: vt pote qui rerum omnium author sit. Simile est quod ex religione Aegyptiorum scribit Iamblichus libro de illorum mysteriis. Secundum alium ordinem, inquit, præponit Porphyrius Deum Emepi diis cælestibus, tanquam ducem, quem ait esse intellectum seipsum intelligentem, atque in se intelligentias conuertentem. Huic vnum impartibile antepositum, quod vult esse primum exemplar, aut expressionem, aut effigiem, quod Icthon appellat. In quo est primum intelligens & intelligibile primum: quod solo silentio colitur. Præter hos autem, rerum apparentium opificio alij duces præfunt. Nam opifex intellectus, qui & veritatis est dominus atque sapientia, quatenus in generationem progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, Amum Aegyptiaca lingua vocatur. Quatenus autem sine mendacio peragit & artificiose simul cum veritate, Phtha nuncupatur: graeci verò hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quantum verò effector est bonorum, appellatur Osiris: aliàsque denominationes habet, propter potentias actionesque differentes. In ea verò varietate nominum quæ hoc loco ab Alcinoo attribuuntur Deo, obseruandum est quædam esse, vt philosophi loquuntur concreta, alia abstracta. De quibus abstracta multo aprius de illo enunciantur quam concreta. Hæc enim denominationem ab alio significant: ideòque cum Deo attribuuntur quodammodo arguunt, abstracta ab hoc alia esse eodèmq; priora. Quare non tam Deus Ens est, quam Essentia supra omnia entia: neque bonus, sed bonitas: neque sapiens, sed sapientia. Adde quod abstracta absolutam perfectionem designant sine defectu: concreta, perfectionem quandam subiecto communicatum secundum varios gradus & inæquales. Qualem Deo attribueret esset impium. Ideòque si quando apud Platonem ipsa concreta de Deo enunciantur, non dicitur absolutè Deus bonus, sed articulo præposito, Ipsum bonum: vt significetur in illo ideæ summa perfectio.

6 Deus sua substantia maximè vnum quiddam est: eòque similis centro. Quia vt hoc, in vnoquòque circulo vnicum est, indiuidium & immotum, ex eo verò multa lineæ mobiles ad ambitum ducuntur: in quibus illud sua natura indiuiduum quodammodo diuiditur (quod etiam de interiorè sensu scribit Arist. cap. 2. lib. 3. de Animo) sic Deus vnus penitus simplex & immobilis, in rebus effectis quodammodo est multiplex atque mobilis. Non solum quia cunctis est præsens: sed quia omnibus essentiæ partem aliquam, vel interiorè virtutem dedit simplicissimam atque præstantissimam: quæ rerum ipsarum summa vnitas nominatur. A qua tanquam à centro, rei cuiusque essentia interiorque vis profluit & ad eandem tanquam ad centrum refertur. De quo sic Plato loquitur in Parmenide. Vnum ipsum inquit, non multa est: nec partem, nec totum, nec principiū, nec finem, nec medium habet. Infinitū informèque est: nullo loco circumscribitur: nusquam permanet: nullo siue loci, siue alterationis motu mouetur. Nec villo modo fit: nec sibi alteriue idem, aut diuersum est: nec simile aut dissimile, nec æquale aut inæquale, nec antiquum aut nouum nec in tempore villo, sed omnino sine tempore. Quamobrem nec generatum vnquam est, nec generatur: nec erat vnquam, nec modo factum est: nec fit, nec est, nec post fiet: nec generabitur, nec erit, nec substantiæ particeps est. Ista enim verba, erat, fiebat generatum est, præteritum tempus significant: erit autem, fiet & generabitur, futurum: est autem & generatur & fit, præsens. Quod autem nulli subiacet tempori, id nec erat, nec est, nec erit. Ex quo fit vt nullum etiam nomen ei inditum sit, nulla definitio detur, nulla scientia, aut sensus, aut opinio eius habeatur. Itaque nec nominatur, nec dicitur, nec

cogitatur, nec cognoscitur, nec ab aliquo ente sentitur. Ex quo Parmenidis loco multa hic ab Alcinoo videntur esse descripta. Vide in eandem sententiam D. Augustinum cap. 16. lib. 9. de Dei Ciuitate.

7 In Deo non solum rerū intelligentiam inesse dicimus, sed etiam earum procreandarum atque conferuandarum voluntatem. Res enim intelligendo intra se concipit, & suæ voluntatis actu easdem procreat. Neque verò tantum vult omnia quæ vniuersitate continentur, absolutè esse, sed ornata etiam esse atque concinna. Ac vt singula esse vult suo tempore, sic & ornatum habere suo tempore conuenientem. Quemadmodum idem dicitur velle omnia sibi similia: & tamen non in omnibus expressa est eodem modo hæc cum illo similitudo, sed pro cuiusque natura. In quo eisdem elucet summa iustitia. De qua sic scribit Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus. Deus iustitia nominatur, inquit, vt sua cuique pro dignitate distribuens modumque & pulchritudinem & ornatum, omnes præterea distributiones dispositionesque definiciens: vnicuique secundum ipsum terminum re vera iustissimum singulis quoque vt suum quæque opus agant, author existens. Omnia enim diuina iustitia ordine certo disponit atque determinat. Custodit præterea singula seorsum à singulis, non confusa. Singulis denique quod cuique conuenit, pro dignitate largitur. Apertius est quod in eiusdem loci explicatione dicitur à Marsilio Ficino. Iustitia diuina, inquit, equalitatem exigit non quidem in gradu, non enim vult vnicum, vel æqualem esse in vniuersum gradum. Alioqui non esset varietas & ordo formarum. Inæquales ergo gradus in multis deinceps rerum formis speciebusque decreuit. In quibus interim æqualitatem proportionis amat: vt qua proportione hoc excedit istud, eadem istud superet illud. Cum vero in Deo duo illa insint, nempe ipsum bonum, ipsumque verum (sic enim Plato de idea loqui solet) in illum horum duorum rationibus distinctum vt in summum finem, vtraque nostri intellectus operatio, cum rectè instituta est, dirigitur. Nam actio ad eum refertur, vt ad ipsum bonum. Contemplatio verò ea sola à Socrate probatur in Phedone, quæ ad eundem, vt ad veritatis fontem, aspirat. Ad hunc locum etiam pertinet quod Mercurius Trismegistus libro de Dei potestate & sapientia scribit de cognominibus quibus Deus maximè ornandus est atque colendus. Ex his qui præter ipsum appellantur dii, inquit, siue dæmones, siue homines, nullus tam bonus esse potest quam Deus vnicus. Is enim ipsum bonum est, nec aliud quicquam præter bonum. Reliqua omnia ab ipsa boni natura secreta sunt. Corpus quidem & anima locum habent nullum quo ipsum bonum capiant. Tam ampla enim est bonitas, quam existentia rerum omnium tum corporalium, tum etiam incorporealium sensibiliūque & intelligibiliū. Id bonum est, id est Deus. Caue itaque ne quando dixeris aliud quicquam bonum. Prophanus enim hic foret error. Neque etiā dixeris Deū aliud quiddam præter solum bonum. In eandem quippe importunitatem incidetes. Altera appellatione Deus pater est, ob eam causam quia gignit omnia. Patris enim officium est generare. Quapropter præstans id in vita censetur studium atque ipsum apud sapientes, procreatio liberorum. Extrema verò omnium calamitas & impietas accidit illi qui absque filiis è vita decedit. Qua de causa demonibus dat penas post obitum. Supplicium denique eiusmodi est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cui nec maris nec femina natura insit. Quod quidem à Sole eleuatum est atque conuexum. Igitur ò Aesculapi, cum homine qui nullos genuit filios nullum habeto commercium. Infelicitatis tamen eius miserere: cum noueris quæ hunc post interitum mala maneat. Ex eo verò quòd Deus non solum bonus est, sed ipsum bonum, conclu-

dit Plato lib. 2. de Rep. cum non omnium, sed paucorum causam esse. Multo enim inquit, pauciora nobis sunt bona, quam mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter deum causam querere decet. Neque Homeri, neque alterius potest accipiendum est peccatum stultè de diis dicentis, in Iouis lumine duo iacere dolia plena fortibus, bonis vnum, malis alterum. Cumque ex his Iupiter iniucè comixtis, impertit alicui, alias huic bene, alias malè esse. Cum verò ex altero datur, hunc vesana famem super terras exagitare. Quibus positis rursus enascitur ea questio quam superiore capite attingimus, vnde in nature vniuersitate tam multa mala existant, si Deus bonus omnino est, nec nisi bonorum author. Quam in persona hospitis idem Plato sic explicat in Politico. Certis temporum curriculis exactis, inquit, concussio perturbatioque cessauit & mundus à turbulento fragore desistens, solita sui ipsius progressionem incurrit, & in ordine debito constitutus, auctoritatem administrationemque & sui ipsius & eorum quæ insunt, suscepit, authoris patrisque sui gubernationem pro viribus memor imitatus. Principio igitur perfectius executus est: sed ab ea demum imitatione longius degenerauit. Cuius quidem defectus causa est natura corpora, præter naturæ fomes. Nam quondam valde deformis erat & ordinis expertis, antequam præsentis ornatu decoraretur. Ab eo sanè qui ipsum construxit, bona omnia possidet: à priori autem deformitate, incommoda & iniusta omnia quæ intra cælum nascuntur, & mundus ipse sustinet & videntibus inserit. Dum igitur animalia sua vna cum gubernatore nutrit, mala quidem parua, bona verò ingentia parit. Cum autem feiungitur, in primo discessus tempore perpulchrè omnia ducit. Verum procedente tempore, obliuione iam occupatur. Quæ propter prioris deformitatis vitium vehementius dominatur. Demum longo exacto tempore deflorescit, ac bona exigua procreans, malorum verò naturam iis plurimam miscens, periculum subit ne & ipse & quæ insunt, omnia dissoluantur. Quamobrem Deus ille quondam huius ordinis author cernens mundum in tanto discrimine positum, miseretur: ac ne tumultu adeò turbulento fluctuet, dissoluaturque & in locum dissimilitudinis infinitum mergatur, iterum adstat & præsidet, resumptisque protinus gubernaculis, ægrotantia omnia dissolutaque, in antiquum sui agitatione conuertit, ornat & corrigit seruaturque illum, mortis & senectutis ignarum. Quem sequutus Plotinus cap. 4. lib. eius quo inquitur quæ mala & vnde sint, docet in materia nihil esse boni, naturamque corporum, prout eius est particeps, esse quoque mali participè. Atque in eandem sententiã Plutarchus libro de animæ procreatione, scribit animam nostram non omnino esse Dei opificiũ. Quia eius quadam pars insicã habet mali portionem: nempe ea quæ perturbationum contra rationem exultantium, fontem continet. Quod etiam Plotinus confirmat eodem capite. Anima secundum se mala non est, inquit, neque omnis anima praua. Sed quamnam praua? Illa videlicet, ut inquit Plato, quæ seruit illi cui prauitas animæ naturaliter inesse potest: quasi irrationalis animæ species malum subeat, immoderationem, excessum atque defectum. Ex quibus intemperantia, timiditas aliæque animæ prauitas, velut passiones inuoluntariæ oriuntur. Hinc etiam opiniones falsæ, per quas bona vel mala quis putet. Verum quidnam prauitatem hanc adducit? & quo modo illud in principium causamque redigere poterit. Primum quidem dicitur animam eiusmodi non esse extra materiam, neque secundum se ipsam talem esse. Itaque immoderationis expertis euadit. Corpori namque materiam habenti immergitur. Præterea si vis rationalis offenditur, discernere prohibetur, perturbationibus impedita & materiæ tenebris obruta. Ut pote quæ annuendo prolabitur

in materiam. Quam sententiam de malorum origine ex materia, in superiore Platonis loco sic exagitat Theodoretus lib. 4. de curatione græcarum affectionum. Ad hæc Platonis verba, inquit, indignaturum puto quicumque homo sana mente sit præditus. Manifestè enim acculat materiæ naturam cuius adeo validum & iniunctum vitium esse ait, ut ne opifex quidem Deus illud in melius commutare poterit. Perstitit enim in malo, suo perusa habitu: ac licet ab optimo Deo formam acceperit, pristinum tamen illud vitium minimè abiecit. Eamque ob rem non in terra solum, sed etiam in cælo graua & iniqua peragit animantibusque transmittit. Sunt autem hæc superius iam dictis prorsus indigna: sunt à sublimi illo sermone ac theologia penitus aliena: sunt ab incuruis summumque depressis rationibus consilisque profecta. Cum enim & in cælo, affirmet tantam rerum turbam inconcinnitatemque permanisse, ut coniecere ausit ibi quoque graua & iniqua contingere, materiam profecto validissimam quandam rem facit, infirmum verò debilemque opificem. Eandem sententiam Platoniorum de materia quod malorum omnium causa sit, pluribus rationibus repræhendunt Eusebius cap. 9. lib. 7. de Evangelica preparatione: & Lactantius cap. 5. lib. 7. Maximus Tyrius Platonius, sermone 25. malum duplex facit, vnum ex superiore sententia, nominat affectionem materiæ, alterum animæ licentiam. De priore genere ita loquitur. Quemadmodum in opificiis artium, inquit, aliud est quod ex professo ars ipsa operis finem intendens, sibi agendum esse desumpsit: aliud quod operæ negotio consequens est. Quod quidem artis nequaquam est opus, sed materiæ affectio: ut sunt ex incude resiliens fauilla, ex camino ipsa fuligo, aut alia alterius rei affectio, quæ necessario addita est operæ, neque adeo artificis est propositum. Sic etiam pro iis quæ accidunt terræ, quæ nos inuasionem malorum humanorum appellamus, minimè artem culpæ debemus, sed potius celsere naturas qualdam esse, necessario negotiũ fabricæ subsequentes. Posterioris generis idè causam ponit in arbitrio eligentis: Deo semper extra omnè causam constituto. De priore secundum nostram religionem sic statuit D. Hieronymus, Commentario in Hieremiam. Fuerunt heretici inquit, qui dixerunt Deum non facere mala: hoc est, contra id quod scriptum est Esaiæ 45. Ego Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Fuerunt è contrario qui dixerunt Deum creasse mala: contra id quod dictum est, fecit Deus omnia bona, &c. Vidit Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona. Tropiè igitur, inquit, Deus dicitur facere mala: hoc est, aduersa merentibus insingere. Mala, quæ nulla sua natura subsistunt, à domino non creantur: sed create se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, nobis male agentibus in flagellũ format. Ut ea ipsa & per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint & per naturam qua existunt, bona. De utroque genere sic D. Augustinus libr. 1. de libero arbitrio. Duobus modis, inquit, solemus appellare malum: vno, cum malè aliquid fecisse dicimus: alio cum mali aliquid esse perpeßum. Quod si iniuste nemo patnas luit (quod necesse est credamus, quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus) illius primi generis malorum, nullomodo, huius autem secundi, author est Deus.

8 Multa sunt quæ de Deo hoc loco negantur: quoniam antea dictum est in illo veriores esse negationes affirmationibus. His verò quæ Alcinoi colligit, videtur confirmare voluisse quod antea dictum est, Dei cognitionem humani ingenij vires omnino superare. Quoniam cum simplicia ab homine cognoscantur vel definitione vel descriptione: neque huic, neque illi in Deo locus est. Non definitioni, quia neque genus est, neque species, neque differentia. Definitio autem

omnis speciei est, per genus & differentiam. Non descriptioni, quia hæc assignatur aut per affectiones communes, aut per proprias. At neque hæc, neque illæ in Deum cadunt. Nunc verò istarum negationum causa, nobis quoad possunt, sunt explicanda. Deus neque genus est, neque ut species, proprie villo genere comprehenditur. Non genus: quoniam cum omnium eorum quæ sunt prima causa sit, si in illis generis rationem haberet, omnia quoque ad vnum genus oporteret reuocari. Ex quo non solum eorū quæ distinguuntur in Logicis, sed etiam in Metaphysicis, & à Platone in Parmenide, magnam confusionem consequi deberet. Atqui cum genus omne de suis formis absolute enuncietur, hisque nomen suum & rationem omnino communicet: manifestum est inter ea quæ sunt nihil posse reperiri, quod ad Deum se habeat ut species ad suū genus. An potius Deus poterit ut species vel etiam ut quiddam rerum singularum certa specie comprehenditur, ad vnum genus reuocari? Minimè verò. Idque quoniam species suo genere inferior est naturæ quæ eodem posterior: Deus autem omnium supremus est & natura primus. Et tamen in omnibus rerum generibus quodammodo esse dicitur: quia omnium est principium & causa. Atque in substantia maximè. Quia inter ea quæ sunt potissimum genus est substantiæ: & humani ingenij imbecillitas Deum non potest cogitatione comprehendere, nisi sub ratione nature per se consistentis, quæ est ipsius substantiæ. Quo modo Aristoteles ipse lib. 3. Metaph. & cap. 6. lib. 1. Ethic. Deum videtur ad genus substantiæ retulisse. Adde quod si Dei genus esset aliquod, eiusdem species essent aliquæ quæ in illius natura ex æquo cum Deo comunicarent. Nilil vero esse potest quod in aliqua natura cum Deo omnino comunicet. Ex quibus etiam colligi potest, in eundem nullam cadere differentiam essentia. Quoniam hæc propria nota est separans ea quæ sub eodem genere continentur. Hoc verò de affirmantibus differentiis quæ nouum actum essentia in specie determinant, non de negantibus est intelligendum. Si quidem, ut antea dictum est, Deum per negationes non per affirmationes cognoscit: sic in eodem multæ differentia sunt negatione expressa, per quas quodammodo intelligitur à rebus ceteris separatus. Nullam autem affectionem, neque communem, neque propriam in Deo esse posse, facile colligitur ex eo quod antea positum est, Deum actum esse simplicissimum & purissimum: in quo quicquid est, eiusdem est essentia. Hoc verò de iis affectionibus est intelligendum quæ re ipsa aliquid Deo afferunt eiusdemque essentiam verè efficiunt: qualia sunt accidentia quæ à veteribus realia nominantur. Alia enim sunt notionum & relationum tantum, qualia plerumque Deo attribuuntur: ut patris & filij appellationes, itemque causa & principij. Quæ à nobis frequenter in eo usurpantur.

9 Cur Deum compositionis omnino expertem esse oporteat, causam reddit Marcellus Ficinus cap. 6. lib. 1. de Theologia Platonis. Deum, inquit, nemo dicere audeat ex pluribus esse compositum. Quia si modo rectè compositus fuerit, ex aliquo constabit quod erit tanquam subiectum, & aliquo quod erit tanquam forma. Itaque non erit Deus vndique perfectus, cum in eo sit pars altera imperfectior toto. Non erit agens summum: quia non per se totum agere quicquid ager, sed per partem alteram, id est per formam. Non erit beatissimus, quia non fruatur vbique se ipso. Non enim se totum in membro quolibet complectetur. Videbit autem in se aliquid præter Deum. Quoniam non idem pars est & totum. Beatior certè futurus est si quicquid in se videbit ipse, nusquam desit: sed sibi met totus occurrat vbique. Denique pars illa quæ ponebatur in Deo quasi subiectum, quia secundum se cogitatur informis, se ipsam formare non potest. Pars in super altera quæ vicem formæ gerebat, quia non consistit in se, multo minus ex se po-

test existere. Formabitur ergo Deus ipse compositus à forma quadam superiore: atque illa potius erit Deus. An vero compositione de Deo negata, simplicitas de eodem verè affirmari possit & qualis, cum antea positum sit Deo nihil accidere, questio est acutè explicata à Ioan. Francisco Pico Mirandula, vna epistola ad Zenobium Acciarolum, quæ ita incipit. Eleganti illa epistola tua, &c. Ad superiores autem rationes commemoratas ex Marfilio, propter quas Deus intelligi non potest ex partibus compositus, adicienda est quæ apud Alcinoum hoc ipso capite sequitur: quod Deo nihil omnino sit prius. Pars autem omnis & id ex quo aliud componitur, id ipsum antecedit cuius pars est. Quo loco attentè considerandum quod scribit Arist. li. 7. Metaph. partes eas quæ sunt ut materia, & in quas ut in materiam totum diuiditur, posteriores esse toto: alias verò quæ ut partes sunt rationis & eius substantiæ quæ rationi accommodatur, aut omnes, aut nonnullas esse priores. Quibus adde oriendi siue nascendi ordine partem toto esse priorem: quia hoc ex partium compositione confurgit. At quia harum essentia spectatur ex relatione quadam ad totum, & quæ inter illas sunt organica hæ maximè & euidentissimè primam perfectionem ex toto capiunt (sic enim ab Arist. dici solet manum & oculum, cum ab animalis corpore separantur, non manere nisi secundum nomen, nihilo scilicet magis quàm cum pinguntur, aut in lapide aliaue materia efformantur) idcirco totum dicitur esse prius suis partibus natura, id est essentia perfectione. Quod idem Arist. sequutus ca. 1. lib. 1. Politic. scribit ciuitatem esse natura priorem domo. Quare cum naturæ appellatio, quando de ordine quæritur, modo rerum originem significet, modo primam essentia perfectionem, pro eius varietate pars toto natura prior eademque posterior esse dicitur. Secundum quam distinctionem in Physicis solet dicere materiam sua forma priorem eademque posteriorem. Imo nominatim hoc ipsum ita exprimit cap. 1. lib. 2. de partibus animalium. Cum contra in rerum origine, inquit, atque in essentia contingat, & quæ origine posteriora sunt natura sunt priora, quodque natura primum est idem quoque origine sit vltimum: materia origine prior erit, ratione verò, essentia rei cuiusque & forma. Hoc vero lubentissimè nunc repeto, quod memini in disputatione de methodo id ab Academia nostræ Thessalo Methodico, esse exagitatum: magna profecto cum ignoratione doctrinæ Peripateticæ. In quo magistri sapientiam hoc loco imitatus est logodædalus. De quo postea amplius differetur.

10 In eo quod Alcinous scribit Deum neque mouere, neque moueri, obseruandum est inter Platonem & Aristotelem hoc interesse, quod hic inter Deum & supremum orbem nullam aliam causam vel intelligentiam intercedere vult quæ illū moueat: ut contra Trapezuntium disputat Bessarion Cardinalis cap. 11. lib. 3. Platonici verò (quod scribit Ficinus in Timæum) ipsum vniuersum à Deo quidem esse voluit: sed ab intellectu formari, ab anima autem moueri. Imo hæc omnia à primo pendere: sed esse à primo tantum, formari verò ab illo per intellectum: moueri & mouendo formari mobiliter, à primo per intellectum simul & animam. Simile est quod ex Numenio Platonico commemorant Eusebius cap. 10. lib. 11. de Evangelica præparatione, & Augustinus Aegubinus cap. 18. libr. 1. de perenni Philosophia. Primum Deum regem, inquit ille, ab omni opere cessare oportet. Creatorem vero Deum omnia gubernare dicimus: à quo interior mens mittitur ad omnia quæ ad communicationem illius sunt ordinata. Et quod Aegubinus ait ex Cyrillo, Platonem fateri supremum altissimumque Deum, ipsum summum bonum esse. Ceterum ex hoc emicuisse mentem, & hanc esse proximum mundi opificem, primo manente in quiete & vacatione. Aristoteles autem lib. 8. Phyfi.



quia motum sicut antea lib. 5. definiuerat, ex physicorum consuetudine vsurpat, Deum quidem mouere vult, sed moueri omnino negat. Quod omnis eiusmodi motus, sit corporis locum aliquem occupantis & progressionē habeat ab imperfecto ad perfectum. Quorum nullum in Deum cadere potest. Siquidem hic neque locum aliquem occupat, neque (vt paulo ante disputatum est) in potestate est, neque vllam nouam perfectionem potest suscipere. Eademque ratione lib. 1. de Animo, contra Platonem, qui animum esse dixerat numerum se ipsum mouentem, disputat non modo in eo non posse animi essentiam consistere, sed ne ei quidem vlllo modo accidere vt moueatur. At Plato 10. de legibus, duplices motus esse vult: quosdam primos, secundum quos statuit humanam animam cælestesque intelligentias non modo mouere, sed etiam moueri: alios secundos, qui naturalibus corporibus sunt proprii. Vniuersa quæ in cælo sunt, inquit, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit. Quibus nomina sunt, velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, latari, dolere, metuere, odisse, diligere, & cæteris præterea motibus omnibus qui horum affines primique sunt, qui & secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum decrementumque perducunt, concretionem vel eodensationem & discretionem vel rarefactionem: & in ea quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum, molle, album, nigrum, austerum, dulce, amarum: & denique omnibus quibus anima vsa, si intellectum quoque semper diuinum acceperit, rectè cuncta diis recta felicitate perducit: sin verò cum amentia coniuncta fuerit: omnia his contraria facit. Quamquam neque ab hac sententia alienus est Aristoteles, cum in anima, cuiusque partibus, vel facultatis energiam, aut functionem, eiusdem motionem frequenter appellat: & cum in sensuum operationibus animam moueri docet, cap. 5. lib. 2. de Anima. Sed cum in ipsis rebus potestas duplex sit, quedam prima, altera secunda, priorem per motum propriè in suum actum educi fateatur, posteriorem verò minimè: sed huius operationem tantum vocat & actionem. Sic enim hæc distinguit cap. eodem. Potestas & actus, inquit, nobis sunt distinguenda. Adhuc enim hæc absolute vsi sumus. Et si enim aliquid ita sciens, vt hominem scientem dicimus, ex eo quod homo in iis sit quæ scientiæ capacia sunt, & etiam dicimus scientem eum in quo grammatica iam insit: in vtroque tamen horum non eodem modo ipsa potestate est affectus. Sed vnus, quia genus tale ac materia, alter ex eo quod si velit contemplari, potest, nisi quid extra impedimentum afferat. Alias verò iam rem considerat vsuque scientiæ, exempli causa A. iam habet. Ac illi quidem duo potestate scientes sunt, ita tamen vt vnus disciplina commutatus & affectus ex contrario habitu sæpe mutatus sit: alter ex eo quod cum sensu, vel grammatica sit præditus, nec agat, ad agendum se confert, modo longè diuerso à superiore.

II Dei, Angeli, animi & corporis comparationem in pulchritudine, in eaque certos gradus per quos ad Dei cognitionem ascendimus, familiariter explicat Marsilius Ficinus in Sympo. Platonis. Corporis forma, inquit, in multarum partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur. Species animi, temporis quidem vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à loci terminis est absoluta. Angeli vero, numerum habet solum, à duobus reliquis immunis existit: Dei autem nihil istorum perpetitur. Corporis vtique formam vides. Visne animi quoque speciem intueri? detrahe corporali formæ, ipsius naturæ pondus limitésque locorum, reliquæ cætera: animi iam speciem habes. Vis & angeli? Deme obsecro non loci spatia solum, sed temporis quoque progressum: compositionem multiplicem retine: eam protinus nancisceris. Cupis

pis etiam dei pulchritudinem cernere? Aufferas insuper multiplicem illam formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim dei speciem fueris cōsequutus. Verum quid mihi tandem subtractis istis reliquum erit? An tu aliud esse quam lucem, pulchritudinem arbitraris? Porro corporum omnium pulchritudo lumē est istud Solis quod vides, tribus illis infectum, formarum pulchritudine (nam multis id aspicias figuris coloribusque depictum) loci spatio, temporali mutatione. Tolle sedem eius in materia, vt præter locum reliqua duo retineat: huiusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc si lubet temporis mutationem: mitte reliquum. Lumen restat sine loco, sine motu clarissimum, sed omnibus insculptum rerum omnium rationibus. Id Angelus est: id Angeli pulchritudo. Tolle postremo illum numerum diuersarum idearum: vnā simplicem ac meram relinque lucem, instar lucis eius quæ in ipso Solis globo permanet, per aërem non dispergitur: iam dei pulchritudinem quodammodo comprehendis. Quæ tantum saltem, formas reliquas antecellit, quantum lux illa Solis in se ipsa mera, vna, inuoluta, splendorem Solis per nebulosum aëra dissectum, diuisum, infectum, obscuratum exuperat. Fons itaque totius pulchritudinis deus est. Ad quem in amore legitimo his gradibus ascendimus. In obscuro vero à forma corporis ad venerea turpiter cōuertimur: Vt docet Plato in Symposio & in Phædro. Hunc verò hominis ascensum ad Deum per eiusmodi gradus, deificationem vocat Io. Reuchlin in arte Cabalistica: cum ab obiecto præsentē, inquit, per medium suum exterior sensus transit in sensationem interiorē & hæc in imaginationem, imaginatio in existimationem, existimatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus in mentem, mens in lucem quæ illuminat omnem hominem, & illuminatum in se corripit. In istis autem gradibus qui ab Alcino hoc loco distinguuntur, obseruandum est supra ipsum pulchrum (quo ideam huius significat) ipsam bonum videri constitutum: cum tamen Platonis re vna sit & eadem pulchri bonique idea, sed ratione diuersa. Nam cum homines animum ad actionem & contemplationem adhibeant, illa, vt antè dictum est, ad ipsum bonum, hæc ad ipsum pulchrum refertur, & eiusdem cupiditate excitatur. Cur igitur ipsum bonum, ipso pulchro superius? Quia, vt opinor, in cōtemplando veri cognitionem, in qua excellere pulchrum putamus, non appeteremus, nisi ea rationem quandam boni haberet adiunctā. Idque esse videtur quod aiunt Platonici, bonum esse superius essentia, vita & intelligentia. De quo vide Marsilium Ficinum, Commentario in librum Dionisij Areopagite de Trinitate.

12 Qualitas incorporea duobus modis dici potest. Vel quia ipsa suapte natura corpus non est: vel quia corpori vt primo proprièque subiecto non inest. Priore modo omnes qualitates incorporeæ ab Alcino hoc loco esse dicuntur, contra eam sententiam quam Stoicis tribuit Galenus lib. 2. de naturalibus facultatibus, & in Isagogicis, eo libro quo efficere conatur, sicut & Alcino hoc loco, qualitates esse incorporeas. Posteriore vero, calor, frigus, humor & siccitas, cæteræque eiusmodi in sensum cadentes, corporeæ sunt: quia quibusdam corporibus primo insunt: scientia autem, intelligentia & omnes animi virtutes, incorporeæ. Quoniam animo primo insunt, homini per animum. Illius vero natura est incorporea. Quam distinctionem Plotinus sequitur cap. 2. lib. 1. de decem generibus eorum quæ sunt, cum Aristotelem exagitat quod qualitates corporeas & incorporeas vna Categoria sit complexus. Ex qua varietate in physicis cum naturales omnes formæ incorporeæ dici possint, quia ex sese corporis omnia sunt expertes, eandē tamen corporeæ esse dicuntur: quia corpori sunt addictæ, eoque indigent vt in



rerum natura cōsistant. Non quod ab illo perfectionem vllam capiant: sed quia eius qualitatibus organicis indigent, vt edant actiones quarum sunt principes causae. Sicque vere germanaeque naturalium corporū facultates omnes quoque corporeae esse dicuntur: quoniam sine corporis beneficio neque existere, neque operari possunt. Cum verò corpus suapte natura patibile sit, diuiduū & ad agendum efficax: per materiam patibile est, per quāritatem diuiduum, per qualitatem ad agendum efficax. Qualitas (eam dico quae formae physicae est instrumentum) ex materia & quantitate non constat: materiae tamē inest, & pro varia huius quāritate non modo extenditur & contrahitur, sed intenditur atque remittitur, vt Arist. docet lib. 2. de Caelo. In eademque tantum est actionis instrumentum: neque per se satis esse potest ad agendum, quae non sufficit ad existendum. Quam variē autem dicatur incorporeum, amplius etiam colligi potest ex Porphyrio lib. de Occasionibus siue de causis ad intelligibilia ducentibus. Ipsa incorporeorum appellatio, inquit, non secundum communitatem vnius eiusdemque generis sic cognominata est, quemadmodū corpora: sed secundum nudam ad corpora priuationem. Quamobrem nihil prohibet inter illa, alia quidem talia esse essentia, alia verò nō essentia: & alia rursus antē corpora, alia verò vna cum corporibus. Item alia à corporibus separata, alia vero non separata. Praeterea alia secundum se subsistentia, alia verò aliis vt sint indigentia: alia denique actionibus vitisque ex se mobilibus eadē, alia vitis & qualibus actionibus permutata. Nempe secundum negationem eorum quae ipsa non sunt, non secundum assistentiam eorum quae sunt, appellantur.

13 Agens primum idēque rebus ipsis insitum, in naturalibus forma est: materia vero ipsis affectionibus subiecta. Vt in definitione naturae, & in comparatione materiae cum forma penes illam, Aristoteles docuit cap. 1. li. 2. Phys. Qualitas à forma est, & in materia vt in subiecto recipitur, & in materiae praeparatione in rerum ortu, ad formam tanquam ad finem refertur. Itaque ea mediam inter illa duo rationem obtinet. Si quidē cum forma agit & eiusdem est instrumentū: cum materia vero patitur. Quoniam non modo hac fluēte, ipsa laquidior redditur, sed à contraria qualitate resistente, in agendo retunditur. Quod in iis tantū agentibus quae lunae subiecta sunt, ex eiusdē doctrina debet intelligi. Nam si quod est agens aut omnino à materia separatum, aut cum hac quidē, sed minimē fluente coniunctū, hoc quia vel omnino sine qualitate agit, vel certē sine ea cui sit altera cōtraria, agēdo impatibile naturam seruabit: vt potest colligi ex ca. 6. lib. 1. de Ortu, & à nobis copiosius est expositum priore parte nostrae descriptionis physicae.

14 Conclusio haec apertē indicat quorsum de qualitatibus hoc loco ageretur. Has enim incorporeas esse variis rationibus docere conatus est: vt ab eis per medias naturales formas caelestesque intelligentias ad Deū excitati, hunc non modo corporis omnino expertē, sed in incorporeis purissimū & simplicissimū, purissima mēte cōprehendi intelligamus. Nam si qualitates in ipsis corporibus naturalibus incorporeae sunt, quāto magis ipsae naturales formae, quarum illae sunt instrumenta? Puritas verò simplicitatēque maior erit intelligentiarum caelestium. Omnium maxima ipsius Dei. Quoniam, vt Platonici aiunt, huius umbra tantū in qualitatibus corporum apparet, similitudo in animis, expressa imago in caelestibus intelligentiis. Ex quibus etiam colligi potest non fuisse Marsilio Ficino caput vnum de qualitatibus incorporeis, hoc loco instituendum: nec istam quāstionem à superiore de Deo separandam. Quod si Alcinoi libri huius auctorem, fuisse concedimus Didimum illum Alexandrinum caecum de quo in praefatione multa collecta sunt, minimē mirabimur eum tam multa sumpsisse ad do-

endum Deum incorporeum esse. Quoniam testatum habemus ex Socrate cap. 7. li. 10. historiae ecclesiasticae, circa tempora Didimi, nobilem fuisse apud Aegyptios contrariam heresin quorundam monachorum, Deo oculos, aures, manus & pedes reuera attribuentium, & hac in parte Origenis doctrinam in Theophilo grauitate infestantium. At cum in sacris literis Deus appellatur spiritus, an non corporea natura eidem tribuitur? Hoc sic explicat idem Origenes cap. 1. lib. 1. de principiis. Consuetudo est scripturae sanctae, inquit, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori & solidiori designare vult, spiritum nominare. Quae omnia, qui diligenter considerauerit, is nunquam assentietur Stoicis, qui Deum esse dixerunt ignitum spiritum intelligentiae participem: aut Democrito qui eundem meatem ignitam vocat, mundi que animam: multo vero minus Cyrenaeis & Epicureis, qui cum Deo humanam figuram tribuant, vt omnium praestantissimā, eundem otiosum esse volunt. Quod metuunt ne ex rerum variarum tractatione, in eius membra cadat defatigatio. Quorum opinionē Cicero commemorat lib. 1. de natura Deorum. Eadem vero quāstio de qualitatibus incorporeis, multis rationibus tractatur cap. 1. lib. 3. de secretiore parte diuinā sapientiae secundū Aegyptios: multāque in eadem sententiam contra errorem veterum sola corporea agnoscentium, colliguntur à D. Iustino Martyre, initio libri de quāstionibus quae à Gentibus sunt Christianis posita. In ea autem varietate argumentorum quibus hoc loco Alcinoi vtitur, duo nobis obseruanda sunt: vnum quod substantias contrarias esse negat contrarietatem que omnem in substantiis qualitatum esse vult quibus sunt affecta, & per quas illae in se inuicem agunt & à se inuicem pariuntur. Vt vitetur puerilis error Thessali methodici, qui in logicis Aristotelem reprehendit quod substantias inter se contrarias negauerit. De quo alio loco pluribus à nobis aliquando differetur. Alterum quod corpora plura negat simul esse, posse ne penetratio dimensionum consequatur: qualitates autem plures in eodem corpore totas per totas transfundi absurdum non arbitratur. Quam ob causam notatum est à Galeno lib. de Elementis, tutiorem videri Aristotelis sententiam de mixtione quam Stoicorum. Quod his substantias elementorum corporeorum miscentibus, metuenda sit dimensionum penetratio: non item Aristoteli, rationem mixtionis in qualitate magis quam in substantia ponenti.

INTELLIGIBILEM MVNDVM A SEN-
sili, vt exemplar ab imagine distinguit. Deinde hunc vnicum esse oportuisse, duabus rationibus confirmat: atque ostendit in eiusdem magno corpore, quam rationem inter se habeant quatuor elementa, ex quibus constituitur.

CAP. 10.

1 Quoniam eorum quae secundum naturam sensilia & singularia sunt, definita quaedam exemplaria, ideas scilicet esse oportet, quarū scientia sint & definitiones (nam praeter

singulos homines, hominem quendam animo cōcipi: & præ-
 ter equos singulos, quendam equum, ac communiter præter
 hæc animalia, animal ingenitū & immortale: quemadmo-
 dum ab eodem sigillo plurima exprimuntur signa, & vnius
 hominis imagines infinitæ, idea causa existente, quæ princi-
 pium est essentia, à quo vnumquodque habet id ipsum quod
 est ²) necesse est vniuersi pulcherrimum opificium effectum
 esse ab ipso Deo intuente in aliquam ideam, ³ quæ exemplar
 extitit huius mundi, ad illius imitationem efformati. Illi
 verò similem hunc factum oportuit, ab opifice sua prou-
 dentia maximè admiranda ad efficiendum accedente, ⁴ quia
 bonus erat. Illum itaque construxit ⁵ ex tota materia, quam
 ante huius originem, inconcinnè & sine ordine agitatum,
 in optimum ordinem adduxit: & aptis numeris atque figu-
 ris partes eiusdem exornans, perfecit ut mundus ea ratione
 sit contextus, quam etiam nunc ignis & terra ad aërem &
 aquam seruant. Habentia quidem tunc tantum vestigia
 & naturæ aptitudinem ad elementorum facultatem, teme-
 rè & sine ratione materiam quatiabant, ab illaque quati-
 ebantur. ⁶ Ex singulis verò quatuor elementis totis eum con-
 formauit. Ex toto scilicet igne, atque terra itémque ex aëre
 & aqua: nullam horum partem relinquens, aut ad hæc
 facultatem. Animaduertens primum quidem id quod fie-
 bat, corpore constare oportere, tractabile esse atque aspe-
 ctabile, nihilque sine igne & terra videri posse aut tangi,
 iusta ratione ad huius cōpositionem ⁷ terram & ignē assu-
 psit. ⁸ Quoniã verò horū medium quoddã vinculum erat ne-
 cessariū, diuinū autē illud est quod secūdu rationis similitu-
 dinē se ipsum & ea quæ vincuntur, potest suapte natura in

vnum colligere: planūque mundus nequaquam erat futu-
 rus (huic enim vnū medium fuisset satis) sed globosus: idcir-
 co duo media ad eius coagmentationem fuerunt necessaria.
 Itaque inter ignem & terram, aër & aqua apto rationis
 modo interiecta sunt: ut quemadmodum se habet ignis ad
 aërem, sic aër ad aquā, & hæc ad terrā: itémque vicissim re-
 tro commeando. ¹⁰ Quia verò nihil extra mundum hunc re-
 lictum est, vnicum fecit, numero respondentem ideæ, quæ
 vnica est. Morbi præterea & senij expertem: quia in eum
 nihil cadit à quo secundum naturam corrumpi possit: tum
 se ipso contentum & nulla re externa indigētem. Figuram
 autem illi circumposuit globosam, omnium pulcherrimam,
 capacissimam maximèque volubilem. ¹¹ Et quoniam ne-
 que aspectu egebat, neque auditu, neque vlllo alio sensu:
 ideo nulla instrumenta ad eiusmodi ministerium illi accom-
 modauit. ¹² Ceterisque motibus adeptis, vnum ei dedit
 qui in orbem fit, ut mentis & prudentiæ proprium.

Iac. Carpentarij Commentarius in CAP. 10.

¹ Vniuersæ naturæ Platonica descriptio continetur explicatione mundi & eo-
 rum quæ in mundo sunt: in quibus homo principatum obtinet, in quem idcirco
 eiusdem naturæ contemplatio dicitur desinere. Ut verò mundi naturæque expli-
 catio reperatur ex Theologicis principiis, de quibus tribus capitibus superiori-
 bus dictum est, in eodem mundo notantur hoc capite causæ tres, quæ antea ex
 Theologia Platonica pro principiis vniuersæ naturæ sunt positæ, nempe opifex
 Deus, à quo mundus saltem eam originem habet, quæ rationis, non rei postea
 appellabitur: materia confusa: & mundi huius exemplar siue idea: ad cuius imita-
 tionem materia ab illo in ordinem adducta est, eoque cōformata. Atque hoc eo-
 dem capite, itémque proximo, agitur de magno eius corpore partiumque in illo
 proportione & figura. Capite verò ¹². de eiusdem anima & mente, quæ per illud
 corpus fusa, ex Platoniorum sententia magnum animal perficit, à quo cætera
 oriuntur, sicut & eiusdem complexu continentur. Quod à Vergilio ita descriptū
 est AEneidos. 6.

Principio calum ac terras, camposque liquentes,

*Lucentemque globum Luna, Titaniâque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub aquore Pontus.
Ignea est illis vigor, & caelestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant.*

Iustinus martyr in Oratione Parenetica ad gentes, Platonem inconstantiam arguit in hac quaestione de principiis vniuersi, quod, ut ait, modo tria tantum agnoscat, Deum, Materiam & Idæam: modo iis adiugat animam communem. Sed nescio (pace eius dixerim) an is villo loco animam vniuersi eiusdem primū principium appellauerit: num potius aliquid ex primo principio ortum, quemadmodum & eam formam quæ rebus singulis propria, cum sua materia, est coniuncta. De huius vero ut animalis cuiusdam motu & sensu elegans locus est apud Mercurium Trimegistum cap. 9. Pimandri. Mundus ð AEsculapi, sensum motumque possidet, non humano sensui motuque consimilem, sed potentiorē sanè atque admodum simpliciorē. Nam sensus & intelligentia mundi id vnum cuncta scilicet facere atque resoluerē. Diuinę voluntatis organum hac potissimū ratione constructum, ut ð Deo semina suscipiens vniuersa, eaque toto sinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rursus auferat diuidendo. Atque instar agricultoris periti quodcunque nimis aduultum est, amputat: ut statutis temporum interuallis reuifescat. Nec est quicquam cui vitam mundus ipse non præstet: simulque vitæ locus est atque etiam institutor. Plato in Timæo locis pluribus, mundum animal esse testatur & in Philebo Socrates corpus nostrū ex mundi corpore animamque; ex illius anima quæsi expressam esse sic docet. S O. nonne ignis hic noster exiguus, imbecillus & vilis, sed qui vniuersi proprius, quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quæ ad ignem pertinet potestate? P R O T. Vera nimium loqueris. S O C. An verò sit, aliter, ducitur ab igne nostro, mundi totius ignis, vel contra & meus & tuus & animantium reliquorum omnis ab illo? P R O T. Hæc responsione digna non sunt. S O C. Rectè eadem quoque de animalium ac mundi terra diceret, & de aliis quæ supra quaesiuimus, similiter responderes. P R O T. Quisnam respondens aliter, sanæ mentis existimeret? S O C. Nemo forsitan. Sed iam ad reliqua. Omnia quippe nunc dicta, in vnum composita continentes, corpus appellamus. P R O T. Quidni? S O C. Idem quoque de hoc, quem mundum dicimus, accipe. Eadem siquidem ratione corpus est, ex eisdem compositum. P R O T. Rectè loqueris. S O C. Vtrum ex hoc corpore nostrum corpus omnino, vel contra ex nostro ipsum nutritur & quęcunque paulò ante numerauimus, suscepit & habet? P R O T. neque hoc etiam alterum ð Socrates, in quaestione cadere potest. S O C. Sed alterū debet ne an non? P R O T. Dic quod? S O C. nostrum corpus animam habere fatebimur? P R O T. Constat. S O C. Vnde nam ð amice Protarche, suscepit, nisi mundi corpus, quod eadem quæ & nostrum ac etiam præstantiora continet, animam habet? P R O T. Aliunde nequaquam. De quo eadem etiam fuit Stoicorū sententia. Quæ pluribus explicatur apud Ciceronem lib. 2. de natura deorum & initio libri eius qui Galeno falso ascribitur in quo quaeritur an animal sit id quod in vtero est. Idè vero Plato lib. 10. de Legibus, ex obseruatione huius animæ mundi in formantis & animantis, quæ dum se ipsa mouet simul quoque mouet omnia quæ in mundo sunt, rem eo deducit ut tandem concludat Deum esse, huncque rerum

humanarum curam habere. Quanquam mundi anima Deus ipse non est, sed hic illa longè superior: ut pote qui illam dicatur procreasse per intermediam primam mentē, siue intellectum agentem: quemadmodum iidem Platonici docent eum de Deo subtilius philosophantur. Quod ð nobis antea obseruatum est capite 6. lib. huius. Atque sicut iidem Platonici, cum bonorum tantum Deum causam esse velint, malorum autem quamlibet aliam ab eo esse quaerendam (sicut scriptum est. lib. 2. de Rep.) de malis dubitant, quæ & vnde sint, an eorū principium aliud statuendum sit ipsi deo ex aduerso oppositum cuius eadem sit potestas ad malum, quæ ipsius Dei ad bonum (qui Manicheorum error fuisse dicitur) sic de mundi anima quaeritur est libro eodem 10. de legibus, an ea saltè duplex sit ponenda. Num concedere cogimur, inquit, Atheniensis hospes, bonorum & malorum, honestorum & turpium, iustorum & iniustorum cæterorumque contrariorum animam causam esse, si quidem causam omnium ipsam asserimus? C L I N. Cur non? A T H. E. Animam cuncta gubernantem, & in omnibus quæ mouentur habitantem, nõne & celū gubernare confitebimur? C L I N. Omnino? A T H. Vnã an plures? Plures certè, ut ego pro vobis respondeam. Nec pauciores quàm duas ponere debemus, vnã beneficam, contrariam alteram? C L I N. Rectè admodum. Sed de hac quaestione partim dictum est antea capite de ideis, cum quaeretur an rerum malarum esset idea, partim etiam pluribus differetur in sequentibus, cum de Dei prouidentia erit agendum. Nunc ad Alcinoi nostri contextum veniamus. De quo hoc primum moncamus, multa esse initio capitis huius non solum dicta obscurissimè (talìa enim hoc libro ferè sunt omnia) sed in verbis nõnulla deprauata, in sententiis longè plura vitiosè distincta. In quibus restituendis gaudeo nostram coniecturam Logo dædalo esse probatam. In qua magna ex parte sequari sumus Eusebium, eo loco quem in præfatione descripsimus ex cap. 11. lib. 11. de Euangelica preparatione. In quo si cui fortasse videmur paulò liberiores quam interpretem deceat: eum rogabo ut ipse det meliora. Quibus ego cedam non inuitus. Interim vero animaduertat initio concludi mundum hunc sensilem ad imitationem alicuius exëplaris, & idè intelligibilis esse factū. Rationem vero adferri ex iis quæ antea posita sunt, quia in naturalibus distinctum est exemplar intelligibile, à sensili imagine. Rationemque hanc per interiectam sententiam tribus exemplis illustrari, primo de homine, secundo de Equo, tertio de animali, & ad extremum similitudine ducta ex iis quæ ad artem pertinent. In tribus autem causis quæ in mundo ex superiore Platonis doctrina hoc capite distinguuntur obseruat Bessario Cardinalis cap. 5. lib. 2. ad eas quatuor species quæ apud Arist. sunt notissimæ à Platone quintam adici exemplarem, & alio loco sextam causarum diuisionem. Idem de prætermissa causa Organica Aristoteli obiicit Io. Argeterius cap. 2. lib. 1. de Morborum causis. Quanquã hæc à Peripateticis ad efficientem reuocatur. Sic enim Arist. coctionis in corporibus animatis efficientem causam modò ipsi animæ, modò natiuo calori attribuit. Ab ipsis autem medicis qui ad sensum se demittere solent, eadè pro principe causa efficientem plerumque vsurpatur. At exemplarè à Platone positã, Aristoteles non recepit: ut minime mirum esse debeat si illa diuisione eam non sit complexus. Neque vero si complecti voluisset à forma illam sciunxisset. Neque video cur etiam apud Platonem sciungere sit necessariū. Quoniam ut efficiens rei cuiusque causa duplex est, vna interna, ut in naturalibus motionibus ipsa forma, altera externa, ut in iis quæ arte efficiuntur, ipse artifex: sic forma Platonis duplex, vna secundum suam perfectionem à rebus singulis separata, quæ eadem cum idea, altera in



rebus ipsis, quæ idea quædam est imago. Quanquam de Organica memini aliud visum Iulio Scaligero Commentario in lib. 1. de plantis. Hanc scilicet, in prima causarum diuisione non esse numerandam, quod absolute causa non sit sed potius concausa. Quando quidem non mouet nisi mota. At hoc idem etiam de materia dici possit.

2. Platonem mundo originem attribuisse manifestum est ex hoc Alcinoi loco, & ex pluribus aliis qui collecti sunt à nobis ca. 2. lib. 2. prioris descriptionis physicae. Sed cum origo duplex sit, vna rei, secundum quam aliquid in tempore, aut certe simul cum ipso tempore verè dicitur incæpisse, altera rationis tantum & cogitationis: de eo grauitissima est inter Platonicos contentio, an vtramque, an verò eam tantum quæ rationis est, ille in mundo agnouerit. Inter omnes autem philosophos qui Deum res humanas curare voluerunt, nemo vnquam extitit qui non concesserit, diuina providentia mundum regi atque conseruari. Quæ in illo rationis & cogitationis est indubitata origo. Si quidem omne quod ab aliquo regitur, aut fluit, etiam si cum illo simul sit secundum tempus, aut secundum ipsam æternitatem quæ tempore antiquior est, quando tamen cum suo principio cõparatur, ratione rei ortu dicitur obtinere. Vt cû tibi finxeris Solè ab æterno fuisse, etiam si sine suo lumine nunquam extiterit: ab illo tamen ipsius luminis quædam origo est, non ea quæ temporis, sed altera quæ rationis & cogitationis tantum. Quo modo noster Alcinoi cap. 12. libri huius Platonis sententiã, cum aliis permultis, interpretatur: ne contra physicum axioma (quod Velleius obiicit apud Ciceronem lib. 1. de natura deorum) ponere videatur quandam coagmentationem minimè dissolubilem: aut aliquid ortum, quod nunquam sit interitum. Sed hoc Philo Iudæus exagitat in libro de mundi Aternitate. Quidam (inquit) sophisticè interpretatur apud Platonem genitum dici mundum, non quod habuerit generationis principium, sed quia si factus, non aliter quàm dictum est, fieri potuerit. Melior tamen & verior altera sententia: non solum quia toto Timæo, Patrem & conditorem & opificem illum, deorum factorem ait: mundum verò hunc opus eius & progeniem, archetypi exemplaris, intelligibilis, imaginè sensibilè, quicquid in illo intelligitur in se continentem, perfectè expressam, vt sensu percipiatur, sicut & illud perfectum intelligitur: verum etiam quia hoc de Platone testatur Arist. quem puderet mentiri vt philosophum. Locus verò quo Philo ex Arist. vtitur, extat apud hunc cap. 1. lib. 8. Physic. à nobis iam vsurpatus in Priori parte descriptionis physicae. Sentit idem cum Arist. & Philone Cicero 1. Tusculana, quando in hac quæstione Platonem ab Arist. distinguit. Hæc igitur, inquit, & alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare quin his præsit aliquis cõditor vel effector, si hæc nata sunt, vt Platoni videtur: vel si semper fuerint, vt Aristoreli placet, moderator tanti operis ac muneris? Atque Aristoteles ipse hoc Platonicorum commentum de origine rationis, exagitalle videtur capite 10. li. 1. de Cælo. Quod autem, inquit, sibi præsidium asserre conantur qui eum non interitum, & tamen ortum esse defendunt, non est verum. Eodem enim modo quo Geometrae qui designationes suas pingunt, se etiam de mundi ortu dixisse concedunt. Non quod aliquando ortus sit, sed discendi causa: tanquam ita facilius cognituri sint, si eum quasi in tabula generatum viderint. Sed aliud est, vt diximus, in designationibus enim Geometrarum idem simul omnibus positus efficitur: in horum autem demonstrationibus, non idem, sed id quod fieri nõ potest. Quæ enim prima & postrema sumuntur, repugnant. Acutissimè quidem, sicut alia multa, sed fortasse non satis accommodatè ad Platonis aut Arist. sententiã. De hac quæstione sic statuit Iulius Scaliger. Exercitatione 5. contra Cardanum, Non

potuisse primū rerū omniū opificè quicquā efficere aut simile penitus, aut oīno dissimile. Nā simile, inquit, nõ poterat. Quia quod fit, patitur. Quod patitur, à priori patitur. Dissimile omnino nõ potuit. Quia actio & agēs in ipso nõ differunt. Igitur actū siue factū aliquo modo simile, alio dissimile fuit necessario. Quæ obre cum ille sit vnus: mundus fuit vnus & non vnus. Cum idem sit omnia, mundus fuit omnia & non omnia. Cum sit æternus, mundus fuit æternus & non æternus. Et quia vnus est, æternus: non enim habet comparem aut contrarium. Quia non vnus, non æternus. Ex contrariis enim & mutua corruptione inter se grassantibus partibus, constitutus est. Eius igitur æternitas in successione: vnitas in continuatione consistit. Neque fortasse æternitatis in illo causam Plato reulit ad ipsam naturam, sed ad diuinam volūtatem: quæ ipsa natura est potentior. Sic enim deos minores qui singulis orbibus sunt præferti rerum omnium opifex Deus alloquitur in Timæo. Dij deorum quorum opifex & pater sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne si quidem quod vinctum est, solui potest, sed mali est quod pulchrè compositum est, benèque se habet, velle dissoluere. Quapropter quia generati estis, immortales & indissolubiles omnino non estis. Nec tamè vnquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea præstantius vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quàm nexus illi quibus estis tunc cū gignebamini, colligati. Quomodo igitur axiomate physico à Velleio in hac quæstione præmetur, qui æternitatem solo Dei munere, non naturalibus causis vult contineri? Vt etiam minimè mirum videri debeat hac in parte, sicut in aliis permultis, Aristotelem à magistro recessisse. Quod hic in philosophando id tantum ratum haberi, velit quod demonstrationis necessitate putat effectū. At Plato ad confirmandã æternitatē mundi, quem ortū esse fateatur, nullam eiusmodi rationem potuit adducere. Sed vnicam vsurpat diuinam volūtatem, eo certè modo quo poëtæ tragici cum res humanitas explicare non possunt Deū in scena loquentē inducunt. Aliã in Platonis sententia inconstantiam notat Theodoretus Cyrensis lib. 4. de curatione græcarum affectionum: Quod ita scribat in Politico. Eodem modo semper se habere idemque esse, illis solis penitus congruit quæ diuinissima sunt. Corporis autem natura in hoc ordine reponenda non est. Cælum quidem ab ornatu mundū appellauimus. Multarum enim beatissimarumque rerum ab opifice Deo particeps factum est. Veruntamè in corporis communionem venit, ob eamque causam carere prorsus mutatione non potest. Itè quæ alio loco. Tunc itaque mundi huius vniuersi gubernator, inquit, cœu temonibus gubernaculisque omisissis, in suam ipsius circumspectionem abscessit. Mundum verò rursus inuertit, & fatum & congenita cupiditas. Omnes igitur dij qui secundum locos distributi, cum maximo demone socium principatum gerunt, cum iam percipissent quod factum fuerat, suas quisque mundi partes curare dimiserunt. Mundus autem retro conuersus, principio & fine in vnū commisso, actusque in contrariam partem ac magno sui factu concussu, aliam sibi animantium omnium corruptionem effecit. Sed fortasse superiora quæ adducta sunt ex Timæo, Plato hausit ex Atheniensium religione: hæc verò ex Hebræis quos audiuerat in ea peregrinatione cuius antea meminimus in præfatione. Quibus aliqua ex parte similia videri possunt quæ scribit D. Hieronimus Commentario in Esaiam, cum in illum locū incidit psalmi 101. A principio terram tu fundasti domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes & omnes sicut vestimentum veterascēt, & quasi amictum inuolues eos & mutabuntur. In hoc, inquit, D. Hieronimus, perspicuè demonstratur perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem in melius sonare.



Neque enim illud quòd alio loco scriptum est, Luna fulgebit vt Sol, & septu-
plum lumen accipiet, interitum significat pristinorum, sed commutationem in
melius. Aristoteles ad finem libri 2. de ortu, fatetur caelestium orbium conuer-
sione mundum conseruari, & in hoc singularum rerum inferiorum in ortu & ince-
ssu vicissitudinem: ea que cessante mundi totius dissolutionem necessario se-
quuturam concedit. Sed negat vnquam futurum vt esset illa caelestis conuersio.
Quare idem videtur singulis orbibus caelestibus præter propriam & naturalem
formam, qua finitarum est virium, dedisse assidentem intelligentiam morticem,
qua virtutis infinita, illorum motum perpetuaret & in huius perpetuitate, ipsi
mundo æternitatem præstaret. Quarum duarum formarum prior apud eundem
Arist. caelo est insita & huius intima vltimaque forma: a qua idem habet vt ani-
mantium sit & viuens, quod hic etiam scribit lib. 2. de caelo & Metaph. 7. poste-
rior verò non item. In quo manifestum eundem etiam si posuerit caelum æternū,
nolle tamen hoc à se ipso existere (quoniam à se quoque haberet omnem operā-
di virtutem) sed pendere ab alio: nec modo ab ipso Deo, sed ab assistente intelli-
gentia, qua Deo longè inferior est.

3 Hic ex Platone mundum duplicem agnoscit, vnum exemplarē, alterum pro-
illius imagine. D. Augustinus cap. 11. lib. 1. de ordine, fatetur se Platonis lectione
deceptum, aliquando credidisse mundum esse alium ab istis oculis remotissimū,
quem paucorum sanorum intellectus intueretur. Quia erat dictum à Christo, re-
gnum meum non est de hoc mundo. De eodem sic scribit cap. 3. lib. 1. Retracta-
tionum. Piger me, inquit, dixisse dños esse mundos, sensilem & intelligibilem.
Non quin hoc verum sit: sed quia hoc dixi tanquam ex me, cum tamen à philo-
sophis dictum sit: & quia iste modus loquendi, non est consuetus in sacra scriptu-
ra. Similis fuit error Origenis cap. 3. lib. 2. & cap. 5. lib. 3. de principiis. Idem vero
Augustinus eodem loco, docet quid in illa Platonis sententia videri possit reli-
gionis nostræ consentaneum. Plato quidem, inquit ille, in hoc non errauit, quia
esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod Ecclesiastica con-
suetudini in re illa non est vsitatum, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum
quippe intelligibilem nuncupauit ipsam rationem sempiternam, atque incom-
mutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat ir-
rationabiliter Deum fecisse quod fecit, aut cum faceret, aut ante quam faceret,
nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si verò erat, sicut erat,
ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Eadem est explicatio Phi-
lonis Iudæi, quā refert Eusebius cap. 12. lib. 11. de Euāgelica præparatione. Si quis
voluerit significatioribus vti verbis (inquit) nihil aliud intellectualem dicet esse
mundum, quam dei iam creantis verbum: nihil aliud ciuitas intellectualis est,
quam creatoris ratio, creare iam cogitantis. Quod dogma Mosis, non meum est.
Apertè namque scribit ad imaginem Dei hominem esse formatum. Quod si pars
mundi, imago imaginis est, & vniuersus per se mundus sensibilis, ad exemplar
diuinæ imaginis factus est. Primitiuum ergo sigillum, quod intellectualem
mundum appellamus, ipsum exemplar est, Primitiua idea idearum omnium,
est dei verbum.

4 Vnum hoc opponi potest vanis Epicureorum questionibus, qua sub persona
Velleij proponuntur à Cicerone lib. 1. de natura deorum, cur tandiu antè mundi
originem Deus quieuerit? quid eum tandem post multa sæcula, ad tanti operis
fabricam excitauerit. De quo sic D. Augustinus cap. 2. lib. 1. contra Manicheos de
Genesi, Qui quaerit, inquit, quare fecit Deus caelum & terram? respondendum est

ei, quia voluit. Voluntas enim Dei, causa est caeli & terræ: & ideo maior est vo-
luntas Dei, quam caelum & terra. Qui autem dicit, quare voluit facere cae-
lum & terram? maius aliquid quaerit quam est Dei voluntas. Nihil autem
maius inueniri potest. Compelcat ergo se humana temeritas, & id quod
non est, non quaerat: ne id quod est, non inueniat. Et lib. 11. confessionum,
Quaerenti, inquit, quid faciebat Deus antequam faceret caelum & terram,
respondeo, non illud quod quidem respondisse perhibetur, ioculanter elu-
dens quaestionis violentiam, alia, inquit, scrutantibus, gehennas parabat: li-
bentius responderim, nescio quod nescio. Athanasius in oratione secunda
contra Arianos, aliud subiicit quod etiam ad hunc locum pertinet. Si cu-
riose, inquit, inquirant cur Deus, in cuius potestate est operari, non sem-
per operatus sit? Furiosorum est ista audacia. Quis enim cognouit mentem
domini? aut quo modo dixerit figmentum figulo cur me ita fecisti? Sed ta-
men ne vel tenui ratione suppetente consilescamus, audiant obsecro quod
tamen si Deo possibile fuerit ab aeterno opera facere, non tamen poterant ea
qua facta sunt, ab æterno esse. Si quidem ex non entibus emerferunt, nec er-
rant priusquam fierent. Quare autem non erant antequam fierent: quo mo-
do illa coexistere poterant cum Deo semper existente? Quamobrem ad eo-
rum emolumenta commodaque respiciens Deus, cum intelligeret creatu-
ras subsistere posse, tunc omnes creaturas produxit. Ac sicuti cum posset
ab initio sub Adamo, aut Noë, aut Mose verbum suum emittere, non ta-
men emisit nisi in consummatione saeculorum (tum enim id vtile esse noue-
rat vniuersæ creaturæ) ita quoque creata, cum ipsis vile fuit, procreauit.
Lactantius capite nono, lib. acephali, hac in parte non omnino probare vi-
detur causam à Platone positam: dicitque mauult ex Stoicorum sententia,
propter hominem mundum esse factum. Quoniam, vt idem ait capite sexto li-
bri septimi diuinarum Institutionum, idcirco mundus factus est, vt nascamur:
ideo nascimur, vt agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum: ideo
agnoscimus, vt colamus: ideo colimus vt immortalitatem pro laborum mer-
cede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo præ-
mio immortalitatis afficimur, vt similes angelis effecti, summo patri ac domino
in perpetuum seruiamus & simus æternum Deo regnum. Si verò amplius
etiam inquiras, cum esse vi & potestate minus sit, quam esse re ipsa, qui fiat
vt mundi effector & opifex Deus ante mundi molitionem diminutus aliqua
ex parte non censetur, cum effector esset tum potestate tantum, non re ipsa:
audi quod respondet Iustinus martyr libro de quaestionibus qua a gentibus
sunt Christianis propositæ. Quorum vis & potestas actionis, inquit, natura-
li quadam necessitate constat, eorum vis & potestas minor est quam actio.
Cuius autem potestas actionis, non naturali necessitate, sed propria vo-
luntate constat, in eum immutationis verbum cadere nullo modo potest.
Cogitasti, inquit, & tibi præsto sunt omnia. In eiusdem quaestionis expli-
catione longè aliud placuit Origeni, quod cum magna cautione legen-
dum est capite quinto libri tertij de Principiis. Si cœpit mundus ex tem-
pore, inquit, quid faciebat Deus antequam mundus fieret? Ociosam
enim dicere naturam Dei, ociosum simul & absurdum: vel putare quod
bonitas aliquando non fecerit & omnipotentia aliquando non egerit po-
tentiarum. Hoc nobis obicere solent dicentibus mundum ex certo tempore
cœpisse, & secundum scripturæ fidem annos quoque gratis ipsius numerantibus.



Ad quas propositiones non arbitrari aliquē hæreticorum secundū rationē dogmatis sui facile posse respondere. Nos verò consequenter respondebimus obseruantes regulam pietatis, & dicentes quoniam non tunc primum cum visibilem istum mundum fecit Deus, cœperit operari: sed sicut post corruptionē huius erit alius mundus, ita & antequam hic esset, fuisse alios credimus. Quod vtrūque diuinę scripturę autoritate firmabitur. Nam quod erit post hunc alius mundus, Esaias docet dicens, Erit cœlum nouum & terra noua quę ego faciam permanere, in conspectu meo, dicit dominus. Quod autem ante hunc mundū fuerint, etiam Ecclesiastes ostendit dicens. Quid est quod factum est? id ipsum quod futurum est. Et quid est quod creatum est? hoc ipsum quod creandum & nihil est omnino, recens sub Sole. Sed quis loquetur & dicit, ecce hoc nouum est? Iam fuit id seculis quę sunt ante nos. In quo Origeni contradicit D. Augustinus cap. 13. lib. 12. de Dei Ciuitate.

5 In Platonis & Arist. doctrina hoc variorum errorum causam continet, quod ne ipsum quidem Deum existimarunt quicquam efficere posse, nisi ex subiecta & antecedente materia: quam mediam esse voluerunt inter nihilum & id quod omnino est hoc aliquid. Hac enim ratione vterque materiam æternam, & vt sic dicam, Deo cœuam comminiscitur. Atque Aristoteles mundum principium habuisse negat, ne aut ex nihilo factum cogatur fateri, aut antē illius originem materiam omnino informem extitisse: sicut & Plato qui Hesiodi Chaos nonnunquā viderit in Timæo renouare. At si inter artem & naturam (sicut acurē disputat Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate) in efficiendo hoc interest, quod ars, exempli gratia ipsius fabri nullius rei substantiam extrinsecus procreans, sola lignorum compositione, abaci aut ianue figuram effingit: natura autem non solum temperamentum & elementorum efficit compositionem, verum etiam ipsas quoque rerum substantias & species, quę prius non erant producit: nempe carnis formam, & ossis, & venę & reliquarum partium, & in ipsis vitę effectricem facultatem, stirpium præterea infinitas species: Cum Deus tanto naturam superet, quanto hæc arte admirabilior est, cur non erit eius quoque quedam efficiendi ratio, altera quę ad naturam pertinet longē præstantior? Nulla autem in re naturam superabit, nisi ex eo quod omnino nullum est, res possit procreare. Vt ex subiecta materia res gignere, nouis earum formis exorientibus naturę sit, cuius opifex & conseruator est Deus. Simul autem & materię & formę originem dare, id est ex nihilo omnia efficere, hoc iam ipsius Dei sit proprium. In eo verò quoddam de materia prima ex Platone scribit Alcinous illā ante mundi originem inconcinne & sine ordine agitaram, notari potest id in quo illum ab Arist. diuersum videri monuimus cap. 7. Ad quod confirmandum cum à Trapezuntio locus hic ex Platone esset adductus, libris de comparatione Platonis cum Arist. illum Bessatio Cardinalis sic excusare conatur cap. 5. lib. 2. Plato, inquit, & corpus & animū cœli, dicit à Deo cōstitutū. Quanquā nō opinatur cœlū aut animū constitutū ea constitutione quę à tēporis motūsq; ratione nō disingitur. Quapropter is quoque de materia locus quo eā præesse dixit, antequā mūdus siue crearetur, siue generaretur, siue cōderetur, siue cōstitueretur, nec cōrentiose tractādus est, nec si aduersarius intelligere nolit, idcirco cōtemnēdus videtur. Perspicuū enim est Platōnē cum prouidentia Dei & quorū quantā que bona in hunc mundum ex mente anime, quāmq; præsentia insuuant vellent ostendere, quā vniuersa disponit, moderatur & gubernat, primum ipsam seorsum per se materiale naturam considerasse, inconditam, errantem temerariam atque etiam maleficam, talēque posuisse in generatione præexistentem, vt ordinem

atque ornatum formę & habitus cum dispositione, constantia & moderatione à conditore animoque ipso proficiscente, intelligeremus, & naturam vtrāque propria ratione possemus describere: quid esset materia ipsa per se, anima priuata: quid forma: quid via generationis procederet, quid sequeretur, quid generando posterius foret, quid tamen natura esset prius. Hęc vt ita intelligeretur Plato materiam separauit à forma, eam generationem & capedinem nominauit, naturam etiam inconditam, temerariam, errantem, tumultuariam eandēque à conditore receptam, dispositam, institutam, ornatāque pulcherrima mundi compage fuisse. Et Plato igitur ipse correlatiua esse simul, & generationem ab opposito ad oppositum viam esse, & simul esse materiam ac formam non ignorauit. Quippe de his omnibus appertissimē disseruit. Veruntamen ne quod addi debuit, deesset, ita loquutus est vt & ratio qua materia antecedit ac præest, intelligeretur, & morē sermonis ciuilibus atque vstrati seruariet. Quia verò de hac questione multa à Christianis philosophis contra Platonicos & Peripateticos disputari solent, placet nonnulla ex his indicare, vt intelligatur qua probabilitate cōtra vtrōsq; nitamur in eo, de quo varię illorum nostrorumque opiniones in vniuersa physiologia, de rebus aliis permultis maximam dissensionem pepererunt. Eusebius cap. 8. lib. 7. de Euangelica præparatione, ex Dionysio contra Sabellium, hæc primum colligit. Nō sunt, inquit, absque scelere qui materiam primam ad fictionem totius, Deo subiecerunt: quam dicunt cum passibilis mutabilisque natura sit diuinitus ad generationem omnium alterari. Sed ostēdant nobis vnde similitudo ac dissimilitudo materię primę ad Deum est. Necessē enim est, si positionem suam volunt sustentare superiorem quendam Deo excogitare: quod nefandissimum est. Præterea cum non genitum esse, similiter de vtrōque dicatur & aliud alterū ab altero sit, vnde id ipsis aduenit? Nam si nō genitus Deus per se est, & ipsum non genitum esse vt quispiam diceret, substantia sua est, non erit non genita Hyle. Non enim idem est Deus & Hyle. Quod si vtrique est quodcunque est, id est, Deus quidem Deus, materia verò prima materia, inest autem vtrique non genitum esse, patet aliud esse ab vtrōque & vtrisque prius atque superius. Ad hæc causam reddi postulabimus quamobrem cum vtrūque non genitum sit, Deus quidē impassibilis, immutabilis, immobilis atque actiuus est: Materia verò prima contra, passibilis, mutabilis, mobilis, omnis alterationis receptiua. Quo modo autem tam apte conuenerunt? Vtrum ad materię primā naturam adaptauit se Deus, cum ex ea mundum fabricatus est, an cōtra? Sed hoc vltimum impossibile. Non enim potest res insensibilis accommodare se ad artificem. Primum autem penitus nefandum: si quis putet sicut artificem, ad materię aptitudinem primam causam se accommodasse. Deinde idem Eusebius hæc ex Origene adiicit. Si quis putat, inquit, non posse Deum absque subiecta materia quicquam efficere, quoniam nec statuarius absque lapide statuam, nec lignarius faber sine lignis, rogandus est si arbitratur Deum posse quicquid velit. Eo enim pacto, quod securi vult ad totius ornatum ineffabili virtute absque sapientia, qualitates quę non erant, producit (quod omnes qui prouidentiam farentur, concedunt) substantiam quoque quamcūque vult producere potest. Mihi autem videntur qui hæc dicunt fortunam quoque Deo annectere, qui nisi materiam primam forte reperisset, non esset author, nec pater, nec creator & dominus vniuersi. Præterea vnde factum esset vt sufficiens ad vniuersa fingenda, nec superfluens aut deficiens materia subiecta sit. Sequitur enim necessariō à prouidentia quadam Deo superiore (ne scilicet ars Dei perderetur, si non haberet materiam artificij suscepibilem) Deo materiam subiectam esse. Vnde autem omnium quę



Deus vult, receptiua materia esset, nisi eam Deus talem qualem voluit, produxisset? In eandem sententiam contra materiam primam Deo coeternam à veteribus philosophis positam, multa colligit Gregorius Nyssenus capit. 25. libri de hominis creatione, & libro de historia sex dierum, quibus mundus à Deo creatus est. Itémque Lactantius Firmianus capit. 9. libri. 2. de falsa religione.

6. De duabus rationibus quibus Plato colligit mūdōs plures esse non posse, hæc vna est à materia ducta. Quod ea tota ad huius mūdi quem incolimus, fabricam, fit assumpta: nec vlla eius portio relicta ex qua mundus alter possit efformari. Quæ Aristoteli cum illo cōmunis est, eique hic adicit cap. 8. lib. de cælo, si plures mundi esse ponantur, futurum vt terra mundi alterius, ad terram huius suate natura feratur. Quoniam hæc iam centrū occupauit, locum naturalem grauium omnium, quem idcirco terra alterius mundi etiam appetet. In quo huius sententiam longa oratione exagitat Plutarchus libro de deficientibus oraculis. Qui assert, inquit, in mundo vnicam esse terram, vnicum mare, quod promptum ac perspicuum est, non videt, res esse aliquas quæ partium similitudine censeantur. Terram enim in partes eiusdem nominis diuidimus & mare:at mundi partes non item mundus vocantur, cum ex diuersis naturis sit coagmētatus. Nam quod nonnulli tantopere formidant, atque ideo vniuersam materiam in hoc consumunt, ne si quid eius foris reliquum sit, impulsione & plagis huius coagmētationem labefacter ac disturbet, temerè formidant. Plures enim si mundi sint ac priuatim cum sua quisque substantia & materia modum & terminum certum definitumque sortiatur, nullæ vacabunt tanquam reliquæ vel ordinis, vel descriptionis expertes, quæ extrinsecus inferantur. Quippe cum cuiusque ratio materiæ contributæ composac moderatrix, nihil erumpere & euagari in alium, neque ex alio in se sit permittenda: præsertim cum eorum turbam nec interminatā, nec infinitam natura habeat, neque motum temerarium & inordinatum. Quod si quid ab alio ad alium permanet, id cognatum blandumque est, & cuique accommodatum miscetur, vt syderum fulgor & mutua temperatio. Tum autem beneuolo conspectu inuicem se mundi intuentes, oblectantur & Deis plurimis, & optimis, vnūquemque incolentibus, congressus & inuitamenta conciliant. Nihil enim horum fieri non potest: nihil horum fabulosum est, nihil horum à ratione alienum. Nisi fortè quis Aristotelis decreta veretur: quòd cum, vt ait, corporum vnumquòdque suum propriumque obsideat locum, necesse sit terram vndique ad medium ferri: quā humor suo pre nuru leuioribus subsidens, inuadet. Quocirca si plures sunt mundi, futurum vt multifariam terra igni sit & aère superior, multifariam inferior: similiter vt in aliis aère & aqua in naturali sede consistant, in aliis minime. Quod cum factu sit nefas, vt censet, neque duos, neque plures mūdōs esse putat: sed hūc ex vniuersa materia cōpositum, ita natura collocatū, vt corporū dissimilitudini cōuenit. Deinde hanc ipsam Aristotelis opinione cum sua ratione, idem Plutarchus sic exagitat. Id credibilis quā verius, inquit, dictū esse videtur. Sic enim Demetri rem considera. Cum corporum partim ad medium & deorsum ferri dicit, partim à medio & sublimē, partim circum & in orbem, cuius tandem comparatione medium sumit? Non enim inanis, quod de eius sententiā nullum est, & de quorum est, mediū tamen non habet, vt nec principium, nec extremum. Nam hi sunt termini, cum infinitas sit interminata. Quod si quis eam oratione cogat audere infinitum inanē fateri, æqua in eo tamen motionum differentia corporibus cieri possit? Neque enim in inani corporum

vis inest, neque corpora impetum aut propositum habent quod medium appetat & eo vndique contendat. Verum inexplicabile est intellectu, corpora inanima ad incorporeum & indifferens ferri, & vel ex se, sa cieri, vel ab illo trahi & alluci. Relinquitur igitur medium non loci ratione, sed corporis dici. Nam cum mundus hic eò plurimis diuersisque corporibus vna continuatione & consensione cohareat, dissimilitudo alias atque alias motiones necessatio ciet. Quod vel eò perspicuum est, quia quorum natura immutatur, eadem protinus quoque locum commutant. Quippe cum dissipatio materiam à medio subuolantem, circum distribuat: concretio atque densatio pelsum deprimat, in medium compellat. Quæ de re pluribus hic differendum non est. Quam enim cumque quis istarum affectionum & mutationum causam effectricē, & tanquam architectam statuet, ea sane mundū quemque in suo statu continebit. Singulis enim erit suum mare, cum suum quisque medium habeat, mutationes, affectiones, naturam, potestatem quæ eodem in statu quémque teneatur & conseruet. Quod enim extra est, siue nihil excedit, siue immensa infinitas patet, medium, vt dixi, præbere non potest. At verò si multi mundi sint, suum quisque medium habebit, vt proinde motus sit aliis eò, aliis inde, aliis circum id, vt ipsi partiuntur. Qui autem postulat vt in mediis multitudinem, omnium vndique ponderum momenta in vnum depellantur, nihil ab eo discrepat qui in tanta hominum frequentia, in vnam venam vndique omnem sanguinem confluere debere censeat, vnāque membrana omnium cerebrum contineri. Nefas videlicet arbitratus si non omnia quæ in nostris corporibus solida sunt, vnam obtineant regionem, vicissimque mollia vnam sedem. Atque hæc quidem Plutarchus. Quæ magna probabilitate contra Aristotelem videntur disputari. Adde quod Plato & Aristoteles in ea ratione quæ à materia ducitur, pro rato sumunt, totā materiam ex qua mundus potuit efformari, in eo quem incolimus esse absumptam: vel certè ex ipso solo nomine istud declarant. Quod scilicet vniuersum appelleretur. Vniuersum autem non esset, si extra hoc aliquid esset relictum. In quo nescio an satis sit virium ad id efficiendum de quo quaritur. Altera Platonis ratio ad idem confirmandum quam hoc capite Alcino paulo post usurpat, ducitur ab exemplari forma siue idea. Vnum mundum, inquit ille in Timæo, profecto esse oportet, si modo ad vnius similitudinem sit formatus. Quod enim viuencia omnia quæcunque intelliguntur, continer, socium alterum habere non potest. Alioquin aliud animal quod hæc duo contineat, esse oportet: cuius duo hæc, partes sint, nec illorum, sed tertij huius, mundus hic simulachrum rectius diceretur. Vt igitur hic mundus esset animal absoluto similis, ex eo quod solus atque vnus esset, idcirco neque duo, neque innumerales procreati sunt, sed vnus mundus vnigenitusque factus est & erit. De qua priusquam Aristotelis & Platonis sententiam expendamus, placet commemorare contrarias rationes eiusdem Plutarchi libro eodem de defectu oraculorum. Primum, inquit, quæ mundorum infinitatem prohibent, ea quo minus vno plures faciamus, nihil impediunt. Nam vt in singulari, ita quoque in pluribus mundis diuinatio poterit extare, prouidentia, exiguus fortunæ interuentus, in plurimis maximisque rebus ordo & constantia, ortus præterea & commutatio: quorum nihil in infinitatione potest esse. Deinde consentaneum profecto magis est nec vnigenam, nec soliuagum esse mundum. Nam cum probitate perfecta existat, nullius certe virtutis indiget: minimè autem omnium iustitiæ & amicitiæ: quæ non solum ipsæ pulcherrimæ sunt, verum etiam diis decoræ. Nihil porro frustra Deus aut inutile



habere solet. Quare alij sunt foris dij & mundi, in quos virtutibus illis in com-
 munitate & societate positus, vtitur. Neque enim aduersum se, aut aliquam sui
 partem, iustitia, gratificatione, bonitate quis vtitur: sed aduersum alios. Quam-
 obrem verisimile non est mundum hunc amicitia, vicinitatis, coniunctionis
 expertem, in infinita inanitate tanquam fluitare: cum praesertim naturam vi-
 deamus singula generibus & formis tanquam vasculis & seminum folliculis co-
 tinere. Nihil enim in rerum natura solitarium vnumque numero reperias. Ne-
 que vero communis alicuius rei ratio esse, neque communis appellationem ad-
 ipsi potest, quae non communiter quale aliquid est, sed proprie declarat. Atqui
 mundum negant esse communiter qualem. Ecquo igitur tandem pacto qualis
 fit, ex dissimilitudine quae mutuo intercedere cum aliis cernatur, qui sibi vni
 cognatus atque vnus modi, talis esse procreatus agnoscitur? Nam si neque homo
 singularis, neque equus est in rerum natura, neque stella, neque Deus, neque De-
 mon, quid verat non vnicum in natura mundum, sed plures extare? Etenim qui
 affert in eo vnicam esse terram, vnicum mare, quod promptum & perspicuum
 est non videt, res esse aliquas quae partium similitudine censeantur. Terram enim
 in partes eiusdem nominis diuidimus & mare. At mundi partes non item mun-
 dus vocantur, cum ex diuersis naturis sit coagmentatus. Hanc vero posteriorem
 Platonis ratione quae a specie & idea ducitur, Aristoteles non videtur probasse:
 quod in iis quae sunt, multitudinis causa & in multitudine solius numeri distin-
 ctio, partitioni materiae potius quam ipsi formae debeatur. Quodque haec etiam si vni
 tantum communicetur, sit tamen sua natura pluribus comunicabilis. Quemadmo-
 dum vox etiam si ab vno tantum re ipsa audiatur, a pluribus tamen sua natura au-
 diri potest. Sic enim idem scribit li. 7. Metaphy. Socratem & Calliam & singula
 eiusmodi, diuersa esse tantum ob materiam, eadem autem specie. Quippe cum
 forma indiuidua sit. Neque certe in Platonis doctrina hoc sine dubitatione est,
 cur si mundus ad vnus exemplaris imitationem factus sit, vnicum esse o-
 porteat: cum in caeteris idem Plato agnoscat earum rerum multitudinem quae
 vna idea participant. Quamquam in hoc de quo nunc agitur, non est mundi &
 rerum caeterarum eadem ratio. Quoniam vt exemplar primum primamque rerum
 omnium idea vnica est, quae caeterarum rerum exemplaria & ideas in se conti-
 net: sic primam imaginem quae in mundo hoc sensili est expressa (id est, sensile
 primum) oportuit esse vnicam, & in se continere caeterarum idearum imagines,
 id est sensilia omnino omnia. Alioqui futurum non erat, quod Plato in hac ra-
 tione supponit, vt mundus hic in sensilibus perfectissimus, perfectissimo & pri-
 mo intelligibili omni ex parte responderet. Non potuit autem mundus sensilia
 omnia continere, sicut intelligibilis omnia intelligibilia, nisi esset vnicus. Et si
 animaduerto nonnullis recentioribus Platonis in eiusdem questionis explica-
 tione aliud videri. Quorum opinio quamquam mihi non omnino probetur, eam
 tamen hoc loco referam, vt de illa pro suo arbitratu lector statuat. Franciscus
 Cataneus sua enarratione in Symposium Platonis, si exemplar vnum est, inquit,
 opifex vnus, necesse est & mundum esse vnum. Nam opifex vnus dum perfectis-
 sime exprimit exemplar vnum, omnes exprimendi numeros impleat est neces-
 se. Alioqui non perfectissime exprimeret. Eiusmodi autem expressio, non nisi
 in vno perfectissima est. Si enim multa essent quae perfectissime exprimuntur,
 quid prohiberet in infinitum abire? Deinde idem paucis verbis interiectis su-
 periores dubitationem sic occupat. Quod si obiicitur, inquit, animarum ideam,
 esse vnam, opifex vnum huncque perfectissimum, complures tamen animas
 esse: Ad haec leonis aut equi & si qua sunt generis eiusdem, ideam esse vnam, com-
 plura

plura tamen quae ideam imitentur: nos ad haec respondeamus non esse animarum
 omnium vnam ideam, proinde nec exemplar vnum: sed singulas animas singu-
 las habere ideas. Vnde & animae omnes rationales de Platonis sententia specie
 differunt. Haec quidem Franciscus Cataneus, quae, vt liberè dicam quod sentio,
 mihi non omnino probantur. Neque verò satis perspectum est, quod scribit Plo-
 tinus cap. 1. libri eius quo inquit an singulorum sint ideae. Si quae sunt, inquit,
 omnino plura sunt quam exemplar, cur non oportet omnium quae in vna mun-
 di reuolutione sunt, rationes exemplariaeque extare? Videtur enim sufficere ho-
 mo vnus ad omnes homines, quemadmodum & animae numeratae, ad innume-
 rabiles homines effingendos. Sed enim non potest vna esse ratio differentium.
 Neque sufficit homo vnus ad exemplar multorum hominum inter se differen-
 tium, non materia tantum, inquam, sed quam plurimis insuper propriis differen-
 tiis discrepantium. Non enim haec ita se habent vt imagines Socratis ad exem-
 plar: sed differentem effectiorem necesse est ex differentiis rationibus proficisci.
 Vniuersa verò reuolutio, omnes rationes complectitur eademque rursus per
 easdem rationes regenerantur. Neque verò suspicandum est, ne hinc in mundo
 intelligibili infinita multitudo sequatur. Tota enim illic multitudo in quodam
 indiuisibili continetur, & quasi illinc singula prodeunt, quando agit. Timaeus
 Locrus libro de anima mundi & natura, rationem hanc paulò aliter & minore
 cum dubitatione sic expressit. Perfectus & absolutus mundus, inquit, semper in
 rebus sensum mouentibus vnus est: quoniam ipsum quoque eius exemplar suo
 complexu animantes omnes qui ratione intelliguntur, comprehendens, nihil aliud
 extrinsecus reliquit: cum extremitas sit quae omni ex parte quicquid intel-
 ligentia comprehenditur, concludat: vt hic mundus, quicquid sensus mouer.
 In qua Platonis & Timaei Locri sententia, cum idea mundi huius Deus ipse sit,
 qui idem mundi opifex & moderator, quemadmodum antea dictum est cum de
 ideis ageremus, ea sic intellecta perinde erit ac si colligatur mundum esse vni-
 cum, quia eius opifex ac moderator est Deus vnus qui rerum omnium quae
 sunt in hoc sensili mundo, formas in se continet. In quo Platonis rationem acute
 inuertit Athanasius in oratione contra idola: ac contra, ex eo quod mundus
 hic est vnus, concludit eius opifex ac moderatorem vnicum esse oportere.
 Impium certe, inquit, pariter & absurdum vnum opus esse credere, plures autem
 operadores. Quin physicae rationis sit, vnum & singulare, si perfectum sit, mul-
 tiplicato excellentius esse.

7. Locus hic ad verbum desumptus est ex Timaeo Platonis. Quem D. Augu-
 stinus cap. 11. libr. 8. de Dei Ciuitate sic coniungit cum his quae pertinent ad no-
 stram religionem. Manifestum est, inquit, quod Plato igni tribuit caeli locum.
 Habet ergo haec sententia quaedam illius similitudinem qua dictum est, In prin-
 cipio fecit Deus caelum & terram. Deinde illa duo media, quibus interpositis
 sibimet haec extrema copularentur, aquam dixit & aërem. Vnde putatur sic in-
 tellexisse quod scriptum est, Spiritus Dei ferebatur super aquas. Parum quippe
 attendens quo more solet illa scriptura appellare spiritum Dei, quoniam & aër
 spiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata, videri po-
 test. Ex quibus illud obiter intelligitur existimauisse D. Augustinum (quod in-
 dicauimus antea in praefatione) Moysi scripta Platoni perspecta fuisse & cog-
 nita. Diuinius censei debet & cum nostra religione coniunctius, quod de eadem
 mundi origine refert antiquissimus scriptor Mercurius Trismegistus initio Pi-
 mandri. Cum de rerum natura cogitarem, inquit Mercurius, ac mentis aciem ad
 superna erigerem, sopitis iam corporis sensibus, quemadmodum accidere solet



iis qui ob saturitatem, vel defatigationem somno grauari sunt, subito mihi visus sum cernere quendam immensa magnitudine corporis qui me nomine vocans, in hunc modum clamaret. Quid est ð Mercuri, quod & audire & intueri desideras? Tum ego, quisnam es, inquam? Sum inquit ille, Pimander, mens diuina potentia. Ac tu vide quid velis: ipse verò tibi ubique adero. Cupio, inquam rerum naturam discere, Deumque cognoscere. Ad hæc ille, tua me mente complectere, & ego te in cunctis quæ optaris, erudiam. Cum hæc dixisset, mutauit formam: vniuersa subito reuelauit. Cernebam enim immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conuersa suaue nimium atque iucundum, quod inuentem me mirificè oblectabat. Paulo post umbra quædam horrenda obliqua reuolutione subterlabatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tum vultu agitaram. Inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: ex hac luminis voce verbum factum prodiit. Verum hoc naturæ humidæ adsans ex humidæ naturæ visceribus, syncerus ac leuis ignis protinus euolans alta petit. Atque quoque leuis spiritui parens, mediam regionem inter ignem & aquam soriebatur. Terra verò & aqua sic inuicem commixta iacebant, vt terræ facies aquis obruta, nusquam pateret. Hæc duo deinde coniuncta sunt à spiritali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans. Tunc Pimander ait, Aduertis quid sibi hæc visio velit? Cognoscam, inquam. Ait ergo Pimander. Lumen illud ego sum: mens, Deus tuus antiquior quam natura humida, quæ ex umbra effulsit: fenum verò germen lucens, Dei filius. Quid ergo, inquam? Hic inquit, cogita quod in te videri & audit, verbum domini. Mens autem pater Deus. Neque enim distant abinuicem. Horum vnio vita est. TRISMEG. Gratiarum ago tibi. P I. Verum imprimis meditare lumen atque cognosce. TRISM. Hæc vbi dicta sunt diu illum orauit, vt eius ideam ad me conuerteret. Quod cum ille fecisset, repete prospectio in mea mente lucem viribus innumeris existentem: ornatam sine termino: ignem vi ingenti circumseptum, & in ipsa stabilitate dominantem. Hæc ipse percepi per Pimandri verbum, qui me stupore attonitum sic iterum affatus est. Vidisti in mente primam speciem infinito imperio prævalentem? Eiusmodi quædam mihi Pimander. At ego illi, Elementa naturæ vnde manarunt? P I. ex voluntate Dei quæ verbum complexa, pulcherrimæque intuita mundum, ad eius exemplar reliqua sui ipsius elementis vitalibusque seminibus exornauit. Hæc Mercurius Trismegistus. Quæ cum Christiana physiologia magna ex parte consentiunt. Obseruandum verò etiam amplius in hac ratione Platonem duos tantum sensus vltimè, & hos quidem ad omnia corpora percipienda maximè communes, aspectum scilicet & tactum. Quoniam nullum omnino corpus concretum est quod per colorem, vel certè per suum splendorem, non sit aspectabile, aut per suam soliditatem tractabile eoque magis, quò hanc in suis dimensionibus secundum naturam stabilioris habet atque firmiter. Cur igitur ex eo quod mundus aspectu tactuque percipitur, colligit in eo ignem terramque esse oportere, cum in hos etiam sensus reliqua corpora cadant? Equidem ab his duobus potius quam à reliquis tribus sensibus, hanc rationem duxit: quòd eorum vterque primus sit, sed alter altera de causa. Nempe aspectus, dignitate atque sui muneris præstantia: tactus autem, ad vitam necessitate. Vt de illo confirmat Plato in Hippia maiore, de hoc Arist. lib. 2. de Animo. Eosdem verò igni & terræ accommodat, quoniam circa hæc duo elementa primò versantur, circa reliqua verò, prout his variè participant. Nam neque corpora siue terminata, siue interminata (sic enim Optici loquuntur) sine lumine aspectabilia sunt, vt docet Plato lib.

6. de Rep. & Arist. cap. 7. lib. 2. de Animo. Lumen autem, vt idem ait, in Timæo, actus quidam est ignis non adurentis, sed lucentis. Neque tractabilia siue tactilia, nisi per soliditatem, quæ terræ primò, vel certè maximè inest: ceteris verò mixtis corporibus, prout ea magis minusve participant. Neque tamè hoc loco Plato vult aspectabilia omnia ex igne & terra constare, quòd Iulius Scaliger in eo exagitans exercitatione 61. contra Cardanum, opponit, aquam aspectabilem esse neque tamen ex igne & terra constare: sed significare voluit in concretis corporibus (tale enim mundi corpus est de quo hoc loco agitur) causa per quam in aspectum & tactum cadunt, sitam esse in splendoris ignei & terrenæ soliditatis participatione. Qui cum in Timæo hanc compositionem ex quatuor elementis nunc cælo, nunc mundo tribuit, cæli nomine pro mundo vtitur, sicut & nonnunquam Arist. Non pro eo corpore quod huic inter simplicia quintum est & Astreum. Hoc enim ille potius, vt antea ex D. Augustino obseruatum est, ignis nomine significauit: quem à nostra flamma distinguens, lucentem vocat, non adurentem. Ex quibus intelligi potest non rectè Scaligerum (pace eius dixerim) eadem exercitatione quærere, quò modo hoc loco Plato dicat cælum ex terra & igne esse factum, cum illud terra prius sit: neque eundem satis iuste reprehendere, quòd ille cæli, id est mundi corpus in sensum tactus etiam proprie cadere dixerit. In quo deceptus quoque videri potest Sebastianus Foxius, cum ex hoc loco collegit apud Platonem cælum in quo stellæ sunt ex quatuor elementis esse compositum, de quo proximè disputabitur.

8 Hanc comparationem duorum mediorum elementorum cum duobus extremis, sic Plato exprimit in Timæo. Duo sola, inquit, absque tertio quodam commodè coherere non possunt: sed medium aliquod vinculum desiderat. Vinculorum verò, id est aptissimum atque pulcherrimum, quòd ex se & ex iis quæ attingit, quàm maximè vnum efficit. Hoc verò maximè proportio ratioque alteræ comparationis assequitur. Quando enim in tribus numeris aut motibus, aut viribus, medium ita se habet ad postremum, vt primum ad medium: vicissimque vt postremum cum medio, ita medium cum primo congruit: tunc quòd medium est & primum sit & postremum, postremum quoque & primum media fiunt. Ita necessitas cogit, vt omnia quæ sic deuineta fuerint, eadem inter se sint. Eadem verò cum facta sint, efficiunt vt omnia sint vnum. Quòd si vniuersi corpus latitudinem habere debuisset, nullam verò profunditatem, vnum sane tum ad seipsum, tum ad extrema vincienda, interiectum medium suffecisset. Sed cum soliditatem mundus requireret, solida verò non vno, sed duobus semper mediis copulatur: inter ignem & terram Deus aërem aquamque locauit, eaque inter se inuicem quoad fieri poterat, comparauit, vt quemadmodum ignis ad aërem, ita aër ad aquam, & vt aër ad aquam, sic aqua ad terram congruè cõferatur. In quo illum notat Contarenius Cardinalis lib. 1. de Elementis: quòd istiusmodi rationem non repetat ex propriis naturæ principiis, ad quam proposita quasi pertinebat: sed ex mathematicis, quæ alieni generis sunt. At hoc illi fortasse dandum est, qui Pythagoræ imitatione physica plerumque per mathematica explicat. Præsertim cum ab ipso Arist. etiam in præceptis Analyticis, sit positum: cap. 10. lib. 1. post ex iis scientiis quarum vna sub altera non continentur, quasdam esse quæ in certis affectionibus tantam cognationem habent: vt non ampliùs sit vitiosum id quòd vnus est, per ea quæ sunt alterius demonstrare. Quales sunt, vt ait, medicina & Geometria. Nam quòd vulnera orbicularia difficiliùs ac tardius curètur, nouit medicus: huius autem rei causam explicat Geometria. Quòd idem in hac quæstione de proportione mediorum elementorum cum extremis,

dici potest in Pythagorica doctrina contingere. Cum verò medium ad extrema tripliciter se habere possit secundum tres differentias proportionis Arithmeticae, Musicae, Geometricae (de quibus multa sunt apud Boetium libr. 2. Arithmeticae) Plato hoc loco mundo accommodat non Arithmeticam aut musicam, sed Geometricam: cuius hoc proprium est, ut medium eadem proportionis specie, etsi non eadem quantitate, vincat extremum inferius, qua vincitur à superiore: qualis in his tribus numeris cerni potest 2.4.8. Quoniam ut quaternarius binarium vincit proportionem dupla: sic idem ab octonario vincitur. Hanc verò idcirco deligit, quod ad aequalitatis perfectionem magis quam superiores duae pertineat. Ut idem docet initio 6. de legibus, & Arist. ipse confirmavit lib. 5. Ethic. in ea iustitiae parte quae praemiorum & poenarum distributioni praest. Atque cum in ea Geometrica proportionis specie, quae continua appellatur, medium vnicum sit: Plato hoc loco rationem reddere voluit cur in mundo positus duobus extremis, quae Geometrica proportione erant connectenda, medium non vnicum, sed duplex extiterit. Nempe quod huius corpus solidum sit idemque globosum: in quo sicut in pila, longitudinem quidem & latitudinem quasi in plano metimur eodem modo, puncto in medio summitatis eius impresso lineamque ab illo circumducta. At profunditatem siue altitudinem, alio modo metiamur necesse est, linea ad centum altitudinis depressa. Ex quo colligit propter hanc duplicem dimendi rationem, in extremis solidis duo media corpora interici oportuisse. Sed haec omnia ad ipsam naturam referenda sunt, ut intelligamus in ea quae sit ipsorum elementorum quatuor proportio. Cum vero in iis duo spectari possint, corporum moles, & ad agendum patiendumque ingenita vis, in eorum qualitatibus sita: ex posteriore, extrema atque media in hac proportione ita spectanda sunt, ut ignis eius qui apud Arist. vnum ex quatuor elementis constituit (nam de Platone quo modo ignis nomē hoc loco usurpet, antea monuimus, & postea pluribus disseretur) in agendo virtus summa intelligatur, terrae maxime imbecilla. Contra verò, haec patiatur promptissimè, ille tantò difficilior, quāto agit promptius. In quo reliqua duo elementa mediam ratione obtinent. Quod & aer tardius agit quam ignis, patiatur promptius: & aqua ad tertiam & aërem in quorum medio sita est, eodem modo sit affecta. Quam elementorum connexionem Arist. vidit, necessariamque esse putavit tum ad rerum diurnitatem, tum ad vicissitudinem mutationum, quae in eas cadunt: sed longè aliter exposuit. Plato enim in Elementis quatuor vnam tantum contrarietatem esse voluit, ignis & terrae: duo verò eius media, Aërem & Aquam. At Arist. in illis notavit duas contrarietates intertextas, & in singulis vnicum medium, quod in altera contrarietate ratione extremi obtineret. Nam inter ignem & aquam vtriusque qualitatis contrarietas est, & in his summa summa, remissa remissa opposita. Quia ignis summè calidus, remissè siccus: aqua summè frigida, remissè humida. Cuius medium in aëre vna qualitate cum igne, nempe calore, altera, scilicet humore, cum aqua conueniente. In secunda verò contrarietate pro extremis aer & terra, quae in eiusdem doctrina vtriusque qualitate sunt contraria. Quoniam Aër summè humidus, remissè calidus: Terra summè sicca remissè frigida: media aqua, in humore cum aëre, in frigiditate cum terra cōsentiens. Quam proportionem notare facile est, non tantum in magno corpore vniuersi, sed in singulis mixtis: in eaque videre quanta sit commoditas coniugationum quatuor, quas in primis qualitatibus acutissimè Arist. distinguit & quatuor elementis accommodat cap. 3. libr. 2. de ortu. Quamquam repugnante Galeno, ut à nobis obseruatum est capit. 4. libr. 2. Priori nostrae descriptionis Physicae. Est etiam in corpora mole quaedam inter

ipsa elementa proportio de qua sic Arist. cap. 3. libr. 1. Meteor. Qui, inquit, ignem purum esse aiunt, id quod complexu suo omnia coercet: nec solum ea corpora quae mouentur, id verò quod inter astra & terram interiectum est, aëra: hi si quae nunc Mathematicorum artibus copiosè docentur, cognouissent fortasse ab ista puerili sententia destitissent. Si enim interualla plena ignis essent & interualla ex igne constarent, iam pridem vnumquodque aliorum elementorum deflagrasset. Nec verò aëris solius plena sunt illic omnia. Aequalitatem enim communis proportionis ad corpora quae sunt eiusdem generis longè multumque superaret: etiam si duorum elementorum plenus est locus is, qui inter caelum & terram interest. Nam neque terra moles, in qua etiam continetur tota vis aquae, ad eam magnitudinem quae ambit, particula locum tenet. Videmus autem non in tanta magnitudine molis, praestantiam exuperantiamque consequi, quando ex aqua quae secreta est, aer, vel ex aëre ignis oritur. Cui tamen necesse sit quam rationem particula aquae habet ad eum aërem qui ex ipsa ortus est, eandem etiam totam aquam, ad totum aërem habere. Quae etiam si verissimè ab Arist. dicta sint, nihil tamen faciunt ad eam proportionem de qua Plato est locutus. Neque enim quanto aer sua mole aquam excedit, verè possis dicere tanto terram ab aqua superari. Cum contra fortasse terrae totius quantitas maior sit quam aquae. Et certè eiusmodi esse videatur Cardano libr. 2. de Subtilitate & libr. 1. de Rerum varietate. Itémque Iulio Scaligero in exercitationibus contra Cardanum. Paulò ante obseruatum est ex D. Augustino, Platonem cum pro primis extremisque vniuersi partibus ignem & terram posuit, ignis nomine caelum in quo astra sunt, significare voluisse. Nam nisi hoc in illius doctrina quartum corpus simplex intelligatur, sed aut quinta quaedam essentia (quod Aristoteli certum est placere) aut quod nonnulli aiunt, ex quatuor elementorum purioribus portionibus mixta: cur hic extrema ignis & terra ponuntur? aut hac proportione quam inter se primae mundi partes habere dicuntur, caelum excluditur? aut denique cum ipsum sit magis aspectabile quàm is ignis qui lunae subiectus est, & inter quatuor elementa a Peripateticis numeratus, cur ex eo quod mundus aspectabilis est, concluditur in eo ignem elementarem esse oportere, non potius caelum à quo primo lumen manat, cuius virtute sunt omnia aspectabilia? Quamquam de ipsius caeli natura quid ille senserit, non leuis esse videtur inter ipsos Platonicos ex magistri verbis orta dissensio. Nam Io. Grammaticus libro de mundi aeternitate, scribit ex Platonis sententia mundum vniuersum, atque adeo ipsum caelum, & quae in eo sunt omnia, ex igne aëre aqua & terra esse composita, maiorem tamen ignis partem quam reliquorum trium elementorum ipsum celum obtinere. Idem placuit Calchidio commentario in Timeum. Quod caelestia corpora, inquit, non consent ex quatuor elementis, dicere non est eius qui Platonis decretum sequi velit, sed potius qui suum dogma constituat. Nam Plato caelestia quoque ex igne illo quidem ampliore, facta dicit & ex reliquis, sed remissionibus, syncerioribus & purioribus. At Plotinus cap. 6. libr. de Caelo, concludit terrena quidem animalia sic esse composita, ut illis quatuor elementa insint. Terram vero in caelum attollere, contra naturam esse, contrariumque his quae in naturae ordine disponuntur: nec illa ratione videri probabile, ut celerrimus caelestium cursus, terrena in se corpora perferat. Denique terram nitore splendorique caelestis ignis impedimento futuram. Idemque cap. 8. vult ab ipso caelo alium esse ignem vnum de elementis, ei subiectum, qui tanta celeritate in caelum permutetur, ut hoc ab illo nullo modo patiatur. Et certè Plato ipse in Epinomide, Aetheream naturam quintam simplicem videtur agnoscere. Cui, quinque sunt corpora, inquit, Ignis, Aqua,

tertium Aër, quartum Terra, quintum Aether horum principatibus multa variâque singula animalia producantur. Et eodem loco, Aethera, inquit, post ignem ponamus, ex quo animâ animalia gignere arbitremur. Ad quæ concilianda dici posse videtur, in vniuersitate ex Platonis sententia ignem esse duplicem, Aethereum vnum lucentem non adurentem, alterum elementarem eundemque adurentem. Sic enim cum ab illo dictum est, Deum in Sphera à terra secunda, lumen accendisse, Plotinus cap. 7. lib. eiusdem, hoc sic interpretatur. Solem, inquit, significat: quæ alibi nuncupat splendidissimum eundemque nitidissimum. Quibus verbis omnem à nobis opinionem abigit suspicantem aliquid illic esse aliud præter ignem. Significat quoque nullâ adesse ignis aliam qualitatem præter lumen, quod quidem esse ait à flamma diuersum, calorem verò leuem tantum & suauem. Et ipse in Timeo, ignis, inquit, illius qui non vrit, sed illuminando suaviter diè inuehit mundo, participes oculorum orbis diè fecerunt. Eodemque loco vbi in explicandis elementorum permutationibus de altero igne adurentem loquitur, eius duo genera ita distinguit. Post hæc sciendum est, inquit, multa esse ignis genera, flammam videlicet, & quod ab ea est accensum, quod vrit quidem, lumen vero nullum oculis affert quod ve extincta flamma, intra illa quæ accensa fuerant, remanet. Quod si quando in cælo elementa apud Platonicos esse dicantur, hoc non tam ad elementorum substantias, quam ad eorum qualitates videtur esse referendum. Idque fortasse ex eiusdem Plotini sententia eodem libro. Meminisse oportet, inquit, terram non ita misceri igni sublimi, vt in ipsa stellarum compositione connumeretur. Sed cum in vno mundi corpore singula collocentur, nimirum & ignem aliquid habere terreni, quemadmodum & terra aliquid ignei habet. Ac summam singula habere aliquid singulorum, non adeo quidem vt quod dicitur alia possidere ex vtrisque constituatur, videlicet ex seiplo & ex eo cuius est particeps: imo in ipsa mundi communione ritè situm, non tam alterum, quam alterius nonnihil accipiat: velut non ipsum aërem, sed aëris liquiditatem. Sic & terra non tam ignem quam igneam claritatem, & ignis non tam terram, quam huius soliditatem densitatemque habere dicatur. Hac enim ratione ipse etiâ Arist. in cælestibus corporibus stellâ appellat partem eius orbis in quo est, densissimam. In quo occultæ suæ philosophiæ fundamenta posuit Henricus Agrippa cap. 8. lib. 1. Vt in hoc fortasse Proclo venia danda sit, quod in Platonis doctrina cælum modo faciat corpus simplex, modo idem velit ex quatuor elementorum purioribus portionibus constare. In quo tamen à Io. Grammatico inconstantia arguitur libro de mundi eternitate. Atque hac ratione non erit difficile de quinta cælesti essentia Aristotelem cum Platone conciliare. Chaldeorum sapientes, vt scribit Iulius Scaliger in exercitationibus contra Cardanum, cælum ex aqua & igne compositum esse voluerunt. Quos secuti Hebræi posuisse videntur distinctionem aquarum quæ in cælo sunt, ab aliis quæ eidem sunt subiectæ.

10 Philo Iudæus in libro de mundo quod incorruptibilis sit, scribit eandem fuisse Critolai Peripatetici sententiam. Pergit, inquit, ita ratiocinari Critolaus, Quicquid sibi ipsi sanitatis causa est, morbis caret: sicut quicquid sibi ipsi vigiliæ causa est, perpetuò vigilat. Inde colligitur sempiternum esse id quod suamet causa est essentia. Mundus porò sibi ipsi causa est essentia: sicut & cæteris rebus omnibus. Ergo mundus æternus est. Illud quoque cõsiderare debemus quicquid nascitur, vti que imperfectum esse à principio: processu verò tẽporis augeri, donec omnino absoluat. Itaque si mundus est genitus, fuit aliquando, liceat mihi vti nominibus ætatum) puer admodum, & post multos annos, multa sæcula, vix tandem abso-

lutus. Nam quod est æui longissimi, necessariò tardè ad vigorem suum peruenit. Tales autem mutationes si quis credit in mūdum cadere, pro maximè infano habendus est, atque adeo pro insanabili. Sic enim probaretur eū non tantum corpore, sed etiam animo proficere. Quandoquidè etiam qui aiūt interituum, credunt tamen ratione præditum. Ergo more hominum brutus erit in generationis suæ principio: adulta ætate, compos rationis. Quod vel cogitare nefas fuerit, nedum proloqui. Qui enim possumus hunc perfectissimum, visibilem ambitum, contentâque in eo partes singulas intuentes, non credere perfectum semper corpore simul & animo, expertem malorum quibus genita corruptibiliâque, sunt obnoxia? Adde, id quod ex elementis constat ad vnum omnibus, robustius esse quam vt vi vlla infirmum reddi queat. Vbi porò nulla est infirmitas, ibi sanitas vigorque permanet tutus à senio. At fortasse neque hæc ratio Critolai, neque ea quæ ex Platone hoc loco commemoratur, omnino efficit mundum suapte natura esse imparabilem, aut senescere nullo modo posse. Nam cum omnium physicorum consensu, in corporibus naturalibus duplex sit patiendi ratio, vna ab externis causis, altera ab interioribus: cumque à Galeno scriptum sit lib. posteriore de Elementis, necesse esse id cui nihil externum passionem infert, à propria natura pati: mūdus etiam si externum nihil habeat, afficitur tamen ab internis, quorum contrarietate atque perpetua pugna non modo senescet, sed tandem omnino dissoluetur. Quod Empedocli persuasit igne in reliqua elementa semper agente, futurum vt hæc paulatim absumentur, tandemque naturæ vniuersitatis generali iacendio deleatur. Et certè cum mundi corpus finitum sit, si ab Arist. rectè usurpatum est libro de Animalium motu, & demonstratum in Physicis finiti corporis vires esse finitas: necesse est etiam illas interiores naturæ vires, in mundo finitas esse. Quo igitur modo ab istiusmodi causis, mundi æternitas quæ infinita est, sustinebitur? Neque verò Plato, sicut antea dictum est, voluit mundum ex sese æternum esse: imo nominatim scribit in Timeo, ipsum se consumptione sui ipsius & senio alet: sed illum perpetuari dicit, præter aut supra interiora naturæ principia, deo ita volente. Sine quo, etiam si non modo nulla contrarietate sed ne materia quidem constaret omnino vlla: hoc ipso tamen suapte natura finem aliquando esset habiturus, quod à se non est, sed ab alio. Atque fortasse id hoc loco tantum agit vt doceat etiam si mundus propriis istis principiis (quæ cum dico illius corpus animamque intelligo) sibi æternitatem præstare non possit: hoc certè illum à se habere quod æternitati nihil reluctatur: aut quod ad hanc suapte natura bene affectus esse videtur. Quæ omnia Aristoteles animaduertens, in cælestibus orbibus, quorum conuersionem æternam esse volebat, naturalibus formis, quarum vires finitæ sunt adiecit, vt paulò ante dictum est, quasi assistentes intelligentias, quæ sua virtute illorum motus perpetuarent. Quoniam naturalis forma finita, in corpore finito, id præstare nullo modo posse videbatur. Quamquam de eo inter Peripateticos non omnino videtur conuenire: sicut à nobis obseruatum est capite tertio, libri secundi, prioris nostræ descriptionis Physicæ.

11 Vt enim ab Arist. dictum est lib. 1. Politic. naturam nihil tale facere, qualem ætarij fabri gladium delphicum, ad duos vsus propter inopiam: sic à nobis debet intelligi, in eadem prouida nihil luxuriare, aut frustra esse. Sic enim ille dicere solet, Deum & naturam nihil frustra facere. Sensus autem dati sunt (externos intelligo, quorum instrumenta apparent in corpore) partim ad quarendū alimentum, partim ad præuidendas externas iniurias atque propulandas. Quæ cum in hoc animali maximo, quod omnia complexu suo continet, locum non habeant: efficitur in eodem sensus neque ad vitæ necessitatem, neque ad vllam commo-

ditatem pertinere. Quam rationem Plato sic expressit in Timæo. Animal hoc, inquit, nec oculis indigebat, quia nihil extra quod cerni posset, relictum erat. Nec auribus cum nihil superesset foris quod audiretur. Nec erant aëre circumfusa externa mundi, ut respirationem requireret. Nec membris quidem talibus opus erat, per quæ noua alimenta susciperet, aut decocti cibi excrementa emitteret. Nulla accessio fieri poterat, nulla decessio. Nec enim erat aut quo, aut unde, talia fierent. Ipsum enim se consumptione & senio sui ipsius alit. Ita nempe diuina arte fabricatus est mundus, ut omnia in se ipso & à se ipso patiat & agat. Ratus enim est ille author, mundum, si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore, quam si aliorum administrandis egeat. Nec ei manus necessarias esse duxit. Quia neque capiendum quicquam erat, neque repellendum. Nec pedibus aut aliis ad progressum statumve membris opus erat. Interiori sensum in illo Stoici potius considerauerunt. Ex quorum sententia Cicero ita concludit lib. 2. de natura deorum. Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundo autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu mundus.

12 Cæteros motus eos primum intellige qui fiunt secundum rectam lineam aut sursum aut deorsum, quos duos simplices Arist. esse vult cap. 2. lib. 1. de Cælo, tertiumque illis adiicit, motum conuersionis siue qui fit in orbem. Hos sequuntur quatuor motus animalis differentia duabus repugnantibus differentiarum situs distinctæ. Aut enim ille in anteriorem partem fit, aut in posteriorem: aut ad dextram aut ad sinistram. Qui motus mixti ab eodem Arist. nominantur. Quare de septem motibus secundum locum, Plato deligit eum qui in orbem fit, ut conuenientissimum ei intelligentiæ quæ magnum corpus vniuersi moderatur & regit. Ut enim hæc à se excitata, contemplando ad se ipsam reflectitur: sic in orbis conuersione semper fit reditus ad idem punctum, à quo ductum est illius initium. Neque verò tantum ipsi intelligentiæ, sed & corpori eiusmodi motus conuenientissimus est: Ut idem docet in Politico. Circuitus, inquit hospes, necessarius ob hanc causam ipsi mundo innatus est, S O C. Quam ob causam inquit: H O S P. idem esse semper & secundum eadem & eodem modo se habere, solis omnium diuinissimis conuenit. Corporis autem natura huius ordinis non est compos. Ceterum id omne quod cælum mundumque vocamus, multa quidè & scælicia munerata à genitore suscepit: corporis tamen particeps, expers omnino mutationis cuiuslibet esse non potest. Attamen quo ad potest, in eodem & secundum eadem & vno motu mouetur. Quapropter circuitum est adeptum, in quo minima agitationis fit permutatio. Qua ratione Platonici, ut cum totum mundum sua anima vna animatum posuerunt, agnoscunt mundi inferioris, quem elementarem appellamus, partes varias propria sua que anima animatas, sic in parte superiore & cælesti stellarum tam fixarum quam errantium corpora propria anima, præter eam quæ est vniuersi, informari & exornari voluerunt. Quam sententiam etiam Aristoteli attribuit Cicero lib. 2. de natura deorum. Quam aliorum animatum, inquit ortus in terra fit, aliorum in aqua, in aëre aliorum absurdum esse Aristoteli videtur in ea parte quæ sit ad gignenda animantia aptissima, animal gigni nullum putare. Sydera autem æthereum locum obtinent quoniam tenuissimus est & semper agitur & viget, necesse est quod animal in eo gignatur, id & sensu acerrimo & mobilitate celerissima esse. Quare cum in æthere astra gignantur, consentaneum est, in his sensum inesse & intelligentiã: Ex quo efficitur in deorum numero astra esse ducenda. Etenim licet videre acutiore ingenia & ad intelligendum aptiora, eorum qui terras incolunt eas in quibus aër sit purus ac tenuis, quam illorum, qui vrantur crasso cælo atque concreto. Quin etiã cibo quo vtare interesse

aliquid

aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur præstantem intelligentiã in syderibus esse, quæ ad ætheream partem mundi incolant & marinis terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum atque intelligentiam maximè declarat ordo eorum atque constantia. Nihil est enim quod ratione & numero moueri possit sine consilio, in quo nihil temerarium, nihil variũ, nihil fortuitum. Ordo autem syderum & in omni æternitate constantia neque naturam significat, est enim plena rationis, neque fortunam quæ amica varietati, constantiam respuit. Sequitur ergo ut ipsa sua sponte, suo sensu ac diuinitate moueantur. Nec verò Aristoteles non laudandus in eo quod omnia quæ mouentur aut natura moueri censuit, aut vi, aut voluntate. Moueri autem Solem & Lunam & sydera omnia. Quæ autem mouerentur hæc aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret: propterea quod eorum motus in orbem circumque ferretur. Nec verò dici potest vi quadam maiore fieri ut contra naturam astra moueantur. Quæ enim potest maior esse? Restat igitur ut motus astrorum sit voluntarius. Hæc Cicero ex Aristotele. Quæ fultius ex illo placuit commemorare, ut in Arist. doctrina lector exercitatus, in illis plerãque notare possit doctrinæ huius non omni ex parte consentanea. De motu verò circulari animæ & corporis mundi, dignissimum est obseruatione quod scribit Paulus Riccius lib. 1. de cælesti agricultura. Animæ ratiocinantis actum intelligendi, motui similem dici eundemque cum circulari motu comparari. Quia sicut motus in orbem continuus est, qui ad idem punctum redit à quo incepit: sic anima ratiocinando ipsoque intelligendi actu à se ipsa ad intelligibile extenditur. Unde rursus in se ipsam reflectitur. Quia quod iam actu factum est intelligibile, nihil est nisi actus intellectus possibilis, quem intelligendo intelligit se ipsum. Circularem autem hunc cælestis animæ motum sequitur cælestis corporis conuersio, tum propter naturalem cælestis corporis & animæ nexum, tum etiam ex opere & imperio voluntatis. Nam quemadmodum in nobis, quotiescunque anima circa aliquod obiectum delectabile & iucundum exultat, statim gestiunt corporei spiritus & per corporis molem vna cum sanguine delati, partes huius ad motum concitant, sicut in musico concentu reipsa deprehendimus: sic cælestium corporum anima cum per ideales & summæ pulchritudinis formas discurret, & ab harum vna ad alteram fertur, ineffabili tum gaudio afficitur. Affectus verò hic in ipsum cæleste corpus redundans, statim concitatissimum huius motum excitat: accedente voluntatis imperio, quæ ideales formas (quas anima contemplatur & concipit) in hanc rerum generabilium materiam depromere gestiens, quoniam hoc non nisi per motum fieri posse animaduertit, hunc circularem assiduum excitat, per quem rerum omnium opificem Deum imitatur: cuius immensa bonitas se per vniuersum effundit, & rebus etiam vilissimis primum essentiæ principium communicat.

TT



ALCINOI INSTITVTIO AD
IN MVNDO HOC (QVI IPSIVS INTEL-
ligibilis imago est) animus à corpore distinguitur. Deinde
figuris regularibus ad huius partes accommodatis, il-
larum principia secundum Pythagoræorum do-
ctrinam ad certas trianguli differen-
tias referuntur.

C A P. I I.

1 Cum autem duo sint ex quibus mundus est constitutus, corpus & animus: quorum illud quidem aspectabile & tractabile, hic neque aspectabilis est, neque tractabilis, utriusque vis & constitutio est diuersa. Corpus enim ipsum ex igne, terra, aqua & aëre coagmentatum est. 2 Si quidem hæc quatuor, quæ sanè nullum ordinem elementorum prius habebant, mundi opifex formauit Pyramide atque cubo, Octaedro & Icosaedro & præter hæc omnia dodecaedro. Materia enim quatenus Pyramidis figuram suscepit, ignis extitit: quòd hæc omnium maximè secando & diuidendo sit accommodata, paucioribusque triangulis constet, atque idcirco sit rarissima. quatenus autem Octaedra facta est, simul aëris qualitatem accepit: sicut & aquæ, quatenus Icosaedri forma est ornata. 3 Cubi verò figuram terræ attribuit ut omnium maximè solida atque firma. At dodecaedrum ad ipsum uniuersum accommodauit. Magis autem quam hæc omnia ad principia accedit natura planorum. Si quidè plana solidis sunt priora. 4 Planæ verò naturæ duo quidam progenitores trianguli pulcherrimi rectanguli, unus. Scalenus alter Isosceles. Atque Scalenus cum unum angulum habet rectum, alterum continentem, duas tertias unius recti, reliquum verò eiusdem partem tertiam, hunc quidem

priorem dico. Hoc autem Scalenus triangulus Pyramidis & octaedri atque Icosaedri elementum est. Cum Pyramis ex triangulis quatuor, omnia latera equalia habentibus constituatur: quorum quilibet, in sex triangulos Scalenos, quales modo dicti sunt, distribuatur. Octaedrum vero ex octo, qui similiter singuli in sex Scalenos diuidantur. Sicut & Icosaedrum ex viginti. Alter verò (dico autem Isoscelem) aptus est ad constituendum cubum. Quoniam huius speciei quatuor trianguli coniuncti, quadratum absoluunt: sicut sex quadrata, cubum. Dodecaedro autem ad uniuersum Deus usus est. Quia in cælo signa duodecim conspiciuntur in Zodiaco, quorum unumquodque in partes triginta secatur: quemadmodum in dodecaedro ex duodecim pentagonis composito, horum cuilibet in quinque triangulos diuiso, sex trianguli insunt: sicque in toto dodecaedro trianguli trecenti sexaginta reperiuntur, quot & ipsius Zodiaci sectiones sunt. His igitur figuris materia à Deo expressa mouebatur: primùm quidè rudibus vestigiis sine ordine, deinde ab eodem in ordinem adducta, secundum eam rationem quam in illa coagmentatione omnia inter se obtinent. Neque tamen hæc loco discreta manent, sed in perpetua agitatione sunt, eandemque materiam afferunt. Quoniam mundi ambitu constricta pelluntur, & alternis pulsibus ipsa feruntur: ea quidem quæ tenuiorum sunt partium, in regionem crassiorum. Quare nihil omnino inanè relinquitur & corpore vacuum: atque in illis inæqualitas permanens, concussionem affert. Si quidem materia ab iis agitatur, & hæc ab illa.

Iac. Carpentarij Commentarius in CAP. II.

1 Platonem Cicero refert prima Tusculana, vt Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timæumque cognouisse, atque ex his cognouisse Pythagorea omnia. Quare cum illi (vt eodem loco scribit) rationem suæ sententiæ ferè nullam redderent, nisi quid esset numeris aut descriptionibus designandum: hic in maximis duabus quæstionibus de corpore vniuersi & de eiusdem anima, vt Pythagoreus videretur, ad figuras & numeros earum explicationem reuocauit: demonstrationisque genus hoc nouum & inusitatum appellauit in Timæo, sed his cum quibus agebat, planum & perspicuum: quod illi (vt eo loco ait) omnes huius ingenuæ eruditionis vias peragrassent. Nunc de figuris in magno corpore, de eiusdem autem anima capite proximo differendum. Peripateticis cum Democrito, Leucippo & Pythagora hoc fuit commune, quod eorum nemo in quatuor his elementis quibus vniuersitas constat, primam rerum omnium materiam posuit: sed cum hæc in suis partibus perpetuo quodam circulo in se inuicem permutari animaduertent eadem in sua principia, materiam inquam & formam, distinguenda existimauerunt. Vt eorum vno manente, altero pereunte istius permutationis causa constaret. Porro quia omnium physicorum consensu, in rerum permutationibus materia ad nouam formam excipiendam certò quodam modo, eoque pro formarum natura maxime vario, affecta esse debet: istiusmodi præparationem illi in elementorum materia agnoscentes, & ad illam permutationem necessariam putantes, non vno tamen modo spectauerunt, nec eadem ratione expresserunt. Aristoteles enim in illis obseruans varias actiones, atque passionis à contrarietate quatuor qualitatum caloris, frigoris, humoris atque siccitatis, manantes has pro primis elementorū differentiis vsurpauit & penes eas docuit libris duobus de ortu & iacitu, quæ de quatuor elementis promptius agerent, aut paterentur: quæ facilius aut difficilium in se inuicem permutarentur. Democritus autem itémque Leucippus quasi solius quantitatis primas causas in elementis quærentes: indiuidua corpuscula, figura, situ atque ordine differentia posuerunt: ex quorum concursu illa oriretur. At Pythagorei partim quantitatis, partim qualitatis, per quæ illa in corporibus est efficax & ad agendum parata, rationem habentes, figurarum planarū differentiis tanquam principiis elementorum corpora distinxerunt: illarumque permutationibus hæc in se inuicem commutari crediderunt. Atque vt omne corpus prius natura intelligitur quantum, sua figura ornatum, quam affectū qualitatis patibili: sic in elementis has planorū differentias qualitatis eorundem inter se contrariis, natura priores esse eoque primorum principiorū potius quàm illas quatuor Peripateticis notas qualitates, rationem obtinere voluerunt. Neque tamen in iis vim efficiendi neglexerunt: sed eam proprietati figuræ adiunxerunt. Vt quæ acutis angulis cito obiecta corpora discernere atque diuiderent, ea quoque suapte natura calida, quæ verò obrusis constringerent ac condensarent, frigida esse dicerent. Quibus rationibus cum illi in vniuersum corpora omnia ex figuris planis componerent: prima corpora quatuor elementorū, figuris planis non quibuslibet, sed vt rationi erat consentaneū, primis constare voluerunt. In figuris verò planis absolute quidē prima species est circuli, secunda trianguli rectis lineis constantis. At hic circulum Plato prætermisit, non quia non potuerit his corporibus accommodari de quorum natura agebatur, quod existimasse videtur Cardinalis Contarenus lib. 1. de Elementis (sed potius sicut obseruatum

est à Proclo Commentario 2. in Euclidem) vt ex Pythagoreorum sententia Triangulum ortus conformationisque rerum omnium principium esse doceret, eo in explicandis primorum corporum causis fuit contentus. Quæ Philolaus in Pythagoreorum doctrina diligenter obseruans, trianguli angulum diuis quatuor consecrasset dicitur Saturno, Plutoni, Marti & Baccho: his comprehendens quatuor elementorum exornationem, quæ ab ipso celo, vel à quatuor Zodiaci segmentis proficiscitur. Si quidem Saturnus humidam & frigidam constituit essentiam: Mars ardentem, Pluto terrenam, Bacchus humidam & calidam. Adicit eodem loco Proclus triangulorum differentias tantum ad generationem conferre, vt iure optimo dici possit triangulum principium esse constitutionis eorum quæ Luna sunt subiecta. Nam rectus angulus, inquit, illis essentiam exhibet & ipsius esse mensuram determinat, rectangulique trianguli ratio generalium elementorum efficit essentiam. Obtusus verò vniuersam essentiam ipsis tribuit eiusque ratio formas materiales in magnitudinem auget & omnis generis mutationem. Acutus angulus diuiduam ipsorum naturam efficit: eiusque ratio ipsis rebus diuisiones in infinitum præstat. Absolute verò triangularis ratio interuallo distantem & vndequaque partibilem materialium corporum constituit essentiam. Quam sententiam Aristoteles variis rationibus exagitat duobus capitibus vltimis lib. 3. de Cælo, atque Pythagoreos, quod ista sua nimium amarent, idē hæc in parte fecisse, quod hi qui in disputationibus proposita defendunt. Omne enim quod concluditur, pro principio habentes, retinent: quasi nō aliqua ex iis quæ concluduntur iudicari oporteat, ac ex fine maxime. Artis autem eius, inquit, quæ in faciendo cernitur, finis est opus: Physicæ verò rationis, id quod proprie semper sensui videtur. Idem cap. 2. lib. 1. de Ortu, hæc in parte Pythagoreorum sententiam cum ea comparat quæ fuit Democriti & Leucippi de corpusculis indiuiduis: vultque illam longè absurdiorē videri. Quod Democritus & Leucippus cum ex corporibus corpora componunt: hoc tantum peccent quod ea quæ pro principiis vsurpant corpora indiuidua ponant: Pythagorei autē duo incommoda subire cogantur, nempe quod ex non corporibus corpora componant & quod in planis quanta quædam, indiuidua esse volunt. Quorum vtrumque in iis est quæ fieri nullomodo possunt. De hac Pythagoreorum sententia vide Galenum lib. 8. de placitis Hippocratis & Platonis: itémque Alexandrum Aphrod. cap. 13. lib. 2. de difficultibus Quæstionibus.

2 Quoniam quinque figuras regulares ex triangulis duorum generum natas ad mundi compositionem Plato adhibet, de illisque quatuor totidem elementis accommodat. Igni, Aëri, Aquæ & Terræ: nonnulli existimant quintam, scilicet Dodecaedram, esse quinti simplicis corporis Ætherei: imò hoc loco abutuntur ad confirmandum illum antè Arist. simplicem quintam essentiam celestem agnouisse. De quo quoniam abundè satis dictum est antea, nunc id quod est huius instituti persequamur. Cubica figura terræ attribuitur, propter eius constantiam & stabilitatem. Pyramis igni, quia hic secandi & penetrandi magnam vim obtinet: quæ proprietati Pyramidis videtur respondere. Et quod noster ignis qui elementaris naturam imitatur, dum sua leuitate sursum nititur, in acutum verticem desinat: basim habeat latiorē. Sic enim quia ipse sua natura tenuis, oritur de crassiore corpore in quo flamma concipitur & fouetur, tenuem figuram capit: in eamque fortasse vt in suam se recipit discedens à priore, vt impuriore. Quod tamen Theophrastus Libro de Igne, huius imbecillitati cum à suo pabulo recedit, maualt attribuere. Atque hæc Plato de figura duorum corporum quæ antea extrema appellauit. Media vero cum sint aër & aqua, his quoque figuras



eas accommodauit quas sua ratione, per quandam ad motum atque statum relationem, medias inter illas duas arbitrabatur. Aëri scilicet octaedram quæ octo sedes vel facies habet: Aquæ Icosaedram, quæ ex triangulis æquilateribus composita in facies viginti est distincta. In quibus eam quam quarimus proportionem Plato ita concludit in Timæo, Terræ, inquit, cubicam speciem assignemus. Nam omnium quatuor maximè immobilis terra est, & corporalium omnium compacta maximè. Tale verò illud factum esse necessarium est, quod firmissimas tutissimisque possidet bases. In triangulis porro à principio positus, qui æquilateres sunt: firmiorem tutioremque quam inæquilateres, basin possident. Quamobrem si conuenientem probabilemque sequi rationem velimus, terræ id tribuamus: Aquæ deinde quod tribus reliquis est immobilis: igni quod mobilissimum, Aëri medium. Et corpus quidem minimum, igni: secundum ab hoc, aëri: Aquæ tertium. Cum autem pluribus modis quam quatuor (inquit Contarenius Cardinalis lib. 1. de Elementis) duæ trianguli species, quibus pro principiis Plato utitur, in planis composita solidum facere non possent: rectè ab eodem dictum est aliud corpus simplex ab iis quatuor quæ nostris sensibus obiecta sunt, inueniri non posse. Sed quoniam præter has quatuor solidas figuras regulares, quinta etiam constitui potest ex pentagonis, quorum tria in vnum compacta solidum angulum faciunt sicque duodecim, figuram complent duodecim basium: Vt corpora quæ natura constant omnino responderent Mathematicis, quæ Pythagorici naturalium principia esse censebant, vniuerso hanc Dodecaedram figuram ascripserit. Ex quibus intelligi potest quintam hanc figuram non esse quinti corporis simplicis: sed quinti magni corporis vniuersi, ex quatuor primis corporibus simplicibus compositi. Quod etiam contra Proclum disputat Io. Grammaticus libro de mundi Aeternitate. Quamquam aliud videret Bessarioni Cardinali cap. 6. lib. 1. sicut & plerisque Platonis. Quoniam hi fateri nolunt Platoni Cælum, aut natura sua igneum esse, aut ex quatuor elementis constare.

3 Quadratam enim figuram & cubicam in solidis veteres firmissimam esse putauerunt. Ideoque Arist. cap. 10. lib. 1. Ethic. virum beatum in omnibus fortunæ mutationibus constantem, quadratum vocat: & Plato in Protagora, difficile esse ait virum bonum effici, manibus pedibusque ac mente quadratum. Quamquam Cælius Calcaquinius in suo paradoxo de perenni terra motu, figuram cubicam veritatem esse contendit: eoque per proverbiū dici de eo quod facile & sua sponte illabitur, Tessera versatilius. De reliquorum autem elementorum figuris, hoc maiore probabilitate queri potest quam apte igni Pyramis accommodetur. Cum hæc penes suam basin maximè firma esse, & à superiore figura aculeata minus præmi, ideoque perpetuæ agitationi ipsius ignis cõtraria esse videatur: Aut cum aër agilitate motusque celeritate aquam superet, cur ille octo hedras, id est sessus siue sedes, hæc viginti habere dicatur: cum figura Icosædra id est viginti facies siue sedes similes habens ad globosam proximè accedat penèque statum in puncto planum in quo est, tangat, ideoque Octaedra, quæ aëri tribuitur, longè volubilior sit. Quod obiicit Ioannes Grammaticus libro de mundi aeternitate. Sed in eo in quo ab illo Plato exagitur, hic certè aliud spectauit, significareque voluit aquam magis esse compositam quam aërem, & hunc magis quam ignem. Quia in igne sunt tantum trianguli primi 24. in aëre 48. in aqua 120. vt paulo post accuratius docebitur, & à Plutarcho pluribus est expositum in huius sententiæ interpretatione, libro de defectu Oraculorum. Quo loco subtilius etiam hic in Platonis doctrina philosophatur hoc modo. Plato eos oppugnans (inquit) qui vniuersum dicunt esse vnum, & id quod est, dicit esse, & idem & alterum: præterea

motum & statum. Itaque cum ista quinque sint, profecto admirandum non est, corporeorum illorum quinque elementorum singulorum simulachra & imagines naturam esse moliram, non integra tamen, neque sincera, sed quodque cuiusque potestatis maximè particeps. Nam Cubus planè status proprium corpus est, propter æquorum laterum stabilitatem & firmitatè: Pyramidis autem igneæ mouentemque naturam in gracilitate laterum & angulorum acumine cuius agnoscat: Dodecaedri natura quæ alias figuras complectitur, eius quod est imago in vniuersitate corporata extitisse videtur. E duobus reliquis Icosædron, alterius formam, Octaedron eiusdem, adepta sunt: quorum vnum aërem, qui naturam omnem in sua specie continet, alterum aquam, quæ temperatione in plura qualitatum genera conuertitur, edidit.

4 Triangulorū rectis lineis cõstantium (quales sunt quos ad elementorum compositionem Pythagorici adhibent) diuisio duplex est: vna à laterum cõparatione secundum quantitatem: altera ab angulorum quos laterum compositio facit, diuisione. Priore modo triangulorum tria genera sunt. Nam in Isopleuro latera omnia æqualia in Scaleno contra, omnia inæqualia. In Isoscele duo crura inter se æqualia, tertium latus quod probati est, illis inæquale. In quorum distinctione cauendū est ne latera quando absolute dicimus, ea cum cruribus confundamus. Posteriore verò cū angulus omnis aut rectus, aut acutus, aut obtusus esse dicatur, omnis quoque triangulus aut tres angulos acutos habebit, vt Isopleur^o, aut vni rectum, aut vnum obtusum, ex quo rectangulum, aut obtusangulum dicere audeamus. Quoniã nūquã triangulus angulos rectos, aut obtusos re ipsa plures vno habere potest. Sicut ex eo intelligitur quod cum omnis trianguli tres anguli interiores sint æquales duobus rectis (quod cõfirmat Arist. Familiare exemplū in logicis) & acutus minor sit recto obtusus eodem maior: non potest neque duos obtusos neque duos rectos habere. Alioqui tres anguli simul sumpti essent maiores duobus rectis. Iam verò quia in angulis quod rectum est, idem quoque natura finitum & primum (nam de acutis & obtusis quidam magis minusve tales in infinita varietate esse possunt, atque horum ratio, ex recto vt natura priore, atque tanquam ex regula deducitur) idcirco illi in triangulis, natura primos categorum elementa & principia esse voluerunt rectangulos. Quibus efficitur in talibus principiis Isopleuro locum non esse: quoniam sicut dictum est, omnes angulos habet acutos. Quamquam à Proclo rectè scriptum est Commentario. 2. in Euclidem, eiusmodi triangulum trium elementorum, ignis scilicet Aëris & Aquæ causam esse proximam: sicut & terræ quadrangulum. Sed aliud est causam effectui proximam dicere, aliud natura primam. Vt in Analyticis Postter. Arist. docet & in re proposita ex sequētibz intelligitur. Porro cum reliquæ sint duæ species, Isoscelis & Scaleni: his vt re ipsa, vel certè potestate, habentibus vnum angulum rectum natura primum, vtendum est ad quatuor primorum corporum compositionem. Isosceles autem, vt Plato ait, vnicā habet naturam: Scaleni tria latera inæqualia habentis, species sunt infinite: in quibus primum statuit omnium pulcherrimum esse triangulum scalenum, ex quo consistit triangulus trium laterum æqualium, qui Isopleurus appellatur, tandemque subiicit talem esse triangulum Scalenum in quo longius latus minimo latere, portè tria triplo maius est, ad medium verò obtinet eam proportionem quæ sesquialtera. In quo obseruandum est Platonem esse loquutum de laterum proportionem: Alcinoium autem hoc loco Scaleni tres angulos inter se cõparasse, & in infinita eius comparationis varietate (quæ in natura principii rationem habere non potuit) eam spe-



ALCINOI INSTITVTIO AD

305
riam primā statuisse, in qua angulus vnus rectus est: reliqui duo alterum rectum ita æquant, vt vnus eorum huius duas tertias partes complectatur, reliquus verò eiusdem reliquam partem tertiam. Ita scilicet vt huius maximus angulus (qui idem quoque rectus est) ad minimum, proportionem obrineat triplam, ad medium autem, sesqui: medius vero ad minimum, proportionem duplam. Quæ quidem proportionis varietas per numeros graduum sic potest exprimi: vt maximus angulus idemque rectus sit centum & octoginta graduum, medius, graduum centum & viginti: minimus, graduum sexaginta. Quibus positis, ex tali scaleno & Isoscele tanquam ex primis principiis (per medium tamen Isopleurum, qui idcirco dicitur non habere rationem primi principij) sic componit quatuor figurarum regulares quæ quatuor elementis sunt accommodata. In quarum singularum compositione duo gradus sunt considerandi, hoc modo. In terra Isosceles dum in planis per quaternarium multiplicatur, primo quadratū parit: deinde hoc multiplicatum senario, absoluit sex latera figuræ cubica. Sicque Isosceles, vt modo ex Proclo dicebamus, primum est terræ principium, quadratum vero, proximum. In igne sex Scaleni tales quales delegimus, in plano compositi, faciunt vnum triangulum æquilaterum. Deinde quatuor trianguli æqualia latera habentes, in solidis coniuncti, pyramidem componunt. Quare & in Scaleno primum est huius principij: in Isopleuro proximum. Eadē ratione octo trianguli æqualium laterum siue Isopleuri, aërem proximè constituunt: at hi singuli, sex scalenis constant. Ex quibus efficitur ignis prima principia, Scalenis 24. Aëris autem his 48. contineri? Aquæ item proxima compositio erit ex 20. triangulis æqualium laterum: prima verò ex Scalenis 120. in quos illi viginti trianguli æqualium laterum tanquam in prima principia dissoluantur. Ex quorum comparatione Plato voluit intelligi quam rationem adinuicem quatuor hæc elementa obtineant. Nam quia ignis, aër & aqua pro primo principio Scalenum habent, Terra verò Isoscelem: colligit non posse hæc omnia in seiuicem ita dissolui atque permutari, vt ex multis paruis pauca ingentia, vel è conuerso efficiantur. At illa tria priora posse. Cum enim, inquit, hæc ex vno facta sint omnia, quando maiora soluntur, multa exigua ex eisdem constituuntur, paruas congruâque sibi figuras adepta. Rursus quando multa per triangulos disparguntur amplificata, vnum vnus molis faciunt numerum magnamque aliam speciem vnā perficiunt. Atque etiam amplius significauit quæ in numeris triangulorū ex quibus tanquam ex primis principiis tria elementa constant, proportio existit, inter 24. 48. & 120. eandem esse in tenuitate & densitate substantiæ inter ignem, aërem & aquam. Vt scilicet aër duplo sit densior igne, sicut illius triaguli 48. ad 24. (qui ignem componunt) duplam proportionem habent. Quod idem de comparatione aquæ cum illis secundum numerum triangulorū primorum est iudicandum. Eadem fundamenta Aristoteles quadam ex parte secutus, docuit ea tantum in se inuicem permutari posse quæ constant materia eiusdem generis. Quibus solis agendi patiendique vicissitudinem tribuit lib. 1. de Ortu. At certè in huius doctrina illud magis physicum esse videtur, quod in quatuor elementis obseruans secundum primas qualitates variam naturæ cognationem atque dissimilitudinem, fateretur lib. 2. posse quidem eorum quodlibet in quoduis permutari: sed in quibusdam hoc esse facilius, vt in his quæ vnā qualitatem quodammodo communem habent in aliis, quæ vtraque qualitate pugnant, difficilius. Quoniam, vt ait, vnum facilius mutatur quam duo. Nam & ipse Plato terræ in reliqua elementa permutationem agnosce, quam tamē hoc loco negat in primo principio cum illis cōmunicare, eamque sic explicat in Timæo, Terra cum in ignem inciderit,

eius

eius acumine dissoluta, fertur resoluta in ignem, aut aërem, aut aquā, quousque partes ipsius congressæ iterum, sibi inuicem copulata, terram reficiant. In celeritate autem vel tarditate motus eandem inter elementa proportionem esse vult, quam bases in illis obtinēt. Ex his omnibus, inquit, quod bases paucissimas habet, velocissimum est necessariò. Est enim ad penetrandum promptissimum: quippe cum profusus sit omnium acutissimum. Leuissimum quoque, cum ex paucissimis partibus eisdem constet. Quod secundum est, secundo loco hæc habeat oportet: Tertium, tertio. Ad hæc autem omnia apertius intelligenda valēt quæ de angulo ex Pythagoreis & Platonicis, locis variis scribit Proclus Commentario in Euclidem: Primum, notam esse & imaginem coarctationis quæ diuinis inest, ordinis quo diuisa in vnum, partibilia in impartibilem naturam, multaque copulantes communitatem colliguntur. Ideòque ab Oraculis, angulares figurarum coniunctiones, nodos nuncupari: quia imagines sunt vnionum coarctantium diuinarumque coniunctionum: per quas ea quæ natura discreta sunt, sibi inuicem coherent. Deinde idem adiecit eos angulos qui in superficiebus spectantur, ipsarum rerum vniones exprimere magis immateriales, simpliciores & perfectiores. Eos verò qui sunt in solidis, iam ad inferiora progredi, magis que disunctis rebus communitatem & omnino partibilibus, eiusdem naturæ vnionē tribuere. Rursus eorum angulorum qui sunt in superficiebus, quosdam primas harum formas mixtasque affingere, alios eas quæ infinitatem progressionum in ipsis existentium complectuntur: nonnullosque intelligentes formas vnire, vt qui ad circulos pertinent: alios sensibilibus accommodari & rationum in his existentium coniunctionem præbere, vt rectilineos: alios esse mixtos, qui res eas copulant quæ inter has & illas locum medium obtinent. Quæ faciunt vt intelligamus, cur pro principiis elementorum, quæ prima sunt sensibilia corpora, eos tantum angulos Alcinoi ex Platone sumat qui & in planis spectantur, & rectis lineis constant. Cum verò rectilineorum angulorum tres species sint, Rectus, obtusus & acutus, quia recti omnes æquales sunt inter se, sui similes, vel potius omnino iidem, idcirco hos Pythagorei consecrant diis puris & immaculatis, vt authoribus diuinæ prouidentia, qua inferiora reguntur. At quia acuti & obtusi maioris & minoris inæqualitate distincti sunt, & secundum hæc ipsa motum infinitum habent, hos illi referunt ad Deos progressionis & motus, qui rebus ipsis natura constantibus varias facultates dicuntur tribuere. Quibus etiam explicari potest cur in triangulis elementa primo constituentibus, Plato potissimum affectauerit angulum rectum: nec tamen eorum originem sine acuto & obtuso potuerit explicare. Quoniam, vt idem Proclus alio loco scribit, obtusus angulus elementis vnuerfam substantiam tribuit, eiusque ratio materiales formas in magnitudinem auget & in omnis generis mutationem: acutus verò illorum naturam diuisibilem efficit. Addit etiam hic in triangulis Aequilaterum omnium esse optimum & circulo diuinis que animis sua æqualitate & simplicitate maximè cognatum. Quoniam, inquit, mensura inæqualium æqualitas est, quemadmodum inferiorum omnium diuinitas. Ex quo colligi potest causa alia ab ea quæ superioris est reddita, cur Plato in primis elementorum principiis æquilaterum triangulum non vsurpauerit.

V V



ALCINOI INSTITVTIO AD
IN MVNDO HOC, DE CVIVS CORPO-
re dictum est, obseruat animum & mentem, in iisque idem & al-
terum: quæ duo apud Platonem sunt rerum omnium prin-
cipia. Deinde hæc etiam caelestibus corporibus
accommodat, singulorumque proprios
motus distinguit.

C A P. 12.

1 Ex corporibus ad eas facultates quæ in animo appa-
rent, huius doctrinam instituit. 2 Nam cum omnia quæ
sunt, animo diiudicemus, meritò rerum omnium principia
huic insita esse voluit: ut eorum quæ occurrerent quodlibet,
per id quod cognatum est & familiare contemplantes, con-
sonam functionibus essentiam huic accommodaremus. Cum
itaque diceret substantiam quandam esse intelligibilem, in-
diuiduam, aliam quoque circa corpora diuiduam posuit: de-
clarans utriusque cognitionem intelligentia posse parari.
Videns autem in intelligibilibus idem, & alterum in ipsis
diuiduis, ex his animum composuit. 3 Aut enim simile simili
cognoscitur, (ut Pythagoreis placet) aut, ut Heraclito Phy-
sico, dissimile dissimili. 4 Quando autem mundum genitum
esse ait, non sic accipiendum est quasi fuerit aliquod tempus
in quo mundus non esset: sed quia semper in generatione est,
atque arguit existentia huius causam quandam esse priorē,
& ad principij rationem magis accedentem. Neque verò
mundi animum, qui semper fuit, Deus procreat, sed exor-
nat: atque hunc procreare dicitur, ad se ipsum eius mentem
conuertens illamque excitās quasi ex caro quodam & pro-
fundissimo somno. Ut in ipsius intelligibilia intuens, species
& formas excipiat, illius notiones appetens. Perspicuum

igitur est mundum animal esse & intelligentia particeps.
Nam cum hunc optimum Deus esse vellet, consequens erat
ut animatum & intelligentem faceret. Quandoquidem
opificium animatum inanimato omnino præstantius est, &
intelligens non intelligente. 5 Nec fortè ipsa mens sine ani-
mo poterat subsistere. 6 Animo verò sic fuso à medio ad ex-
trema, accidit ut mundi corpus circulo complecteretur &
circumtegeret: sicque per omnes mundi partes idem exten-
sus, hunc colligaret atque coniungeret. Adeo ut quæ illius
externa sunt, eadem internis præsent. 7 Animus quidem
externus indiuisus permansit, internus autem in septem cir-
culos diuisus, à principio secundum dupla & tripla inter-
ualla distributus. Isque qui ab indiuidua sphaera compræ-
henditur, eidem respondet: alteri autem is qui diuisus. Mo-
tus enim cali omnia complexu suo continentis, erroris nes-
cius, vnus est & ordinatus. At verò interiorum orbium,
varius, orbibusque & occasibus permutatur: atque ex eo
erraticus appellatur. Fertur autem extremus orbis ad dex-
tra, ab ortu in occasum incitatus: interior verò retrorsum
ad sinistra, ab occidente in orientem, mundo obuiam eundo.
Stellas autem & astra Deus ipse est fabricatus, & horum
quædam inerrantia, ad cali noctisque ornatum: quæ in nu-
mero sunt maximo. Alia verò ad numeri temporisque ori-
ginem, & eorum quæ sunt illustrationem. Quæ septem sunt.
8 Etenim tempus fecit motionis mundi interuallum, ut ima-
ginem sempiternitatis: quæ mēsurā est status mundi sempi-
terni. Errantium quoque syderum nō eadem vis. Siquidem
Sol dux est omnium, detegens & illustrans vniuersa. Luna
verò ratione potestatis suæ, ordine secunda cernitur. Ceteri

Planeta secundum suam conditionem, inter se quādam rātionem obtinent. Luna quidem mensis mensuram conficit: eo spatio circulum suum absolvens, & tanto Solem complexa. Sol autem anni. Quoniam per Zodiacum excurrens, anni tempora adimplet. Reliqui pro sua quisque ratione proprios ambitus conficiunt: qui non quibusuis noti sunt, sed eruditis. Ex iis autem omnibus perfectus numerus & tempus exurget, cum ad idem punctum omnes regressi, eum habebunt inter se ordinem, ut si linea recta animo concipiatur ab inerrante orbe in terram ad pares angulos producta, in hac omnium centrum conspiciatur. Cum igitur septem sint sphaerae in sphaera errante, in his corpora septem aspectabilia, ex ignea substantia plurima, Deus fabricatus, ipsis globis ex errante & altero circulo participantibus accommodauit. Lunam quidem in circulo à terra primo posuit: Solem in secundo: Luciferum & Mercurij stellam, quae sacra dicitur, in eo cuius cum Sole par est & aequalis conuersio: qui tamen ab hoc distat. Supra autem reliquas posuit, secundum propriam cuiusque sphaeram. Tardissimam quidem omnium stellam quam Saturni nominant, in sphaera inerrantibus proxima: ab hac verò tarditate secundam, Iouis: sub qua stella Martis. Octaua potestas, quae suprema, has omnes est complexa. Omnia verò haec, animalia intelligentia & Dij, & globosa figura praedita.

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 12.

¹ Apud Platonem in Timæo, animæ compositio antecedit exactam explicationem eorum quae pertinent ad corpus: Ex qua collecta sunt ea quae tradita capite superiore. Sequitur verò alteram eiusdem rudem descriptionem, in qua de ma-

teria prima pauca dicuntur. Quem ordinem Alcinoi hoc loco non est sequutus. Cur verò Plato de anima mundi prius differendum arbitretur, quam de eiusdem corpore, idem sic explicat. Omnibus his de causis, inquit, mundum opifex eius beatum deum effecit: sed animam haud ita ut modo dicere cepimus, tum denique cum corpus ei effecisset, procreauit. Neque enim qui haec coniunxit, parere iuniori antiquius permisisset. Sed nos multa, ut pote fortunae participes, inconsiderate & temere loquimur. Ille verò tam generatione quam virtute priorem antiquiorēque animam corpore constituit: ut pote quae obedienti corpori esset imperatura. Eademque ratione in Epinomide & lib. 10. de legibus, scribit animam quouis corpore esse antiquiorem. Ex quo existit in theologia Christiana dubitatio, quod in hac primum hominis corpus de terra formatum dicitur, deinde in hoc anima cum diuino spiritu immissa. Quam ita explicat D. Chrysostomus commentario in cap. 2. Genesios. Si anima dignior est corpore, inquit, quare indignius primo formatum est & postea quod eminentius? Non vides, dilecte, quod & in creaturis hoc idem vsuuenit. Sicut enim caelum & terra, Sol & Luna & caetera omnia formata sunt & irrationalia animalia, & post haec omnia, homo, horum principatum suscepturus: ita & in hominis formatione, prius corpus produciuntur & postea anima, quae dignior. Et sicut animalia ministerio hominis vtilia futura, ante hominem formantur, ut paratum haberet ministrum is ad cuius vsu creabantur: ita etiam corpus ante animam formatur, ut cum secundum ineffabilem creatoris sapientiam anima produceretur, posset secundum suas potentias operari per corporis motionem. Apud Aristotelem autem in communi comparatione formae cum sua materia, obseruandum est formam illam priorem naturam & eadem posteriorem verè dici: sed ipsius naturae significatione diuersa. Nam ut haec nascendi ordinem significat, quia in eo aliquid primum subesse oportet, deinde hoc informari, materia natura prior esse dicitur. At ut eadem natura pro rei cuiusque essentia & summa perfectione vsurpatur, forma materiae iam antecedere merito dicitur. Quia materia à sua forma primam essentiae perfectionem capit. Ex quo hoc etiam accidit ut eadem forma physica à sua materia ratione & cogitatione separari posse dicatur capite secundo libri secundi Physic. Quo modo in huius doctrina partes toto priores sunt natura, id est nascendi ordine, quia totum ex partibus confurgit: & totum natura prius partibus, ut ciuitas domo libro primo Politic. quod ex toto partium perfectio spectetur & ad illud tanquam ad finem referatur. De quo ipsum Aristotelem audiamus cap. 1. lib. 2. de partibus animalium. Cum contra in rerum origine, inquit, atque in essentia contingat, & quae origine primae sunt, natura sint posteriora, quodque natura primum est, idem quoque origine sit vltimum: Materia origine prior erit, ratione verò essentia rei cuiusque & forma. Quod antea contra Academiae nostrae Thessalum methodicum à nobis notatum est in posteriore disputatione de Methodo & contra eiusdem sectatorem Logodædalum, repetitum in caput nonum Alcinoi. Ad huius autem initij explicationem praeter ea quae satis multa contra eundem Logodædalum in nostra admonitione obseruata sunt, pertinet locus nobilis apud Proclum libro de anima & demone, in quo docet potentias cognosci ex actionibus, quarum ipse matres sunt. Mediam namque inter actionem & essentiam esse ipsam potentiam: quae producta est ab essentia, actionem verò producit. Ideoque diuina numina quae inter nos deosque media sunt, potentiae nominatae à Platonis solere exprimi. Quoniam vera essentia verumque esse penes Deos existit.



Potentia verò diis ritè ministrans in demonibus habet locum. Actio denique & effectio per eorum potentiam foras progressa, versatur in nobis. Similis locus est apud Arist. cap. 4. lib. 2. de anima.

2. In hoc permulti de veteribus inter se conuenerunt, quod cum arbitrarentur similibus similia cognosci, & animatum ab inanimato cognoscendi facultate potissimum esse distinctum, animæ rerum omnium principia inesse, vel potius animam esse hæc ipsa, dixerunt: vt per hæc posset omnia cognoscere. Sed prout extiterunt illorum varia sententiæ de rerum principiis, ita de animæ natura variè sunt loquuti. Quare Empedocles cum rerum omnium principia, efficientia quidem in concordia & discordia, materiam autem in quatuor elementis posuisset, de animæ natura & essentia sic est loquutus

*Terram namque homines ex terra vidimus ipsi,
Sic genus ex vnda nostrum cognouit & vndam,
Æthere diuinum sic æthera, & ignibus ignes,
Vt visus amore amor est, tristis discordia lite.*

Sic enim Aristoteles hos versus interpretatur cap. 2. lib. 1. de Anima. Quamquam Galenus lib. 7. de decretis Hippocratis & Platonis, ipsum Platonem sequutus eodem non ad animæ essentiam refert, sed primis propriisque quinque sensuum instrumentis accommodat. In quo Plato ab eodem Aristotele reprehenditur libello de sensu. Sentimus, inquit Galenus, reuera terrestri sensu tactus, terrestrem insitam in rebus naturam: Lucidissimo, qui est visus, lucidam: non secus etiam aëreo auditus sensu, proprias aëris affectiones dignoscimus. Quemadmodum gustatu qui humidus natura spongiosusque est, succorum qualitates nobis innotescunt. Illius verò sententiæ de animæ essentia, quam veteribus philosophis maxime familiarem fuisse diximus, hanc rationem reddit Aristoteles eodem cap. 2. lib. 1. de Anima. Qui cognitionem, inquit, in anima & sensum rerum quæ sunt, spectarunt, hi animam principia dicunt, & qui plura faciunt, ea ipsa plura principia animam esse dicunt. Qui verò vnum, hoc ipsum. Vt Empedocles, ex elementis omnibus. Eodemque modo Plato in Timæo animam ex elementis facit. Rem enim simile simili cognosci. Quæ Aristotelis dicta cū hoc contextu magna ex parte consentiunt. Ea verò animæ compositio de qua nunc Alcinoi loquitur ex eodem & altero, vt duobus vniuersæ naturæ principiis, sic à Platone explicatur in Timæo. Ex substantia quæ indiuidua, inquit, & semper eadē similisque est, & ex ea rursus quæ circa corpora diuidua fit, tertiā substantiæ speciem commiscuit mediam: quæ rursus esset naturæ ipsius eiusdem & naturæ ipsius alterius particeps: eamque per hæc mediam constituit inter indiuiduā substantiam & eā quæ circa corpora diuiditur. Et cum tria sumpsisset, in vnam speciem omnia temperauit. Aristoteles eodem loco aliam quoque ex eodem Platone animæ compositionem colligit ex principiis Geometricis & Arithmetiis. Quoniam hic, vt antea diximus, Pythagoræ doctrinam sequutus, in vniuersa philosophia rebus mathematicis valde est oblectatus. Similia, inquit Arist. à Platone in libris quos de philosophia scripsit, tradita sunt. Ipsum enim animal ex vniuersa idea primisque longitudine, latitudine & altitudine constare, cæteraque eodem modo. Præterea alio etiam modo hæc tradit, mentem esse vnum, duo scientiam: Vno enim modo ad vnum refertur. Latitudinis autem numerum opinionem, soliditatis verò sensum esse. Numeros enim species ipsas & principia dici rerum omnium, eoque esse ex principiis & elementis. Iudicari autem res partim mente, partim scientia, alia opinione, alia sensu. Hos verò numeros species esse rerum omnium. In illa

autem priore sententiā quæ versibus Empedoclis antea explicata est, quoniam cum re ipsa sentimus primi instrumenti commutationem quandam (alterationem dicere audeamus) fieri necesse est. Galenus eodem libro concludit inter instrumentum & qualitatem quæ sentitur, naturæ similitudinem intercedere oportere: quod similia à similibus (vt frequenter eo loco repetit) secundum naturam alterentur. At Arist. cap. vltimo lib. 1. de Anima, contraria à contrariis pati vult, eoque effici arbitratu si sensu percipere atque intelligere, pati quiddam sit, hoc in naturæ dissimilitudine inter id quod sentit atque sentitur, potius quam in similitudine consistere. Sed ille fortasse similitudinem spectauit ex potestate: hic dissimilitudinem ex actu & energia. Sic enim idem docet libro primo de ortu, agentia patientibus penes materiam, cuius est potestas, esse similia: penes qualitatem autem secundum quam fit actio, initio dissimilia esse: tandem verò, cum ipsa actio suum finem adipiscitur, similia effici. In cuius doctrina id dubitationem habet quod libello de sensu, oculos tuapte natura & re ipsa pellucidos esse vult, vt à medio pellucido moueantur: at eodem libro, instrumentum odoratus potestate tantum igneum esse ait, vt odores qui aliqua ex parte fumidā & igneam naturam habent, possit excipere. Ex eoque concludit, rectè instrumentum hoc esse positum in eo loco qui cerebro frigido & humido vicinus est: quod frigoris subiectum, ad recipiendum calorem vim habeat. Sed his prætermis, nunc aliud agamus & ad animæ compositionem ex tribus vniuersæ naturæ principiis redeamus. In hac Plutarchus libro de animæ præstare crediderunt illa que tria ad huius facultates refert, quas ex illis ita distinguit. Ergo magni operis fuerit, inquit, explicare vnde anima istam agitationem rerum sensum mouentium percipit & opinatricem adeptam sit aliam ab intelligente & in scientiam desinente: nisi ratum firmumque statuas nunc à Platone non absolute animam, sed mundi animam ex subiectis naturis confici, vna præstantiore & indiuidua, altera deteriore quam corporibus diuiduam appellauit. Quæ non alia profecto est quàm agitatio opinatrix & visorum informatrix, cum his quæ sensum mouent consentiens. Haud sanè natua illa quidem, sed non secus quam altera, ex æterno cohe: ens. Natura quippe cum intelligentem vim sortita sit, etiam opinionem habebit: sed illam immobilem, impabilem, in materia semper manente consideret: istam diuiduam & vagam, vt quæ materiā semper mouentem & caducam apprehēdat. Neque enim quod sensum mouet ordinatū erat, sed deforme & interminatum in eoque collocata vis, neque opiniones articulatæ, neque moriones constantes & ratas habebat: sed plerumque inani quodam somnij ludibrio fucatas, & temerè turbulētēque se iactantes, quibus quod corporatum erat sollicitabatur & perturbabatur, nisi forte fortuna in meliore partem incurreret. Nam media inter vtrāque erat, vtrisque consentientem & cognatam indolem sortita, sensu materiā vsurpans, iudicio ea quæ intelligentia continentur, vendicans. Denique toto eo libro id ille agit, vt doceat in anima alterum differentiam partium & facultatum significare: idem autem in illa differentia certum ordinem ac proportionem: Atque secundum eadem principia numeros rationibus harmonicis colligatos in anima ita misceri, vt illis insitum alterum, differentiam partiat, idem autem in ipsa differentia, ordinem. Quemadmodum in celo cum eodem apparet: alterum, ex inerrantium conuersione: cum altero idem, ex errantium ordine. Quibus omnibus effici arbitratu, in vniuersa natura duo hæc principia idem inquam & alterum, reperiri: sed in caelesti vincere ipsum idem, in terrena vero & caduca natura, alterum. Quæ omnia sic intelligenda sunt, vt eiusmodi principia

nullam in anima compositionem reuera significant: sed vt Proclus ait, tantum expriment mediam illius naturam inter ea, quae proprie in intelligentiam cadunt, & quae ipsos sensus mouent. Nam vt illa sentiendo, cum corpore communicat, quodammodo fit particeps diuersitatis & mutationis eius quae in ipsum corpus cadit. Vt autem in intelligendo quo ad poreft a corpore se ipsa separat, eam constantiam retinet quam ipsum idem apud Platonicos significat. Quo modo vitabimus quod contra hanc compositionem ex Seuero Platónico commemorat. Eusebius cap. 10. lib. 14. de Evangelica praeparatione. Si ex passibili, inquit, atque impassibili substantia, diuinitus anima constituta est, quasi ex albo & nigro medius quidam color, necesse est tempore separatis extremis, eam penitus dissolui. Quare non immortalis, sed mortalis ea erit. Conceditur enim quaecumque natura sine contrario non sunt, ea spatio tandem temporis dissipari. Si ergo anima quoque ex impassibili atque passibili substantia facta est: necesse est, quemadmodum sicum ab humido, calidum a frigido, leue a graui, dulce ab amaro, album a nigro, sic & ipsam tempore distrahi soluta contrariorum compagine. Cum vnum quodque ad naturam suam necessario tendat. An non videmus quod graue est, quamuis a leuiore victum eleuetur, deferri tamen & ascendendi tarditatem atque difficultatem coniunctione sua afferre? Ac similiter leue quamuis ad inferiora cogatur, ad superiora tamen nititur? Quaecumque enim ex duobus contrariis coniuncta sunt, impossibile est eodem modo semper manere. Sed non est certe anima ex duobus contrariis composita, sed simplex natura & incorporea. Vnde recte Plato eam immortalem putauit. Verum quoniam ex anima & corpore consistere hominem ab omnibus dicitur, ac passiones quae nobis sponte contraque accidunt, animae passiones esse dicuntur: hoc signo multi deducti, passibilem substantiam eius corporalem mortalemque opinati sunt. Plato vero impassibili eius naturae, passibilem substantiam annexere conatus est. Atque haec quidem Eusebius de eodem & altero in ipsa anima. Cuius alia quoque compositio ex numeris quam paulo post attingit tantum Alcinoius ex Platonis Timaeo: atque ideo de hac paulo pluribus nobis hoc loco differendum. De qua sic ille in Timaeo. Vnam principio, inquit, ex vniuerso portionem accepit. Secundam autem primae partis duplam. Deinde tertiam, quae secundae sesquialtera esset, primae tripla. Postea quartam secundae duplam. Quintam deinceps tertiae triplam. Sextam primae octuplam. Postremo septimam quae partibus sex & viginti primam excederet. Quae proportionis diuersitas in his septem numeris spectari potest 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. In quibus videtur alludere ad veterum hepracordon, illis inter musica instrumenta celeberrimum. Desiunt autem illi septem Platonici numeri in 27 qui ternarij cubus est: in quo propter ternarij dignitatem maxima numerorum perfectio ab eisdem est posita: ideoque illa animae accommodata, vt formae omnium perfectissima & reliquarum naturalium perfectionem in se adeptae. Nam cum apud Pythagoreos, quos hac in parte Plato sequutus, numeri duplices sint, quidam primi & exemplares, alij secundi & sensilibus rebus accommodati, omnia quae natura constant, facta esse in numero, nihil est aliud quam rebus singulis insitam perfectionem, quae formae est cum materia communicantis, deriuatam esse ex forma exemplari, quae consistit in numeris, quos iidem appellant separatos. Itaque positis iisdem fundamentis, quae usurpata sunt in superiore opinione de compositione animae ex eodem & altero, vt anima per similitudinem posset cognoscere eam perfectionem quae singulis rebus insita, ad numeros reuocatur, rationi fuit consentaneum, vt eadem ex numeris primis componeretur, & ex iis in quorum comparatione perfectissima proportio cerneretur, eademque ad naturam

ram & functiones animae accommodata: quales illi eos esse volunt qui paulo ante sunt enumerati. In quibus cum interualla sint sex, ex iis tria, extremorum proportionem habent duplam: reliqua vero totidem, duplam. Nam vna ex parte. 2. ad 1. 4. ad 2. & 8. ad 4. proportio dupla. Ex altera vero. 3. ad eandem 1. 9. ad 3. 27. ad 9. proportio tripla. Vnde ab eisdem Pythagoreis vnitas, parimpar nominatur: quod haec prima sui multiplicatione modo duplata, modo triplata, ex se quasi pariat duos primos numeros vnum parem, binarium, alterum imparem, ternarium. Porro apud eisdem par in ordine est infinitorum: sicut impar in ordine finitorum, quemadmodum colligi potest ex Arist. lib. 1. Metaph. & cap. 6. lib. 1. Ethic. Itaque in compositione animae cum ab illis usurpantur, binarius primus numerus par, cuius ad vnitatem proportio dupla, & ternarius primus numerus impar, cuius ad eandem proportio tripla, significatur illam in suis principiis communicare cum rebus natura sua finitis & infinitis. Sunt autem Platonici res corporeae fluentes, infinitae: quia natura sua valde indeterminatae sunt & inconstantes: intelligibiles autem finitae, quia semper eiusdem naturae sunt & constantis. Ex quibus intelligitur hanc posteriorem harmonicam animae compositionem ex numeris secundum dupla & tripla interualla distributis, redire quodammodo ad eadem fundamenta cum illa superiore, ex eodem & altero. Quoniam in vtraque Pythagorei docere conantur animae, in essentiae principiis, similitudinem quandam cum rebus omnibus intercedere: in qua consistit causa facultatis quam eadem habet ingentiam ad res omnes cognoscendas. De qua obseruatione dignum est quod scribit Proclus Commentario primo in Euclidem. Cuius res Mathematicae, inquit, primum in ipsa anima sunt, & ante numeros numeri qui per se mouentur, & ante apparentes figuras figure vitales, & ante ea quae concinnata sunt, harmonicae rationes: & ante corpora quae circulariter mouentur, inuisibiles circuli producti sunt. Horumque omnium vbertas, ipsa est anima, & iste ornatus alius est qui se ipsum producit, & a proprio producitur principio, & vita se ipsum explet, ab opificaque sine corpore ac sine dimensione expletur, & quando suas promittit rationes, tunc patefacit scientias atque virtutes. His itaque formis anima suam induit essentiam, nec est numerus in ipsa, vnitatum multitudo existimandus: neque eorum quae cum dimensione sunt idea, corporaliter est intelligenda: sed vitaliter & intelligenter omnia apparentium numerorum & figurarum & rationum & motuum exempla sunt supponenda, Timaeum sequendo qui omnem ipsius ortum atque creationem ex formis compleuit Mathematicis, omniumque causas in ipsa collocauit. Amplius vero monendum etiam illud est, celebrari quidem hic ex Platone in anima harmoniam quandam numerorum primorum, quae ad rationem & intelligentiam pertinet. Ab eodem vero in Phedone damnari & variis argumentis oppugnari eorum opinionem, qui in homine animam existimauerunt harmoniam esse quandam eorum ex quibus corpus componitur. Quae duo nihil inter se pugnant.

3 Indicat Platonem cum duo animae principia posuit, Idem & alterum, certa ratione temperare voluisse aliorum philosophorum sententias de modo cognitionis nostrae. Nam si similia similibus cognosci dicantur, illi facile erit docere animae ingentiam esse rerum omnium cognoscendarum facultatem: quia constat duobus principiis vniuersae naturae communibus: & per ea similitudinem quandam retinet cum rebus omnibus quae in cognitionem cadere possunt. Sin dissimilia dissimilibus cognoscatur, anima eodem cognoscet ea quae alterius fluentisque naturae sunt: altero autem, constantia, quae semper sunt eadem. Quamquam certe probabilius est, ratione similitudinis quam contrarietatis, cognoscendi vim ani-



me inesse. Cum enim ex Plutarcho dictum sit in hac ipsum idem pertinere ad partem superiorem, alterum, ad inferiorem quæ cum corpore communicat, quæque visionis est & sensus: manifestum est intelligibilia, quæ semper sunt eadem, parte illa animæ superiore cognosci, sensibilia autem, quæ perpetuo fluunt, altera inferiore.

4 Hoc de mundi origine, quæ rationis esse dicitur, quanquam nobilissimorum Platoniorum consensu probatum sit, antea tamen ostendimus Philoni Iudæo sophisticum videri. Quod cum Alcinoüs hoc loco etiam animæ accommodat, manifestè declarat de vtriusque origine & æternitate eandem videri Platonis sententiam. Ex quo intelligi potest non satis iusta ratione huius inconstantiam in quæstione de animæ immortalitate à D. Augustino notari cap. 31. lib. 10. de Dei Ciuitate: quod animam ne interituram fateri cogatur, neget vnquam esse ortam, mundum autem & minores deos apertissimè dicat cœpisse, finem tamen nunquam habituros, sed conditoris potentissima voluntate in æternum esse permansuros. Sicut neque in eo vlla est sententiæ perturbatio vel inconstantia, quod animam in Phedro ingentam dicit, ortusque remotione eandem ab interitu vindicat, & quod à se moueatur, ortum non habuisse confirmet. In Timæo autem ortam fateatur & eiusdem originem explicat. Hæc enim duo in illo sic conciliat Plutarchus libro de animæ procreatione. Ortu caruisse animam, inquit, Plato prodit quæ antè mundi originem turbidè penitus & inordinatè iactabat omnia. Rursus genitam dicit & natam, quam Deus cum ex ista tum ex perenni illa, & verè præstatißima materia sapientè & ordinatè molitus, cum sicuti speciè sensui mentè, agitationi ordinè de suo tribuisset, in vniuersitate imperatorè & moderatorem locauit. Sic enim & vniuersitatis corpus ex parte nõ generatū, ex parte generatū, fuisse prædicat. Nam cū ait omne quod aspectabile, esset, nõ quietū & tranquillum, sed immoderatè agitatū & fluctuans deum accepisse & in numerum digessisse: rursusque à quatuor generibus, Igne, aqua, terra & aëre, priusquam ex eorum descriptione summa rerum compta constitisset, materiam agitatam, & ab ea vicissim illa concussa propter inæqualitatem fuisse, nimirum, corpora illa, vsquam ante mundi originem extitisse significat. Cū rursus dicit Iunius anima corpus factum esse, & mundum esse generatum quod aspectabilis & tractabilis & corporatus sit, quæ & ortum habere & gigni comperimus, nonne perspicuum est originem naturæ corporis ab eo tribui? Quod idem de anima cogitandum est, alterum scilicet, neque à Deo procreatam neque mundi animam esse, sed vim quandam visorum informatricem & opinatricem suapte illam quidem opè perenniter mouentem: temeraria tamen & turbida agitatione impetūque percitatam: alterum, à Deo suis muneribus & rationibus aptatam & generato mundo ad imperandum impositam, natiuam esse. Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate, eadem sic conciliat, vt cum alia sit ratio mentis, alia animæ, illius quidem absoluta & à corpore separata, huius relata & cum corpore quod animari dicitur, coniuncta: mens suapte natura ortus interitusque omnium experta esse dicatur in Phedro. Anima autem in Timæo orti dicatur secundum certam relationem ad corpus, per quam hoc aut illo modo & ornat & mouet celestia corpora. Sic enim, inquit, cum Platonici animam nostram in corpore nasci dicunt, nequaquam eius substantiæ ortum arguunt, sed respectus tantum & comparationis cum corpore, quæ à tempore habuit initium. Idem obseruatum est à Chalchidio qui de eadem re sic quoque scribit. In solo Timæo, inquit, Plato rerum æternarum genituras comminiscitur. Credo ne si audiant homines esse quædam quæ ex origine nunquam nata fuerint, principatui sum-

mi Dei derogari putent: si pari atque eadem sint qua Deus antiquitatis præstantia. Nescientes longè aliter dici originem rerum æternarum & item caducarum. Si quidem mortalium autoritas & origo illa est quæ præcedit ortum cæterorum: vt origo est, pater filij & populorum atque urbium, conditores earum. At vero diuinorum generum, æternarum gentium origo & ars, non in anticipatione temporis, sed ex dignitatis eminentia consideratur. Deinde paucis interiectis hæc idem subiicit. Certè, inquit, propositum scriptoris considerandum puto. Nam si id ageret in hoc libro vt immortalem animam esse probaret: non conueniret animæ genituram comminisci. Propterea quod cuncta quæ gignuntur, intereunt. At vero cum de mundi, hoc est vniuersæ rei constitutione tractetur: ad præsens è re fuit nascentem & velut in lucem proditam inducere animam eius. Quo audientes imaginarentur animæ formam aliquam, perinde vt eorum omnium quæ nascuntur, vident. Mundo autem veram originem Platonici idcirco nõ audent attribuire quod vereantur ne eo posito fateri cogantur ante eiusmodi originem tempus fuisse cum adhuc non esset. In quo eorum rationem sic Proclus colligit: Si vna cum cælo tempus coheret, neque cælum est si non sit tempus: neque tempus, si cælum non sit, non fuit autem quando tempus non fuit, neque erit quando non erit. Nam si aliquando fuit cum non esset tempus, certè, vt par esse videtur, quando tempus non erat tempus erat. Quod enim aliquando est, ideo aliquando esse dicitur quia interdum non sit. Vt quod neque semper sit, neque nunquam, sed medium sit amborum. Vbi autem est, Aliquando, ibi est & tempus. Quod Procli argumentum valde captiosum esse Io. Grammaticus arbitratur, atque ostendit eiusmodi particulas fuit & Aliquando, in hac oratione fuit aliquando cum tempus non esset, non significare partem temporis, sed aliquam latitudinis & extensionis in ipso aëre, quod æternorum est, consistentiam, aut eius consistentiæ quasi punctum: cum adhuc secularū in tēpore nullæ omnino essent differentiæ.

5 In vniuersitate mentem ab anima ex Platoniorum doctrina Alcinoüs hoc loco distinguit, vt & cap. 9. cum de Deo ageretur. Idque ex Platonis Timæo, Deus, inquit, Plato mentem animæ, animam verò corpori dedit, totumque mundum ita constituit vt pulcherrimum natura opus optimūque foret. De quibus sic Plutarchus libro de animæ procreatione. Ante mundi originem, inquit, in materia inordinata, sola per se anima erat: mente autem ratione solertiāque aptæ cōcentrationis, hæc aucta est, vt anima mundi fieret. Et eodem loco animam dicit authorem & principium motionis, mentem vero ordinis & concordiæ in ipso motu: ex eoque vult ab illo in legibus animam inordinatam & maleficam nominari: quia cum materia (quæ eiusmodi) est coniuncta. Aliter vero Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate. Anima, inquit, quando relationem ad corpus recipit, potentia quidem mens est. Vt autem sit & dicatur anima, ipsi ex relatione ad corpus accidit. Nam quia animatum reddit & vitam tribuit corpori, anima nuncupatur. Vbi autem separata à corpore, aut per habitum, aut simul & à naturali vinculo disiuncta, liberè & intelligenter operabitur simplici apprehensione rerum naturam attigens, iam tum mens re ipsa & est & dicitur. Quanquam hoc fortasse non satis Platonium est. Quandoquidem apud ipsum Platonem mens ab anima magis quam sola ratione videtur esse distincta, sicut ex frequentibus amplius intelligitur.

6 Deus vniuersi opifex, vel certè moderator & conseruator, ex Arist. sententia libro de mundo ad Alexandrum & capite 1. lib. 2. de Cælo, in ipso cælo est, vt in opificij parte præstantissima indeque inco. umitatis causam rebus omnibus præ-

stat, vel potius extra supraque cæli mūdīq; ambitum, vt idem Arist. indicare videtur cap. 9. lib. 1. de cælo. Eiusdem vero vniuersi anima, quæ ab ipso Deo antea distincta est, à Platone in medio esse dicitur, & ab hoc ad extrema, à quibus medium æquabiliter distat, virtutem suam diffundere. Sed de ipso medio quale sit, aut qua ratione accipiendum, variæ sunt sententiæ. Nam quia Platoni in Timæo, terra media est, non vt Arist. arbitratur, in significatione hoc loco videtur mūdī animam in illa consistere, sicut & apud Arist. nostra in corde tanquam in centro sedem habere dicitur. At quia terra maximè impura est inter omnes vniuersi partes, in ea non videtur satis accommodatum animæ domicilium. Ideoque in huius loci interpretatione valde diuisæ sunt Platoniorum sententiæ. Calchidius mediū hoc non tam in ipsa vniuersitate exquirat, quā in eius parte cælesti, à qua vis vitalis in hæc inferiora diffunditur: de quo ita scribit. Animam mundi Plato dicit ortam ex medietate vsque ad extremitatem mundani corporis, & inde vsque ad aliam extremitatem circumfusam omni globo corporis, operuisse vniuersum eius ambitum. Ex quo apparet à vitalibus mundi, per extimas partes complexū esse circumdatū: hoc est vt infra atque extra vitali vigore foueatur. Neque enim vniuersi corpus alterius corporis, quod nullū superat, auxilio complexūque indigebat, sed incorporeæ naturæ viribus totus vitali complebatur substantia. Illud verò quod à mediocritate anima esse dicitur, quidā dici sic putant, vt non tanquam à medietate totius corporis facta dimensione, porrecta sit: sed ex ea parte membrorum vitalium in quibus pontificium viuendi situm est, ideoque vitalia nuncupantur. Non ergo à medietate corporis, quæ terra est, sed à regione vitalium, id est à sole, animæ vigorem infusum esse mundano corpori potius intelligendum pronunciant. Si quidem terra immobilis: Sol vero semper in motu. Itēque vteri medietas immobilis: cordis semper in motu. Quando etiam recens extinctorum animalium corda superstites tunc motus agant. Ideoque solem cordis obtinere rationem: & vitalia mundi totius in hoc igne posita esse. Quod fortasse Cicero secutus in Somnio Scipionis, Solem appellat duces, principem & moderatorem reliquorum luminum & mundi mentem. Atque Plinius in eandem sententiam cap. 6. lib. 2. Sol, inquit, non temporum modo terrarūque, sed siderum etiam ipsorum calique rector. Hunc mundi totius esse animum ac planius mentem, hunc principale naturæ regimē, ac numen credere decet, opera eius æstimantes. Ad quod etiam quodam modo pertinet quod Arist. ait, à Sole & homine hominem generari. Nempe vt indicet ab illo viuificantem vim & omnia quodammodo animantem, rebus his inferioribus communicari. Io. Picus mirandula & Paulus Scalichius animam mundi in medio positam, lunam ipsam malunt intelligere: nec tamen huius suæ sententiæ rationem vllam afferunt. Nescio an non idcirco quod illa Platoni in Timæo inter septem stellas errantes intima sit, & terræ continens: ideoque quodam modo media inter partem vniuersi cælestem & eam quam elementarem solemus appellare. Aliter Syrianus locum hūc interpretatur, scribitque, quemadmodum opifex prius mundi corpus quam animam constituit, sequutus ea quæ sensuum sunt: sic quoque eundem præposterè incipientem ab externis, primò quidem medio, deinde toti animam accommodare, præter hæc etiam aliquid ipsius animæ extra totum relinquere. Porphyrio autem placet medium hoc loco neque corpus, neque interuallum significare: sed potius mundanæ animæ rationem & essentiæ proprietatem, quæ quidem media sit inter intelligibile atque sensibile: vt colligi potest ex illius compositione ex eodem & altero quæ paulo antiè est exposita. Alij ipsum firmamentum rei ac naturæ medium esse

volunt, huicque ab anima primo vitam esse tributam. Ploinius ca. 17. lib. 1. de duobus animæ, centrum in mundo vocat videtur ipsum bonum, mentem, lumen inde micans & permanens: Animam verò mundi, lumen de lumine. Sic enim huius sententiam Matilius Ficinus interpretatur. Quod animæ, inquit Ploinius, à mundo intelligibili in cælum primo descendant, ex his cōiectare licebit. Si enim cælum in genere sensibili præstantissimum est, merito intelligibilium vltimis, est quàm proximum. Inde igitur cælestia primum animantur atque accipiunt: vt pote quæ ad capiendum sint admodum aptiora. Corpus verò terrenum & vltimum est minorique animæ, minusque naturaliter potest participare: vt pote quod ab incorporea natura remotissimum est. Omnes profecto illustrent cælum traduntque quasi plurimum primūque sui, globo cælesti: cætera verò posterius illustrentur. Quæ autem descendunt, plurimum aliud & aliter inferiusque collustrant. Ipsis verò non expedit in longum adeo corruisse. Est vtrique aliquid velut centrum: penes hoc autem circulus ab ipso micans. Præter hæc & circulus alius, lumen de lumine. Ultra hæc insuper non amplius luminis circulus: sed iam luminis indigus alieni, propriæque lucis inopia. Eusebius capit. 5. lib. 7. de præparatione Euangelica, citat locum ex Philone Iudæo lib. 2. de Agricultura, in quo idem tribuit verbo Dei, quod hic Alcinoos animæ mundi. Qui dubitandi roborem effugere velit, inquit, audacter dicat nulla re materiali machinam mundi conseruari, sed verbo æterni Dei sempiterno, quod à mediis ad extrema & ab extremis ad media protensum, inuisitum natura sustinet cursum, fouens ipsum atque conseruans, quasi vinculum quoddam qui genuit ipsum ac constituit.

7 Ad hunc locum ex Timæo Platonis, interprete vtamur Ioan. Grammatico libro de mundi æternitate contra Proclum. Platonici, inquit ille, quamuis sempiternum mundum esse dicant, & Platonem ex conditione tantum animæ ortum tradere velint: tamen in his exteriorem circulum, globum eum intellexerunt qui erroris expers est, interiorem verò errantium globum. Quem cum in sex locis dissecuisset, septem errantium stellarum effecit. Nonnulli tamen exteriorem, æquatorem circulum intellexerunt, interiorem verò, circulum signorum, qui Zodiacus dicitur. Qui cum decussatim se interfecerunt, in duobus punctis Ariete & Libra se mutuo tangunt. Nam erroris expers sphaera in eodem axe conuertitur cum æquinoctiali & circa eius polos versatur. Errantium autem globi circa orbis signiferi polos conuertuntur. Atque horum circulorum, inquit Plato, exteriorem, hoc est eum qui erroris expers est, in dextram partem Deum mori cieri fecit: interiorem autem, nimirum errantium globos, ad sinistram. Vbi Homeri more, orientem, dextram partem appellat, sinistram autem occasum. Nam ille habet.

*Sen dextra Eos Phæbi surgentis ad oras,
Sine sinistra petant, atris ubi mergitur undis.*

Versatur enim erroris expers ab oriente ad occidentem. Contrario autē motu cursus suos cōficiunt errantes. Exteriorē autē conuersionē eiusdem naturæ nominauit, propter constantiā & eandē naturā motus inerrantiū. Omnes enim nō vage, stellæ æquali tēpore conuersionem suam perficiunt & eundem permeant circulū & ab isdem punctis ortus suos & ad eandem occasus efficiunt. Interiorem autem conuersionem, hoc est Planetarum, alterius naturæ nuncupauit: nempe propter diuersitatem & varietatem quæ in eam cadit. Non enim æquali tēpore horum absoluitur conuersione: neque eadem est eiusdem. Nam non vnum & eundem

dem orbem vnusquisque eorum permeat: neque in iisdem punctis ortus suos & occasus efficiunt. Porro cum Alcino ex Timæo hoc loco dixit, extimum orbem ad dextra, ab ortu in occasum citato cursu conuerti: interiorem autem retrorsum ad sinistra, ab occidente in orientem obuiam eundo, hoc Calchidius apud Platonem significare putat supremum orbem suo motu à dextra per sinistrum latus ad dextram conuerti, id est, ab orientis puncto per occidentem ad idem orientis punctum reuerti: septem verò orbis inferiores, contra, à sinistro in sinistrum conuerti per dextrum, id est ab occidentem ad occidentem, per orientem. In quo quod perpetuitatem atque constantiam primo orbi Platonici ascribunt, diuersitatem autem septem orbium inferiorum cōuersionibus, probatum etiam videtur ab Arist. cum scribit cap. 10. & 11. lib. 2. de ortu, naturæ vniuersitatem cælesti virtute ita regi, vt à supremo orbe constantiæ & æternitatis causa in harum rerum inferiorum specie dependeat: à septem autem planetarum & maxime ipsius solis, varia declinatione, reditu, atque conuersionibus, vicissitudo, ortus & interitus rerumque quæ oriuntur & intereunt infinita varietas. De dextri etiam & sinistri distinctione eadem est vtriusque sententia. Si quidem Aristoteles cap. 2. lib. 2. de celo, in iis quæ mouentur dextrum esse vult à quo motus fit, sinistrum in quod desinit. Quare etiam si cælum nunquam moueri ceperit, principium tamen id esse ait, à quo moueri cœpisset, si incœpisset: at conuersionis cæli principium in eo esse à quo stelle oriuntur. Ex quo concludit hoc in cælo dextrum debere appellari, sinistrum quod illi contrarium. In eoque Pythagoreos reprehendit, quod cum in illo has duas differentias situs, natura, vt ait, posteriores agnouissent, in eodem reliquis, sursum inquã & deorsum, antè & post illis priores neglexissent. Istiusmodi verò diuisio in interiorem & exteriorem dextrum & sinistrum in ipsis orbibus cælestibus primum est intelligenda: deinde animæ partibus earumque functionibus accommodanda. In octo quidem orbibus extimus, qui reliquos omnes complectitur, vno modo, sicut dictum est, semper mouetur ab oriente ad orientem. Inferiores verò septem in eo dissimilitudinis particeps sunt, quod & singulis diebus simul cum illo extimo rapiuntur, & interim diuersis temporibus à sinistra parte, id est ab occidentem ad occidentem, suos motus conficiunt, in eisque per Zodiaci latitudinem oberrare videntur, exaltari, deprimi, modoque incitatius, modo tardiùs ferri. Qua ratione à Platone dictum est, exteriorem conuersionem solam indiuisam esse relictam: interiorem verò sexies diuisam septem orbis duplis & triplis interuallis distinctos effecisse. Vt omnes illorū motus ad eum concentū referantur, quem Cicero sic expressit in Somnio Scipionis. Ille cæli stelliferi cursus, inquit, cuius cōuersio est incitator, acuto & excitato mouetur sono: grauiissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra noua atque immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus in quibus eadem vis est duorum Mercurij & Veneris, modorum septem efficiunt distinctos interuallis sonos. Qui numerus rerum omnium ferè nodus est. Ad animæ verò partes siue functiones hæc ita referenda sunt, vt ratio & intelligentia dum circa ea versantur quæ semper eodem modo se habent, extimi orbis constantissimæ conuersioni respondeant. Sensus verò, & appetitio, atque omnis perturbatio, quia in inferiore animi parte inconstantes motus excitant, stellarum in septem orbibus inferioribus errantium, varias conuersiones imitantur. Nam & in ipsa intelligentia, dextra sunt ea quæ verè sunt: quia meliora & mutationis expertia. In sensu verò & appetitione profinitis habentur eorum quæ verè sunt, fluentes imagines. Atque vt illorum octo orbium inter se conuenientes motus, cum concentum dicuntur excitare quem

omnium esse suauissimum, Cicero ex Pythagoreis eodem loco scribit, sic in anima superiorum partium cum inferioribus apta ratio, omnium suauissima est atque pulcherrima, & ad eius naturam ita affecta, vt quamquam illa corporis harmonia non sit (hoc enim vt diximus à Socrate in Phedone reprehensum) non possit tamen sine hoc partium suarū concentu, suam perfectionem retinere. De qua postea in tertia philosophiæ parte differetur, quando de generali iustitia erit agendum.

8 Plato in Timæo sicut & Cicero eius imitatione, lib. 1. de natura deorum, & in Somnio Scipionis, tempus ab æternitate distinguit, & in tempore annum quem parit Solis conuersione à magno sæculo. De tempore & æternitate sic ille scribit. Quemadmodum illud animal sempiternum est (exemplarem autem mundum intelligit) ita vniuersum hoc pro viribus tale facere Deus statuit. Illius quidem animalis æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest. Idcirco imaginem æui mobilem effingere decreuit: ac dum cælum exornaret, fecit æternitatis in vnitatem manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porro & noctes, & menses, & annos, quæ ante cælum non erant, tunc nascente mundo nasci iussit. Quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ assignauimus. Dicimus enim de illa est, erat & erit, sed illi reuera solum esse comperit. Fuisse verò & fore deinceps, ad generationem temporis procedentem referre debemus. Motus enim quidē duo illa sunt. Æterna autē substantia cum eadem semper & immobilis perseueret, neque senior seipsa fit vnquam neque iunior, neque fuit hætenus, neque erit imposterū: neque recipit corū quæ quibus res corporeæ mobilesq; ex ipsa generationis conditione subiiciuntur. Nempe hæc omnia tēporis imitantis æuum, seque numero reuoluentis, species sunt. Tēpus vero vnà cum cælo factū est, vt vna orta, vna etiam dissoluantur: si qua his dissolurio vnquã contigerit. Et ad exemplar æternæ naturæ ideo factum est, vt mundus hic illi præstantiori quoad potest, simillimus sit. Ille enim mundus huius exemplar omne per æuum est: hic vero perpetuò per omne tempus fuit, sitque solus, & erit. Atque hæc ille de tempore & æuo vel æternitate: de magno autem sæculo vel anno de quo paulo post Alcino, ille eodem loco sic loquitur. Caterorum autem syderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomine certo illos appellant, neque numeris inter se distinctis commetiuntur. Itaque, vt ita dixerim, nesciunt horum peruagationes, id ipsum esse quod rite tempus dicitur, multitudine infinita & varietate mirabili præditas. Est tamen intellectu facile quod perfectus numerus temporis, perfectum tunc demum compleat annum, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem similiterque procedens metitur, ad idem caput se reuulerint. Quod cum contigerit, vt Poëta ait,

*Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroes, & erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.*

A nonnullis verò quæsitum est quot millibus annorum constaret magnus hic annus apud Platonem. De quo Franciscum Cataneum interrogatum in Epistolis respondentem, suamque opinionem probabilibus coniecturis confirmantem, audiamus. Qui vnque ex Poëtis diuini habitus sunt, inquit Plato in Phedone, hi ipsius hominis animam immortalem esse dicunt, eamque tum abire (quod quidem mori vocant) tum rursus redire, interire verò nunquam. Quapropter



per quam sanctè degere monent. Nam qui antiquæ miseræ pœnas Proserpinæ iam dederunt, his illa ad supernum solem nono anno rursus animam reddit: quousque in reges mansuetudine, robore, sapientia præstantes euadât: reliquum autem tempus sancti heroës inter homines vagantur. Atqui credunt Pythagorici & Plato (inquit Cataneus) animas quæ in generationem delabuntur, vitarum posse nouè genera implere: quarum princeps philosophi est, singulas verò singulos ambitus habere mille annorum: quibus peractis, repetere primam viam siue in hac mundi plaga quam incolimus, siue in alia longè angustiore quam in Phædone describit Socrates: indèque ad mundum intelligibilem vnde discesserāt, redire. Atque id est quod inquit Socrates, Proserpinam reddere animam nono anno ad supernum Solem. Nam vbi animæ omnem generationis labem deposuerunt, nimirum absolutæ iudicio quod sub terra perpeffa sunt (Proserpina enim naturalis facultas est illius animæ quæ præest terræ) post consummatos nouem vitarum ambitus, iterum vitam philosophicam viuunt, indèque ad mundū intelligibilem reuertitur, quem sub solis appellatione designauit. Dixit autem fieri reges, non quia vitam regiam significet (non enim hæc principem locum habet, vt in Phædro ostenditur) sed quoniam iure philosophus, quemadmodum patet ex eo Platonis Dialogo qui Amatores inscribitur, optime seipsum noscere debet. Hoc autem citra iusticiam prudentiamque fieri nequit. At sic affectus regius iure dici debet. Hæc vbi cœpi mecum diligenter p̄sitare conferrèque cum his quæ sæpius ab illo dicuntur, visa mihi est Platonis sententiā, duodecim millibus annorum magnum annum consummari. Quoniam anima nostra peractis nouem annorum millibus (sicut antea ex Socrate dictum est) ad vitam philosophi reuertitur: indèque ter mille annis ad mundum intelligibilem, quemadmodum Plato ait in Phædro. Quo loco etiam dictum est decem annorum millibus omnia ad idem non redire. Ad quam rem etiam fortasse pertinet quod scribit libr. 10. de Rep. Erum Pamphiliū duodecimo die ab obitu reuixisse: vt huius singuli dies singula annorum millia significant. Cum quibus Platoniorum decretis aliqua ex parte coniuncta sunt & obseruatione dignissima quæ scribit Lactantius cap. 14. lib. 7. Sciant philosophi, inquit, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum. Quo numero expleto consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Cuius rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. Mūdum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus, sicut arcanis sacræ scripturæ continetur, sex dierum spatio consummauit, diemque septimum quo ab operibus suis requieuerat, sanxit. Hic autem dies sabbati, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit. Vnde septenarius numerus legitimus ac plenus est. Nam & dies septem quibus per vicem reuolutis, orbis conficiuntur annorum & septem stellas quæ non occidunt, & septem sydera quæ vocantur errantia: quorum dispares cursus & inæquales motus, rerum ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex, id est annorum sex millia, manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur: sicut indicat Propheta qui dicit, Antè oculos tuos domine, mille anni tanquam dies vnus. Et vt Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit: ita religio eius & veritas in sex millibus annorum labore necesse est, malitia prævalente atque dominante. Et rursus, quoniam perfectis operibus requieuit die septimo, eumque benedixit, necesse est vt in fine sexti millesimi anni, malitia omnis è terra aboleatur & regnet per annos mille iusticia, siquæ tranquillitas & requies à laboribus quos mundus iam

iamdiu perpeffus est. Quam sententiā aliqua ex parte probauit quoque D. Augustinus libr. 2. de Dei Ciuitate. Quæ desumpta videtur ex occulta veterum magia. Eidem verò nonnulli hæc etiam adiiciunt, septimum millenarium ab vniuersa cabalistarum schola vocari magnum diem iudicij: quod tunc arbitretur Deum cunctorum animas iudicaturum. Septimo verò tranfacto annorum millenario iterum ad esse suum cuncta reuersura. Huncque in modum sex mille annorum interuallo iterum naturalem ordinem rerum perduraturum: adusque scilicet alterum septimum annorum millenarium: quo secundo omnia ad suum fontem reuertentur. Similiter tandem fieri septies volunt quousque quadraginta nouem millia annorum lapsa fuerint. Tunc enim magnum iubileum futurum esse predicant, cunctaque tam terrena quam cælestia in originem suam esse reditura: in eam scilicet originis personam quam Tescuba dicunt, id est conuersionem quam magis proprio nomine, spiritum sanctum nominant. Cessandum enim tunc fore aiunt à rerum creatione emissionèque. Præmemoratis itaque mundi orbibus septem sephiroth. præponunt, singulo orbi singulam ascribentes sicut etiam septem diebus, id est sex creationis atque sabbathi, dies scilicet quietis præpositas esse aiunt. Hi enim dies singuli singulos mille annos magni orbis significare dicuntur ita vt sex dies creationis sex annorum millenaria (quibus mundi existentiam duraturam dicunt) sabbathum verò septimum millenarium (quo mutua rerum generationis quietem futuram esse aiunt) representent. Nec nõ etiam cuiuslibet annorum millenarij aliquam harum sephiroth dominam esse dicunt: sicut & torius orbis, scilicet ex septem millibus annorum consistens. Ita vt tandem completeris sex millibus, atque vltimo 49. millibus annorum, ad personam trinitatis regimen totius reuertatur. Vbi vniuersalem rerum quietem futuram esse volunt: nec quid vltra futurum sit audent affirmare: dicentes nihil amplius mortalibus à diis esse reuelatum. Quomodo philosophatur Augustinus Ricus libro de motu octauæ spheræ. Contra verò hanc reuolutionem quædam disputat D. Augustinus ca. 13. lib. 12. de Dei Ciuitate, in illaque Originem Platonis nimium multa tribuentem reprehendit.

9 De cæli natura qualis esset apud Platonem, antea disputatum est. Apud Aristotelem autem totius cælestis regionis vna est quinta essentia, eaque simplex, quam astrei elementi nomine aliquando exprimit: sed in puritate substantiæ gradibus distincta: eo scilicet purior, quo à terra magis remota. Sic enim de ea scribit cap. 4. lib. 1. Meteor. Corpus quidem diuersum distinctumque & ab igni & ab aère censemus esse id quod supra est, & ad Lunam vsque pertinet: ita tamen vt iidem eius partem vnam per se puriorem esse, alteram minus synceram putemus gradusque dissimilitudinis habere, maximeque qua parte cum aère ac inferiore mundo copulatur. Vnde quæstio existit an quæ appellantur octo spheræ, in illa cælestis corporis natura à Platone posita, aut in quinta essentia Aristotelica, in qua mouentur, tantum se tangant suo ordine distinctæ, sicut nostra corpora in aère, an vero in illius essentia corpore vniantur, interea tamen propriis motibus moueantur, quemadmodum nostri corporis partes, etsi à se inuicem differentes, in hoc tamen vniantur, & præter motum totius, singulæ etiam in suo motu mouentur: in quo vim quandam à corde accipiunt, vt ab ipsius vitæ prima sede & foco. An verò vt cum in aère circum terram ab infimo principio mouemur, interim accidit vt à corporibus cælestibus variè afficiamur: sic cælestes orbis inferiores, dum propriis motibus mouentur, interim vincantur à virtute supremi orbis in eo motu quem raptus appellant. Quanquam illic nihilo magis raptus est, quam in eo quod nobis accidit in his inclinationibus quæ ab astris manant.



Porro qui ordo est caelestium corporum à se inuicem distinctorum, vel partium in vno illius copore, eadem ratio graduum in virtute agendi, talis scilicet qualem inter elementa quatuor in hoc inferiore mundo cernimus. Nam vt ignis superius, ad agendum efficacissimus, ad patiendum ineptissimus, ideoque nunquam putrere potest: terra verò contra ad agendum stolidi, ad quilibet patendum aprissima: sic in caelestibus corporibus, si species eam vim quæ à motu manat, maxima esse dicitur in supremo orbe, minima in ipsa luna. Sed quia agunt etiam astra in hæc inferiora suo lumine: est autem hoc maximum in Sole, proximum in Luna (inde enim hæc duo luminaria magna appellantur) idcirco hæc vis maxima à Sole manat: quam Arist. indicauit lib. 2. Physic. cum dixit, à Sole & homine hominem generari: huic proxima à luna. Si quidem hæc regere dicitur aquarum motus, vt in fluxu & refluxu maris, vt potest intelligi ex libro de elementis quem latinum fecimus: irremque mestrus mulierum purgationes. Quæ quia hæc decrecente frequentissime contingunt, ex eo sexus huius inconstantiam vulgo lunæ ascribunt, vt Arist. ait cap. 2. lib. 7. de historia animalium. Eademque plena, noctes vt humidiores sunt & calidiores, sic & fecundiores: quod hic quoque affirmat lib. 3. Meteor. Adde quod eiusdem vis potentissima esse dicitur in humores qui in nostris corporibus dominantur: quam medici obseruantes, causam dierum criticorum huic potissimum ascribunt. Quibus fortasse rationibus Platon lib. 7. de Legibus Solem & Lunam magnos Deos ausus est appellare. Aliæ verò duæ quæstiones sunt, vna de numero caelestium orbium, altera de eorundem ordine. In quarum vtraque Alcinoi Platonem sequitur, Aristotele minimè dissentiente. De numero, veterum & recentiorum contrarias rationes collegit Augustinus Ricus libro de motu octauæ Sphæræ, eandemque dissoluit. Plato vero ex Chaldeorum & Aegyptiorum decretis in Epinomide scribit philosophum scire oportere quo modo septem circuitus sub primo versentur, & in Timæo, octo tantum circuitus esse ait. Ideoque lib. 10. de Rep. commemorat Erum Armenium militem è mortuis excitatum, in vita altera vidisse tantum octo verticula, insertos inuicem circulos labia supernæ ostendentia: deorsum verò minus verticuli, continuum circa fufum efficientia. Fufum verò illum per medium octauum, perque totum esse traiectum. Primum extimumque verticulum labij circulum habere latissimum. Sexti autem secundum. Tertium quarti: quartum octauum: quintum septimi: quinti sextum: Tertij septimum: octauum vero secundum. Primi item atque maximi circulum esse varium. Septimi lucidissimum. Octauum verò verticuli circulum colorem à septimo irradiante suscipere. Secundum verò ac quinti similes inuicem, illis aliquantulo flauiores. Tertium colorem candidissimum possidere. Quartum subrubeum. Secundum verò sextum albedine superare. Ac fufum quidem totum volutione simili circumferri. Cum verò totum voluatur, septem interiores circulos motu totius contrario tardius circuuerti. Ex his planè octauum motu rapidissimo agitari. Secundum vero alterum alteri consequenter: septimum, sextum & quintum. Tali verò tertium motu ferri, vt quartum circumuolere videatur. Quartum autem tertium & quintum, secundum. Ex quo Platonis loco, quanquam obscurissimo, ea colligi possunt quæ pertinent ad quæstionem de caelestium orbium vel globorum de ordine. De quo hæc scribit Marsilius Ficinus cap. 6. lib. de Sole, à Chaldaeis medium Planetarum Solem esse positum: ab Aegyptiis autem quorum sententiam Plato probasse videtur, medium inter duos quinquarios: nempe supra hunc Planetas quinque Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem: sub eodem verò Lunam & quatuor elementa. Propinquiores autem terræ quam firmamento diuina prouid-

dentia esse factum, vt huius feruente spiritu, Lunæ, aëris, aquæ humor & crassa terrenorum materia foueretur. In qua quæstione mirum est Cicronem, alioqui Platonem valde addictum, Chaldeos potius esse sequutum, cum ita scripsit in Somnio Scipionis. Summo orbi vel potius globo, inquit, subiecti sunt septem qui versantur contrario motu atque caelum. E quibus vnum globum possidet illa quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis. Deinde subter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mudi & temperatio, tanta magnitudine vt cuncta sua luce lustret & compleat. Hunc vt comites subsequuntur Veneris alter, alter Mercurij cursus. In infimoque orbe Luna radiis solis accensa conuertitur. Ad eandem verò vide alia per multa apud Franciscum Picum Mirandulam cap. 12. lib. 1. & cap. 8. lib. 3. de vanitate doctrinæ gentium.

10 Hic Alcinoi comparans inter se ea tempora quibus errantes stellæ proprios motus in suis orbibus cõficiunt, dixit tardissimam omnium stellam Saturni. Quoniam hæc nõ nisi annis triginta naturalem suam reuolutionem absoluit: Luna verò ferè spacio dierum 28. Aliter Cicero in Somnio Scipionis, in diurna cõuersione octo orbium quam omnes simul cum supremo orbe spacio horarum viginti quatuor cõficiunt, dixit summi cæli stelliferi cõuersionem incitationem esse, acutoque & excitato sono moueri: grauisimo autè Lunarem atque infimam. Quod verò postremum est hoc capite de stellis quod animalia sint globalia & intelligendi facultate prædita: id ad earundem, vt rerum quarundam naturalium, duo principia materiam scilicet & formam pertinet. Et certè si stellæ, res naturales sunt compositæ ex illis duobus principiis, omnium perfectissimæ, his deberi videtur vt perfectissimum corpus, sic & forma essentia perfectissima. Summa verò corporis in illis perfectio ex eo apud Platonicos apparet, quod hoc constat ex atheræ substantia: quæ Platonem & Alcinoo plurima est ignea, sed lucēs, non adrens. Eidemque corpori attributa figura rotunda, vt omnium etiam perfectissima. Quare cum apud philosophos naturales, corpus ad suam formam destinatum sit & præparatum, summa corporis in stellis perfectio, ad perfectissimam formam erit destinata. Summa autem formarum omnium perfectio animæ eius est in qua ratiocinandi & intelligendi principium: quoniam hæc ceterarum formarum naturalium numeros omnes & summam perfectionem in se quodam modo est complexa: vt pote quæ non solum esse debet & viuere, sed etiam intelligere: in quo munere ascensus quidam est supra naturalia & cum metaphysicis atque diuinis quædam communicatio. Ex quibus videtur effici prouidentia naturæ, vel potius ipsius Dei naturam moderantis, atque regentis esse consentaneum stellis singulas præditas esse intelligentia, non solum assistente (hoc enim etiam apud Peripateticos indubitatum est) sed informante, & cuiusque stellæ essentiam constituyente & perficiente, eo modo quo nos perficit nostra anima quæ intelligendi & ratiocinandi facultate est prædita. Indubitatum quidem illud est non modo Platonibus omnibus & Peripateticis, sed Christianis quoque philosophis, celestes orbis & in his stellis moueri diuina prouidentia per mediam intelligentiam, siue hæc diuinus spiritus, siue angelus nominetur: sed vt rum assistens tantum sit, an verò hæc aut præter hanc alia insita & informans quæ ab illa assistente adiungetur & dirigatur, hoc inter omnes nondum satis definitum. Quanquam inter illa duo permultum interesse Aristoteles in initio lib. 2. de anima, indicauit in humana mente, siue in intellectu agente: cum dixit de ea nondum satis esse percipuum, sit ne perfectio vt nauta nauigij, assistens scilicet & ab eo cuius est, sepa-

rabilis, an verò infita & inseparabilis. Aristoteles cap. 2. lib. 2. de cælo & libro de animalium motu, cælum animatum facit. Atque cum ex eiusdem sententia cap. 7. lib. 2. de cælo, stella pars cæli sit nobilissima, hanc anima præditam esse oportebit, si nõ sua, (hoc enim nouæ quæstionis est) at ea certè quæ cæli est. Quoniam totius animati necesse est partes singulas esse animatas. Quod si anima cælum informat: cum hæc iis quibus inest, præstet vel nutritionem, vel sensum, vel liberam motionem, vel rationem & intelligentiam (hæ enim apud eundem quatuor sunt illius primæ & principes facultates) cæli motionem, quæ conuersionis est, manare oportebit vel ab eiusdem appetitione cum sentiendi facultate coniuncta, vel à ratione & intelligentia. Quoniam alterum horum animal loco mouere idem docuit cap. 9. lib. 3. de anima. Atqui cælum tam constanter moueri ab appetitu animali cum sentiendi principio cõiuncto, cuius tanta est in mouendo inconstantia, prorsus improbabile videtur. Quare apud eundem probabile est moueri à sua infitaque & informante ratione ac intelligentia. Quæ tamen lib. 12. Metap. dicitur habere aliam quoque intelligentiã assistentem & externam: quæ illam in perpetuando motu adiuuet. Qua forma finita, corpori finito infita, cum virium finitarum sit, ex eiusdem doctrinæ Peripateticæ principis, non potest à se & per se motum infinitum præstare: qualis cælestis est, sua scilicet duratione. Quoniam hic apud Arist. neque principium habuit, neque vnquam finem esse habiturus. Et certè communi ferèque eodem modo, cætera quoque res naturales præter, nisi tam formam à qua sunt & mouentur, virtutem quandam excipiunt aliunde influentem & quodammodo assistentem: à qua illa infita, imò ipsa tota res naturalis, conseruatur & regitur. Quis enim nescit sic apud Platonicos & Christianos hominem regi non solum à sua anima rationis particeps, sed à bono genio huic assistente? Nisi hoc interest, quod in cælo anima infita intelligentiæ assistenti semper obsequitur: in homine non item. Idque quoniam in hoc quædam repugnantia ex corpore enascitur, Terrénique hebetant artus moribundæque membra: in cælo verò minimè. Atque hæc quidem de Aristotelis opinione circa quæstionem propositam. Plato verò in Timæo non tam ipsos cælestes orbis, quam astra in illis animata dicere videtur. Facta sunt, inquit, astra illa erroris expertia, quæ diuina animalia sunt. At libro 10. de legibus scribit vniuersa quæ in cælo sunt, quæ in terra, quæ in mari moribus animæ duci: quibus, inquit, nomina sunt velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere. Marsilius Ficinus in eum locum scribit eandem fuisse Aristotelis atque Theophrasti sententiam, additque Plotinum & Hermiã etiam in sideribus posuisse sensum vt visum propriè & auditum: sed in alio quodam genere longèque præstantiore quam sensum animalium terrenorum. Idem in Symposium Platonis hæc de re Platoniorum sententiam sic explicat. Vnam esse oportet vniuersã animam, sicut & vna est materia, vna constructio. Cum ergo duodecim sint mundi spheræ, octo cæli, & elementa sub cælo quatuor: atque hæc duodecim spheræ discretæ à se inuicem sint, specie, motibus & proprietate diuersæ: duodecim necesse est illis adesse animas specie & virtute diuersas. Vna igitur erit vnus primæ materiæ anima. Duodecim circuloꝝ, anima duodecim. Quis terram aut aquam neget viuere, quæ vitam animalibus ex se genitis tribuunt? Quod feces hæ mundi partes viuãt viuentiãque in se similiter habeant, cælique similiter? Sed animalia illa cælestia quæ sidera sunt, & terrena aquatilia que videmus quidè ignea verò & aëria non videmus. Quipe cū neque purū ignis aut aëris elemētum perspicimus. Hoc autè interest quod in

terra duo sunt animantium genera bruta & rationalia: similiterque in aqua cū aqua corpore terræ præstantior, nõ minus quàm terra cõpos esse debeat rationis: globi verò decem superiores propter eorū sublimitatē, solis sunt rationalibus exornati Animam mundi, id est, materiæ primæ, & duodecim spherarū & siderū animas Platonici deos nominant, tanquã angelicæ mētis summique Dei pedissequas. Animalia quæ ignis ætherei sub Luna locati aut puri aëris, aut nebulosi aquæ proximi regionem habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiam immortales & impatibiles sunt: homines patibiles atque mortales. Dæmones immortales sunt quidem, sed patibiles, Neque dæmonibus passiones corporis, sed animi affectus quosdam tribuunt, quibus bonos homines amant quodammodo, malos oderunt: seque ipsos propius & ardentius rebus inferioribus, præcipuè humanis, gubernandis immiscent. Plato in Epinomide, Cælum, deum facit eundemque colendum esse ait. Cælum, inquit, sicut omnes alios dæmones honorare oportet & vota ipsi imprimis facere: & eodem loco, Deos, inquit, visibiles maximos, colendissimos, perspicacissimos ac omnino primos, stellarū naturam dicendum est: deinde dæmones colendi sunt. Similis sententia Xenocrati tribuitur à Cicerone lib. 1. de natura Deorū Xenocrates (inquit ille) octo Deos esse dicit, quinque eos qui in stellis vagis nominantur: vnū qui ex omnibus sideribus quæ infixa cælo sunt, ex dispersis quasi mēbris, simplex sit purandus Deus. Septimum Solem adiungit, octauam Lunam. Et Lucilius apud eundem lib. 2. Hanc in stellis constantiam, inquit, hanc tantam in tam variis cursibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quæ cum in sideribus esse videamus, non possumus ea ipsa non in deorū numero reponere. Origines hæc in parte sicut & in aliis rebus permultis, Platoniorum opinionem securus, cap. 7. libri. 1. de Principiis, non modo cælū animale facit sed & stellas singulas quæ in illo sunt. Putamus, inquit posse eas per hoc animantia designari quod & mandata dicuntur accipere à Deo. Quod vtique non nisi animantibus rationalibus fieri solet. Ait ergo. Mandatum ego omniaibus stellis præcepi. Quæ autem sunt ista præcepta? Scilicet vt vnū quodque astrum sit ordine suisque cursibus indultæ sibi quantitatis splendorem præbeat mundo. Alii enim, qui vocantur Planetæ, mouentur ordinibus: aliis hi quos Aponeis vocant. In quo id manifestissimè ostēditur quod neque motus illius corporis sine anima effici potest: neque quæ animalia sint, possunt esse aliquādo sine motu. Stella verò cum tanto ordine ac tanta ratione moueatur vt in nulla prorsus earum cursus aliquando visus sit impeditus, quomodo non est vltra omnem stoliditatem tantum ordinem tantamque disciplinæ ac rationis obseruantiam, dicere ab irrationalibus exigi vel expleri? D. Augustinus non est ausus hoc absolute affirmare, sed commetario. 2. in Genesin ad literam scripsit, si astra animata sunt illorum animas pertinere ad societatem Angelorum. D. Thomas articul. 3. Quæst. 79. Summa. 1. negat omnino astra animata esse. Quia anima datur aut ad motum, aut ad sensum, aut ad nutritionē, aut ad intelligentiam. Ad postremum autem non indiget corpore, sed eo potius impeditur. In astris neque nutritio est neque sensus: nisi descendamus in Stoicorum opinionem. Ad motum autem ab Arist. dicitur habere intelligentiam non animantem, sed assistentem quæ non est ipsius astri forma, vt nos etiam alio loco diximus. de qua quæstione idē D. Thomas pluribus disputat cap. 23. lib. 3. contra Gentiles, Sicut & Aneroës in disquisitionibus contra Algazelem disputatione. 14.

& animus, partiúmque in his ordo, superioribus capitibus explicabatur, obseruat diuersa minorum animalium genera, suis regionibus in eodem distincta: vt tandem desinat in hominem tanquam in minorem mundum.

C A P. 13.

¹ Sunt & alij, Dæmones² quos dicere possis intelligentiæ participes Deos, in unoquoque elementorum: nonnulli quidem aspectabiles, alij inaspectabiles, in Æthere atque igne, itémque in Aëre & Aqua. Ne pars vlla mundi, animi expers sit, neque animalis eius quod natura non intelligente præstantius. His autem subiecta sunt quæ infra Lunam, & terrena omnia. Etenim Deus ipse vniuersi deorúmque est opifex., Neque vniuersum vnquã dissoluetur, propter eiusdem voluntatem. Aliis autē filij eius præsent, ad patris imperium & exemplū quæ faciunt, omnia referentes. ⁴ A quibus Sortes, Furores, Somnia, Oracula & quæcunque secundum diuinationem ab hominibus arte aliqua tractantur. ⁵ Terra verò omnium media, circa verticem per vniuersitatem traiectum, vincula atque constricta, diei noctisque custos, deorum omnium qui cali ambitu continentur, antiquissima, ac post ipsum mundi animum, nobis alimenta abunde suppeditans. Circa quam calum voluitur, astrumque ipsa quoddam est. Manens autem, quia ad æquilibrium est in medio, quod similiter se habet ad continentia. Æther autem extimè distinctus est in spheram errantium & inerrantium. Quibus aër subest. In medio verò terra, suo humore perfusa. Quibus omnibus ab illo pulchrè aptèque coagmentatis &

distributis, animalium tria genera restabant, quæ mortalia erant futura, Volatile, Aquatile & pedestre. Quorum procreationem filiis demandauit: ne ab eodem procreata, essent immortalia. Hi igitur à prima materia particulas quasdam ad vsuram definiti temporis mutuati, in eandem aliquando rursum redituras, effinxerunt mortalium animalium genera. Quoniam verò de hominum genere, vt diis maximè cognato, rursus cura erat & ipsi patri omnium & diis huius filijs: demisit in terram vniuersi opifex illorum & animos astris numero pares. Ingressis autem ad astrum quasi vehiculum quadam societate coniunctum, instar legislatoris, omnibus fatales leges edixit, vt ipse omni culpa careret: ⁷ Quod affectus ex corpore mortales nascentur, primum quidē ipsi sensus, deinde voluptas & dolor, metus & ira. Quibus qui imperarent, nec se ab his vinci paterentur, eos iuste victuros & ad astrum sibi cognatum reuersuros: ⁸ euiectos verò ab iniustitia, secundo ortu in vitam sæminæ migraturos. In qua qui peccandi finem non faciet, eum tandem in ferarum naturam migraturum. Finis verò ipsis laborum erit, cum innatos affectus vicerint & ad proprium habitum redierint.





NOBILISS. ET O. V.

NICOLAO FVMAE O, APVD COE-
nomanos antiquissimi Cœnobij à cultura, Vigilantiff.
Cultori & Cœnobiarchæ

Ia. Carpentar'us. S.

SCIO quàm inconsideratè faciam, V. Ornatiss. qui in
hac quaestione de demonibus occupanda, in alienam
messam manum immittam, & de eadem ad te scribam,
cui iam pridem perspecta sunt quæ in hac philosopho
& Christiano videri possunt cognitione digna. Et tamè
cum horum temporum peruersitas, in iustissima occasio-
ne qua ex huius auctoris interpretatione nascebatur,
non omnino sineret hanc à nobis præteriri, de qua multa à veteribus disputata
sunt, plura verò hac ætate à nonnullis, parum pie in nostram religionem ani-
matis, in controuersiam reuocata, in eius explanationem mihi incumbendum exi-
stimauit, & quicquid erat quod de ea labore aliquo collegeram, idem tuo nomini
consecrandum. Non quod in hoc quicquam esset quod tua persona dignum arbi-
trarer, aut ad quod legendum te à rebus grauioribus vellem auocare: sed quoniã
cum singularis humanitas tua prædicetur ab omnibus, mihi que ipsi in multis
sit perspecta, hoc initium fore sperabam ad ea fruendum post hac liberius: qua
nihil profectò potest esse incundius: neque vero quicquam ad recreanda nostra
hac philosophica studia aptius, quàm si in his sentiamus nos tibi aliqua ex par-
te placuisse. Quod si mihi Deus dederit, ego certè quia virorum tibi similitum
ornatissimo testimonio contentus, nihil amplius in vita hac expeto, laborum om-
nium quos in his colligendis posuimus, satis magnum fructum videbor esse con-
sequutus. Modo tu cuius beneuolentia, sicut speramus, hic post hac aletur, Reipub.
nobilis que diu viuas ac valeas.

I N



Ia. Carpentarij, Commenta-
RIVS IN CAP. 13.

In quo primum disputatur de Dæmonibus.

QVÆ DISGRESSIONE EST QVARTA.



DE dæmonibus quaestio veteribus Platonice
nobilissima, eaque ad nostram religionem val-
dè pertinens: de qua idcirco pluribus nobis
hoc loco differendum. De illis verò primum
quaerendum est, An sint, deinde quales sint. In
istaque posteriore quaestione, hæc comprehē-
da: An corporei: An immortales: quantum po-
testatis in hominem habeant in eaque omnia
que mundo continentur, postremò vero, quali intelligendi vi sint præ-
diti. De quibus omnibus sine errore ne disputari quidem potest, nisi
primum distinguatur quod varium & multiplex Dæmonis appella-
tione continetur. Quanquam verò in nostra religione, nomen hoc
soleat in deteriore partem vsurpari, pro ea natura quæ cum in pri-
ma mundi origine à Deo perfectissimam rationē & intelligentiam
accepisset eandemque cū angelis parem, suo peccato de dignitate de-
iecta est & cælo pulsa, indeque Deo odiosa, hominibus molesta esse
cepit: Platonici tamen hac appellatione etiã angelos lucis comple-
xi sunt: quos modo dæmones bonos, modo Deos minores nominaue-
runt. Atque etiam amplius, in dæmonibus aliquando numerauerunt
naturas omnes quæ qualescunque & ubicunque sint, cum homine com-
munem habent rationis vsu, vel eo qui homini datus est, superiorē.
In qua varietate, certum est de superioribus quaestionibus non eodē
modo esse statuendum. Nam posteriore significatione, Pselus libro
de dæmonibus, ex Marco quodam dæmonum sex genera facit: primū
igneum, quod per superiorem aëris regionem vagatur (hanc enim pro
igne videri etiam ab ipso Aristo. vsurpatam, docuimus lib. 2. prioris
nostræ descriptionis physica) secundum aëreum, quod in aëre nobis
propinquo oberrat: tertium terrenum: quartum aquatile: quintum
subterraneum: sextum lucifugum & imperferutabile. Sicque in dæ-

Z Z



monibus numerari possunt, Dryades, Nymphæ, Fauni, & Satyri itēque animalia illa subterranea humanam figuram habentia & cum hominibus ludentia, quorum in sequentibus ex Georgio Agricola mentionem faciemus. Priore verò modo arctiorēque, qui Theologis magis familiaris, dæmonum malignorum sua quoque est diuisio, pro varietate eorum quibus maximè oblectantur, dum Deo studiose aduerfantur & ab eodem nos auocare conantur. Primi enim falsi dii nūcupantur: quoniam pro diis coli volunt, sacrificiāque sibi expetunt: Secundi, spiritus sunt mendaciorum: qui se oraculis immiscunt, in illisque variè hominibus imponunt: Tertij inuentores malarum artium: Quarti, præstigiatores, qui miracula imitātur ad homines seducendos: Quinti, qui aëri se immiscere solēt in hocque fulgura & tonitrua excitare, atque etiam malignis qualitatibus eundem inficere. Postremi, singulorum hominum tentatores & insidiatores: quibus cōtrarij angeli boni qui nobis custodes contra illorum insidias dati sunt. Aliter Plato dæmones quosdā non solū bonos agnoscit in Cratylō, sed indicare videtur ex hominibus esse factos & in cælū relatos Scisne, inquit Socrates, quos Hesiodus *diuinos* esse ait? HER. Non. S O C. Neque etiam quod aureū genus hominum ait in principio extitisse? HER. Hoc quidem noui. S O C. Ait enim ex hoc genere post presentis vitæ fata fieri dæmones sanctos terrestres, optimos malorum expulsores & custodes hominum. HER. Quid tum? S O C. Nempe arbitror vocari illud aureum genus, nō ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum. Quod inde coniicio, genus nostrum ferreum esse dicit. HER. Vera narras. S O C. An non putas si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? HER. Consentaneum est. S O C. Boni autem vtrum alij quā prudentes. HER. Prudentes. S O C. Idcirco, vt arbitror, eos dæmones præcipuè nuncupat, quia sapientes *diuinos* quæ erant. Et ex nostra prisca lingua istud nomen extitit. Quamobrem & is & ceteri poëtę permulti, præclare loquuntur, quicumque aiunt videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præmiūque sortitur, sicque dæmon, secundum sapientiæ cognomentum. Ita & ipse assero, *diuinos* id est sapiētem esse omnem hominem quicumque sit bonus: eūque dæmonicum esse, id est felicem, viuētem atque defunctum. Idem lib. 4. de legibus, dæmones puriores, quasi deocum apud nos interpretes, colendos esse ait. Et in Epinomide, Visibiles, inquit, deos maximos summoperēque honorandos acutissimēque cūcta videntes ac primos naturam astrarum & quę cum astris facta sentimus, fatendum. Deincept verò sub his dæmones, genus aëreū in tertia mediāque regione (qui interpretationis causa sunt) collocatos, orationibus colere, gra-

tia laudabilis intercessionis interpretationis debemus. Horū quidem duorum animalium alterum ex aethere, alterum deinceps ex aëre est: Ac neutrum conspici totum potest. Sed quamuis hi dæmones propè nos sint, nunquam tamen manifestè nobis apparent. Prudētiæ admirabilis participes sunt acuto quippe ingenio tenacique memoria cogitationes omnes nostras cognoscunt: honestos bonosque viros mirificè diligunt, improbos vehementer oderunt, vt pote qui doloris participes sunt. Idem in Symposio. Magnus dæmon, inquit, Amor est. Et enim omnis natura dæmonum inter mortales deosque est media. Quam vim habet? Interpretatur & traicit humana ad Deos, diuina ad homines: horum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta sacrāsque solemnes institutiones & ordinem. In quibus manifestum est illum dæmonibus ea tribuere quæ in nostra religione Angelorum honorū sunt propria. Porphyrius lib. 2. de abstinentia ab esu carniū, dæmonum duo prima genera facit, vnum bonorum, qui nunquam lædunt, alterum malorum qui nunquam iuuant. Idemque libro de occasionibus, addit genus tertium quasi medium, eorum qui læsuri sunt genus humanum, si irascantur: propterea quod negligantur, neque cultum legitimum nanciscantur: contraque benefacturi hominibus qui eos votis supplicationibusque, sacrificiis & aliis quæ consequuntur, sibi conciliauerunt. De illisque sic ex Platone scribit eodem libro. Quemadmodum caliditatis non est vt frige faciat, sed cōtrarij, sic nec iusti vt læsionem vllam inferat. Iustissimum autem omnium natura est numen, alioqui nihil esset. Vis igitur hæc & fors à beneficis dæmonibus præcidenda est. Facultas enim quæ lædere & natura solet, & vult, beneficæ procul dubio contraria est. Contraria autem in eodem esse nullo modo possunt. Cum itaque isti multis in partibus, atque interdum in maximis, mortale hominum genus lædant, boni dæmones sigillatim officia sua nunquam intermittunt: sed pericula nobis à maleficis impendentia pro viribus præmonstrant, dum & per somnia & per animam diuinitus afflatam, aliāque multa, significationes dant. Vt si quis ea distinguere quę significantur, posset, fraudes omnes cognosceret ac præcaueret. Omnibus enim significat, sed non omnes percipiunt ea quæ significantur. Quemadmodum neque omnes legere quæ scripta sunt, possunt, sed qui literas didicerunt. Per contrarios autem dæmones, omnes præstigię perficiuntur. Ex qua multiplici nominis huius significatione extitit eiusdē Porphyrij dubitatio quam ex epistola ad Anebonem Ægyptiū, citat Theodoretus Cyrensis lib. 3. de curatione græcarum affectionū, De iis dæmonibus, inquit Porphyrius, qui dii quidem nominantur, te autem ipsa mali sunt dæmones, illud me nō parum sanè conturbat, quoniam videlicet



paſto hoc fiat, vt qui tanquam meliores potentioresque hominibus, inuocantur, imperiis tamen hominum ſeu peiores inferiorésque ſint, vrgeantur. Cúmque ipſi æquum eſſe prædicent vt ſeruus qui iniqua geſſerit, puniatur, ipſi tamen ad iniuſta facinora ſeſe iuſſis adigi patiãtur. Neque aduocanti illi parendum putent, qui ſit admiſſo ſtupro impurus: qui tamen ad obſcœna flagitia quoscuque homines perducere non grauentur. Atque ab animatis quidem corporibus abſtinere, ſacrorũ interpretes cenſeant oportere: cũ tamen ipſi nidore victimarum ſacrificiorũque vaporibus tanquã eſcis quibusdam, quã maximè oblectentur: neſaſque ducant ab eo morticinium contrectari qui ſit rebus diuinis myſteriſque præfectus, & tamè cœſis animãibus per cruorẽ eadẽmque dæmones deducãtur. Illud autè multo quã hæc omni magis abeſt à ratione, cũ ipſi videlicet non dæmoni quidem, aut animæ defuncti hominis, ſed ipſi adeo Soli, quẽ maximũ regẽ imperatorẽque magi habent, ſed Lunã, ſed alicui ex ſideribus homo de medio ſumptus ſeruiliſque cõditionis, terribiles minas intonat, mœritur ſe diis terrore incutere, vt interrogati, vera reſpõdeant. Etenim cũ quiſeorũ denuntiat quod cœlũ diffringet, quod occulta Iſidis reuelabit, quod ea quæ ſunt in adyto ſecreta apperiet, quod Charontis cymbã firmabit, quodque Oſiridis mœbra Typhoni diſcerpet, ſi ea cõminantẽ reſpicias quæ nec facere poſſit quiſquã, nec ſciat, quẽ nõ illa ſtuporis exceſſum dementiaque excedãt? Si verò dæmonẽ trepidantẽ, deũmve conſideres nouo quodam fictitiæ rei metu, quali ſcilicet ne fatui quidẽ pueri terreantur, quam cõſternationis immẽſæ magnitudinẽ metus ille nõ ſuperet? Ipſe verò Cheremõ ſcriba rerũ ſacrarũ, cõmemorat eſſe apud Ægyptios valde nugis inuulgata, atque hæc ipſa & quecũque ſunt talia, eſſe violentiſſima. Quibus omnibus ex Porphirio cõmemoratis, rectè Theodoretus eodẽ loco vritur ad efficiendũ veterũ religionẽ, in iis quæ ad dæmonũ cultũ pertinet, ne ipſis quidẽ ſapientibus & philoſophis ſatis fuiſſe conſtitutam. Quod ſcilicet in hac nominis ambiguitate nõ diſtinguerent, quid & quantum cuique eſſet tribuendum. Maximus Tyrius Platonius philoſophus, Sermone 26. Quod poëta fabulantur de Minerua iram Achyllis in Agamenonẽ cohibente, aut nebulã ex oculis Diomedis diſcutiente, id totũ de dæmonibus interpretatur. Deinde hæc de eiſdẽ ſubiicit. Deus certo quodã loco cõſtituto prætorio, cœlum ipſum cœlique ordinẽ vt pater familiã, gubernat: ab eoque ſœcũda eſt immortalũ claſſis, qui dij Medioximi dicũtur, mediã regionẽ quæ iacet inter cœlũ & terrã, obtinentes: Dei quidẽ potẽtia minores, hominibus lõge meliores: deorũ penitus miniſtri, præſides tamen hominũ: diis proximi, at hominũ curatores diligentiſſimi.

Magno namque interuallo mortale ab immortalis & aſpectu cœleſti & cõſuetudine diſcluditur: ac propterea dæmonibus qui vtrãque naturam, diuinã ſcilicet atque humanã, affinitate attingentes, harmonicis vinculis, alterius imbecillitatẽ cũ pulchritudine alterius connectant. Nam perinde atque inter græcos & barbaros, inter quos magna eſt vocis ac linguæ differentia, interpretes ſunt qui alterutrorum voces ſuſcipiendo ſignificationẽque viciffim deferendo, diuerſitatem illam nonnihil conciliant, commerciãque inuicem inducunt: ita intelligi debet Dæmonũ genus cum diis cũque hominibus verſari. Quo etiam loco idem ait, ex Dæmonibus nonnullos medicinam proferri: alios in ambiguis rebus conſilium præbere: nonnullos abſcondita enunciare: multos exercendis artibus cooperari: eſſe quosdam itineris comites: vrbanos alios, alios ruſticos: hos maritimos, terreſtres illos. Cornelius Agrippa cap. 16. lib. 3. de occulta philoſophia, In dæmonibus primos ſtatuit ſuper cœleſtes, corporis omnino expertes, qui circum vnũ Deum verſantur, nec mundi corporibus præſunt, ſed ſuſceptum à Deo lumen in inferiora immittunt, ſinguliſque ſua officia diſtribuunt. In ſecundis numerat cœleſtes intelligentias ſphærarũ præfectas, de quarum numero & officio multa ſunt apud Ariſt. libr. 12. Metaph. In tertiis dæmones qui miniſtri appellantur: quia inferioribus terreniſque diſponendis præſunt. Qui ruſſum diſtribuuntur in Igneos, Æreos, Aqueos & Terrenos. Nõ quod, inquit, ſinguli in ſingulis elementis tantũ verſentur: ſed quia in his à quibus nomen capiunt, maximè regnãt. In quibus contẽplationi potiſſimũ dediti ſunt Ignei: Ærei: vitæ actiue: Aquei verò ad ſenſum demiffi: Terreni, ea curant quæ ad naturam altricem pertinent. A quibus omnibus diſtincti ſubterranei ſiue tenebricoſi dæmones mali, quos antea ex Pſello ſexto genere ſumus complexi. In iis etiam ſunt qui appellantur incubi & ſuccubi: De quorum vario coitu cum hominibus mira ſunt & penè omnem humanam fidem ſuperantia quæ nonnulli referunt: quanquam virorum ſanctiſſimorum ſcriptis confirmata & aliquot nobiliſſimarum familiarum, quæ inde dicuntur emanãſſe, exemplis teſtata. Noſtræ verò religioni conſentaneum magis eſt quod de malis dæmonibus ſcribit Mercurius Trimegiſtus cap. 9. Pimandri Humana mens, inquit, omnes notiones concipit, bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur, contrarias autem cum à dæmonibus ſpermatã iaciuntur. Nulla profecto mundi pars eſt dæmonum præſentia deſtituta. Horum lumen ab ipſa Deo totum deſcendit. Dæmon denique tranſfuſus in hominem, ſemina propriæ motionis inſpergit. Mens autem conſperſa ſeminibus prægnans inde parit adulteria, ſupra, par-



ricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerfiones urbium, pestes hominum & reliqua omnia quæcūque malorum sunt opera dæmonum. Dei planè semina pauca, at illa quidem magna, pulchra, bona: virtus scilicet, temperantia, pietas. Pietas autem Dei religio. Quæ omnia si ex veterum philosophorum & Christianorum loquendi consuetudine dæmonis appellatione complectimur, difficile est quenquam reperire qui dæmones esse omnino neget: nisi forè illos verbo magis, quam re tollat: aut eadem impietate Deos quoque esse negare audeat. Nam Aristoteles ipse qui naturæ omnino additus, in cæteris quæ ad dæmones pertinent, Platoni videtur fuisse cōtrarius, agnoscit intelligentias cælestium orbium motrices & formas qualdam diuinas Deo inferiores, à materia tamen omnino separatas, & in physicis & in Metaphysicis. Quæ, vt modo dictum, à veteribus dæmonis appellatione sunt comprehensæ. Cæterum mirari soleo eundem Aristotelem nullo loco, quod sciam, apertè exposuisse quid de dæmonibus sentiret. Præsertim cum eorum frequentissima esset mentio apud Homerum, Euripidem, Pindarum, Simonidem, Hesiodum, atque adèd apud magistrum Platonem. Quorum omnium scriptis si assentiebatur, in multis rebus philosophicis naturalibus & moralibus explicandis, hos ipsos dæmones potuit adhibere. Si verò illorum omnium sententiam nobilem & quæ certè aliqua probabilitate niti videbatur, non probauit: mirum mihi magis est, cur in hac euer-tenda nullo loco laborauerit: cum in aliorum philosophorum opinionibus plerisque minus nobilibus, exagitandis, diligentissimus & vehementissimus esse soleat. Augeret etiam hanc dubitationem, quod plerisque locis oraculorum, diuinationum, incantationum apertam mentionem facit: quorum vnumquodque ad dæmones à veteribus referebatur. Nam cap. 20. lib. 3. de historia animalium, vbi agit de capro quodam cui in Lemno magna copia lactis ex mammis effluebat, Hoc, inquit, in ostentis numeradum potius ducunt. Nam & Lemnio illi pecoris Domino consulenti, Deus amplius incrementum peculij futurum respondit. Itèmq; de incantationibus agit cap. 24. lib. 8. & de auguriis cap. 1. lib. 9. Apertius etiam de his quos dæmoniacos appellamus, probl. 1. Sect. 30. Multi inquit, propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu Lymphatico efferuescunt: ex quo Sybillæ efficiuntur & Bacchæ & omnes qui diuino spiraculo instigari dicuntur: cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit. Vnus locus est libro de diuinatione per somnum, in quo hic philosophus nimium fortasse naturæ addictus, hanc veterum de dæmonibus sententiã irrisisse videtur potius quam dignam existimasse in qua refugada laboraret. Deum esse, inquit, qui

Arist. sententia de dæmonibus.

somnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum est & Dei maiestate indignum, cum illa non optimis viris nec prudentissimis, sed quibusuis mittere. Sublata autem causa quæ à Deo ducitur, alia consentanea nulla videbitur. Causam enim reperire cur futura de his presentiant quæ in columnis Herculis, aut in Borysthenes sint, maius est quam quò nostra sapiëntia peruenire possit. Et paulò post, Omnino somnia, inquit, quoniam in aliis etiam quibusdam animantibus videntur, à Deo non mittuntur, nec ad eum finem nobis mittuntur. Sunt tamen *θεμύνια*. Siquidem natura *θεμύνια*, non diuina est. Quo eodem argumento, vel etiam probabiliore, Aristoteles efficeret, diuitias, opes, sanitatem à Deo non dari: quoniam hæc omnia etiam in improbos cadunt. Neque verò somnia omnia à Deo immitti dicuntur, sed quædam à malo dæmone: illa quidè quæ à Deo, vel à bono dæmone huius ministro, vt plurimum in viros bonos: hæc à malo, in improbos: aut etiam in hos aliquando quædam à dæmone bono, cum scilicet diuina prouidentia improbis ad bonum aliquod vitur. Posterior verò Aristotelis locus, in quo ait somnia quæ diuinitatis aliquid habere putantur, à Deo non immitti, *θεμύνια* tamen esse: quoniam natura *θεμύνια* est, non diuina: dignissimus est obseruatione, sed qui reconditam habet sententiam. In qua quanquam nihil mihi adhuc sit omnino definitum, sed ab aliis expectem meliora, dicam tamen quod mihi significare videtur, somnia illa in quorum interpretatione diuinationis aliquid ponitur, ex naturalibus causis pendere, idèoque supra naturam ea ad Deum non esse referenda: *θεμύνια*, tamen dici posse, quia ex naturæ ordine pendet: propter quem hæc dici potest non diuina sed *θεμύνια*: quòd in tali ordine situm id, Aristoteli naturæ genio esse videretur, quod Platonici dæmonibus attribuebant, quos natura superiores, Deo inferiores esse volebant. Libro quinto Metaphysicorum, dæmonum quidem apertam mentionem facit & in substantiis corporeis eosdem numerare videtur: sed dubitando magis quam quicquã pro rato de illis statuendo. Substantiæ esse dicuntur, inquit, vt terra, vt ignis, vt aqua & si qua sunt eiusdem generis, & vno nomine corpora & quæ ex iis cōstant, vt dæmonia eorūque partes. Idèmq; cum pluribus locis præter hominem agnoscit animal quoddam rationis particeps, hoc videtur quibusdam ad dæmones pertinere. Vt lib. 2. de anima, nonnullis animalibus, inquit, vis inest progrediendi, nonnullis ratiocinandi & mens: vt hominibus, & si quid aliud est eiusmodi, aut etiam homine diuinius. Eodèmq; libro, Extrema, inquit, atque minima ratiocinationem habent & mentem. Quibus enim mortalium inest ratiocinatio, his etiam insunt cætera omnia. Vbi adiungit ab illo adiectum esse, mor-



talium, quod in dæmonibus immortalibus ratiocinandi vim sine inferioribus animi facultatibus videretur agnoscere. Nisi fortè hoc in eiusdem doctrina referendum existimemus ad cælum & stellas: quibus vitam & intelligentiam cum immortalitate ab eodem attribui obseruat Bessario Cardinalis cap. 4. lib. 2. contra Trapezuntium. De spiritibus quidem cælestibus & diuinis locus est obseruatione dignissimus in opere quod nuper edidimus, de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios cap. vltimo lib. 4. sed in eo non existimo satis esse virium ad statuendū de quæstione proposita: quia mihi non satis constat illud opus Aristotelis esse. Illum tamen integrum describam: quoniam valdè pertinet ad id de quo nunc agimus. Spirituum, inquit, aliquot genera sunt. Quidam enim cælestes, in ipsis stellis potissimum suam sedem habentes: quod illorum actiones in iis maximè appareant. Alij in totis orbibus sine vlla differentia siti: quia incorporei sunt, neque stellis tantum sed omnino ipsis orbibus sine discrimine præfunt. Si quis vero inquirat an in mundo hoc qui in sensum cadit, quicquam sit cuius mūdus alter sit expers, equidem in illo hæc etiam inesse dicimus, cælum, terrā, mare, bruta, plantas, homines, denique ea omnia quæ in mundo hoc reperiuntur: sed eorum quæ in illo sunt, nihil esse terrenum. Atque spiritus qui in eodem versantur, cum hominibus in illo viuentibus amica pace consentire. Neque enim eorum vnus alterum expellit nec ab altero pellitur. Neque vlla in re sibi inuicem aduersantur: sed omnes in maxima vitæ societate conquiescunt. Quoniam eorum author vnicus est omninoque sui similis. Illi quoque ea quæ desunt contemplantur, nec ortui, vel interitui obnoxij. Idemque singuli in alterius essentia suam intuentur. Quia & spiritus qui in eodem mundo versantur, pellucidi sunt: nullaque in parte obscuri, neque item cõtingui, neque disiuncti: ac eorum quilibet alteri perspicuam lucem præstat: neque quicquam quod ad vnum pertineat, alterum latere potest. Non enim horum contemplatio oculo corporeo terminato, commutabili, perficitur colores recipiendo, sed oculo mentis: qui sexta quadam virtute in vnum sensum colligit virtutes sensuum quinque instrumentis distinctas. Hæc quidem, vt dixi, obseruatione dignissima sunt, & ad propositam quæstionem maximè pertinent: sed quia de eius operis authore non satis constat, nihil habent virium ad efficiendum quod de Aristotele quærimus. De quo illud mihi probabile est, hunc naturæ obseruatorem vigilantissimum, sic huic vni fuisse addictum vt ea sola in philosophando probauerit quæ cum eiusdem principiis consentiebant, vel ex eisdem deriuabantur. Quare de diuinis & incorporeis, quæ à sensibus separata, ea tantum idem p̄fuisse videtur & in sua philosophia vsurpasse

passè, ad quæ humanus animus ex sensuum obseruatione deduci poterat & sine quibus naturæ effectus in rebus corporeis non poterant commodè explicari. Sic enim ille de Deo diuinisque intelligentiis cælestes orbis mouentibus egit lib. 8. physic. & 12. Metaph. Ad id autem dæmonum varietas in elementari regione non videbatur ex legibus naturæ necessaria. Sed in cælo, ad conseruationem perpetuatemque vniuersi, solus Deus cum cælestibus intelligentiis poterat esse satis: & ad eos effectus speciales qui dæmonibus attribuuntur, sufficere videbatur proprietates humorum in nostris corporibus dominantium & insita quædam vis rebus cæteris nostra corpora circumstantibus. Per quæ omnia fortasse hic existimauit satis commodè explicari posse, illa omnia propter quæ priores philosophi dæmones p̄fuerant. Sicque eo loco quem superius citauimus ex libro de diuinatione per somnum, dixisse videtur, naturam esse dæmoniam: id est, vt ego suspicor, in natura bene ordinata, dependente ex cælestium orbium conuersione ab ipsis intelligentiis, eam vim ad omnia explicanda reperiri posse, propter quam alij ad dæmones cõfugerunt. Itaque varia philosophandi ratio quam in Platone & Arist. antea in præfatione obseruauimus, illud quoque effecit, vt de dæmonibus vtérque non sit eodem modo loquutus: vt quæ Aristoteles his non multum in vniuersa philosophia tribuerit. Quos tamen omnino aperteque improbare minimè ausus est, aut de eisdem contra veteres philosophos (sicut de rebus alijs permultis) ex professò disputatione instituere: quod fortasse vereretur ne publicam religionem ab Atheniensibus receptā & probatam offenderet. Sed de Aristotele satis: nunc Platonicorum & Christianorum sententiam de eadem quæstione expendamus. A quibus non tam ratione probatum est, quam pro rato positum, quod penè infinitis historiis abundè testatum videtur, dæmones esse: in hisque bonos quosdam, alios malos: bonos, vitæ humanæ moderatores esse & directores: malos eiusdem insidiatores & oppugnatores: qui aliquando bonorum speciem ementiuntur, vt facilius ipsis hominibus possint imponere, hósque suis artibus ad animorum interitum allicere. De communicatione hominum cum dæmonibus multa sunt apud Mercurium Trismegistum scriptorem antiquissimum. Eademque in veteribus Pythagoreis multorum historiis testata: & maximè à Philostrato in Apollonio Tyaneo: qui per hanc edidisse suis temporibus dicitur varia miracula, in quibus Hierocles hūc Christo æquare conatus est. Cuius impia opinio libro vno ab Eusebio est refutata. Atque Iustinus Martyr de eisdem interrogatus à Gentibus, quo à Christi miraculis differrent, quæstione 24. sic respondit. Conseruator noster Christus, inquit, pro diuina sua autoritate ac iure, mira inusi-

tarâque opera perficiens, nusquam materiam requirebat, sed imperiū eius ac prædictionem, res & sequebatur & sequuntur. Et res quidem quas Apollonius efficiebat, quoniam ex iure naturalium virium factæ sunt, ad functiones corporeas hominum non evertit Dominus: ipsum autem dæmona, qui in eius signo infidebat, & in diuinationibus homines decipit, faciebaturque vt Apollonius pro Deo coleretur, eique diuini honores tribueretur, eius extinctis diuinationibus mutum reddidit & vna cum illo cæterorum dæmonum, qui à gentibus Deorum nomine colebantur, potentiam evertit, quemadmodum res ipsa declarat. In quo argumento idem Iustinus adhuc versatur quaestione 26. Socrates autem apud Platonem in Theage, de suo dæmonio sic loquitur. Adest mihi, inquit, diuina quadam sorte dæmonium quoddam à prima pueritia me securum. Hoc enim vox est quedam, quæ cum auditur, eius quod sit, dissuasionem innuit: prouocat vero nunquam. Quod si quis amicorum aliquid mecum quandoque communicat veniūque vox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit, & cætera. Idemque studium exitit penè vniuersæ familiæ Platoniorum: eadem cum dæmonibus communicatio, per quam illi plerumque extra se rapi dicebantur, sicut colligi potest ex vita Plotini quæ à Porphyrio descripta est. In qua inter alia multa quæ ad hanc quaestionem pertinent, testatur Ægyptium quendam Sacerdotem Plotino proprium dæmonem Romæ ostendere voluisse, huncque ab illo inuocatum in æde Isis, quod hunc solum locum Romæ purum esse inuentum sacerdos ille diceret. Tūque cum proprius Plotini demō accerferetur, pro dæmone Deū accessisse: atque hoc conspecto, Ægyptium clamauisse. Beatus es ô Plotine, qui habeas pro dæmone Deū: neque ex inferiore genere ducem sis sortitus familiarem. Raptum verò mentis à corpore quater se in eodem Plotino animaduertisse, dum cum ipso versaretur, testis est idem Porphyrius in huius vita. Atque hæc quidem ex Platonis & Peripateticis: Christianis autem, de dæmonibus bonis & malis dubitare an sint, nefas. Quoniam ea res est in fundamentis religionis nostræ à Christo posita, eiusdemque factis & gestis confirmata, & in primis anachoretis qui circa tempora Diui Hieronimi extiterunt, infinitis exemplis in historia Sanctorum patrum, à Palladio discipulo Diui Euagrii, qui eorundem spectator fuit, testata. Vt iam inter nos querere an dæmones sint, & nū ea quæ illis attribuuntur, referri possint ad humores in humanis corporibus dominantes, aut ad occultas rerum naturalium proprietates, eorum esse videatur qui suis opinionibus Deum cælo, dæmones mundo deturbare conantur: quo vtriusque omni metu liberati, falsa opinione eademque omnium humanarum societatum perturbatrice, impune

ruant in omnia flagitia. In quo neque Hieronymi Cardani, neque Petri Pomponatij licentiam probare possum. Quorum ille lib. 16. de rerum varietate & 19. de subtilitate, postquam rationes varias collegit magna ex parte leues & philosopho prorsus indignas, quibus conatur efficere dæmones non esse, ad extremum suam audaciam, ne dicam impietatem, eo velare conatur, quod illa scribat non vt Christianus, sed vt philosophus. Mallet profecto duo hæc coniunxisset & vt Christianus philosophus de dæmonibus disseruisset. Alter verò, libro de incantationibus, ita videtur affectus, vt ad efficiendum vana esse argumenta ea, quibus Platonici atque Christiani impulsu videntur ad ponendos dæmones, scilicet propter admiranda plerumque opera, naturæ leges & causas excedentia: contra persuadere conetur in illis omnibus nihil esse quod commodè ad naturam referri nō possit, & per eiusdem principia explicari. In quo cum idem nostram religionem manifestè conuellere videatur, nobis credo illudens, ad extremū in ipsa peroratione subiicit, si quid in eo opere offendatur quod Sanctæ ecclesiæ Catholice aduerferet, vel eidem minus placeat, se illud totum reuocare, huiusque correctioni subiicere. Quid verò ab hac aliud expectare possit, quam vnam lineam à principio ad finem ductā? Atque cum infinita exempla sint, quæ testantur dæmonum magnam vim in aëre & aquis, in solitudinibus, in oraculis edendis, in somniis, in humanis etiam corporibus inuadendis & per certa interualla vexandis, contra quæ nulla philosophorum rationes quicquam virium habere possunt, Mirum illud est maximè quod ad religionis nostræ confirmationem non parum pertinet, Christi aduentu aut ipsos dæmones esse extinctos (si de his nonnulli erant mortales, de quo postea differetur) aut aliò se recepisse, quod in huius regno priorem auctoritatem non possent retinere. Refert enim Nicephorus Callistus cap. 17. lib. 1. historię ecclesiasticæ, Cæsarem Augustum post Christum natum, maximo sacrificio (quod Hecatombe dicebatur) Pythio Apollini instituto, quæsiuisse quem in Romano imperio successorem esset habiturus. Ac cum hic consultus nihil responderet, illum iterato sacrificio causam silentij scire voluisse: tūque ab Apolline sic esse responsum,

*Me puer Habrens, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristēque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

Quibus auditis, Cæsar, vt idem Callistus ait, in Capitolio aram construxit cum hac inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI. Idem de suis diis quæritur Porphyrius eo libro quo Christianam religionem exagitat, sicut refert Eusebius cap. 1. libr. 5. de Evangelica





præparatione. Nunc verò mirantur, inquit Porphirius, si tam multis annis ciuitas peste vexatur: cum & Æsculapius & alij dij longè absint ab ea. Postquam enim Iesus colitur, nihil vtilitatis à diis consequi possumus. Idémque etiã amplius colligi potest ex his quæ vno libro pluribus verbis disputat Plutarchus, de temporibus & causis quibus regnante Tyberio Cæsare oracula defecerunt. In cuius rei obseruatione cum maxima vis insit ad confirmationem religionis nostræ, quam etiã ab huius hostibus inuitis extorquemus, mirum est profecto inter Christianos, nonnullos existere qui huius rei fidem eleuare contentur. In quo dissimulare non possum me in Cardano pietatem maiorem requirere & in philosophandi licentia Christianam moderationem. Hic enim lib. 16. de rerum varietate, scribit, cum ante Pharsalicum bellum oracula deserint, non esse cur defectus eorum ad Christi natiuitatem transferatur. Nam & post Christum dedere responsa, inquit, sed, læsa, manca, omnino inutilia: & ante illum deserui cœperunt. Addit etiam eodem loco, quod Christo adueniente apertius quam antea hæc defecisse visa sunt, id forsitan ex eo accidisse quod tum Pythia cōfenuisset. Oratio, ita me Deus amet, neque philosopho ne Christiano digna. Addam verò ut istiusmodi homines vehementius commoueantur, virtutem hanc impediendorum oraculorum & dæmonum reprimendorum, à Christo non modo in huius discipulos viuos adhuc emanasse, sed in martyrum sepulchra crucisque signum: in quo maius quiddam elucet quam ut comprehendere possit naturæ legibus, quibus isti geniales philosophi nimium sunt additi. De priore nobilis est historia apud D. Io. Chrysostomum libro contra gentes, de Daphnis oraculo quod ferre non potuit vicinum sepulchrum Babylæ Martyris, neque eo illic extante, de rebus futuris respondere. In posteriore, exemplis infinitis abundamus. Quanto terrori sit dæmonibus crucis signum, inquit Lactantius, capit. 27. libr. 4. is sciet qui viderit quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas & malis incurisibus furias, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine magistri sui & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatum frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest dare cōsultus vates. Prophanæ etiã recentisque historiæ testantur, cum à Magellano Christiano ex America gygans quidam ad nos deduceretur, hunc, quem ille in principiis nostræ religionis instituens, sapius monuerat ut imprimis se signo crucis muniret, postea retulisse, dæmonem in cuius

potestate antea fuerat, horrenda voce præsentaneam mortem interminatum, si eo signo vti pergeret. Eoque se perterritum, illo signo vti non prius esse aulum, quàm ab illa insula, in qua dæmon plus posse videbatur, longo spacio separatus, morti se proximum sensisset. D. Athanasius in oratione contra idola, scribit post crucis aduentum omnem simulachrorum cultum summotum esse, omniaque dæmonum præstigia, hoc signo propelli. Idémque libro de humanitate verbi, ait signo crucis magica omnia reprimi, veneficia inefficacia reddi, idola vniuersa deserui. Apertius est quod eodem libro, superioribus subiicit, Olim, inquit, dæmonia inani specie ludibriisque rerum intricabant homines, in fessis alibi fontibus, alibi fluuiis, lapidibus aut lignis: atque ita præstigijs fatuos in stuporem agebant. Nunc verò cum apparuit Dei Verbum, spectra eiusmodi & ludibria imaginum cesserunt. Solo enim crucis signo vrens homo, dolos illorum à se propellit. De quo lubentissimè audio quædam nostra ætate ex Iudæis ad nos conuersum, sic philosophantem, Si quid dæmon in animum nostrum potest, id ad eius partem superiorem, quæ mens appellatur, nihil pertinere: sed ad eam quæ cum imaginatione cōmunicat, vel certè etiam ad ipsam mentem, quatenus hæc se ad imaginationem deiicit. Itaque hanc armandam esse contra omnes illius insidias, ea imagine in qua viget sempiterna memoria eius victoriæ, qua eodè deuicto nos Christus in æternam libertatem asseruit. Quanquam non solum interiori crucis meditationi ista vis inest, sed & eiusdem externo signo: quemadmodum & solenniibus quibusdam sacre scripturæ verbis cū pronunciat. Ex quo idem Athanasius libro de interpretatione psalmodum, colligit in sacris solemnia consuetæque scripturæ verba summa religione esse seruanda: nec pro illis alia (etiam si fortè idem significare videantur) esse usurpanda. Quod illa dæmonibus semper terrori sint, hæc plerumque ludibrio. Sed hæc de prima quæstione satis. De qua veteribus philosophis dubitare quidem licuit, nobis verò nullo modo: nisi simul de veritate Christianæ historiæ dubitare volumus, & ea euellere in quibus nostræ religionis firmissima fundamenta sunt posita. At modus varius secundum quæ dæmon ipse hominibus apparuit cum eisdemque sub varia specie versatus est, facit ut de quæstione altera, quid hic & qualis sit, nos etiam ipsi non immerito dubitemus. Calchidius commentario in Timæum Platonis, dæmonem definit animal rationis particeps, immortale, animo patibile, corpore æthereum. Apuleius autem lib. de Socratis dæmone, per paucis mutatis, eundem esse ait, animal animo patibile, mente rationale, corpore æthereum, tempore æternum. Est quidem ipsa intelligendi vis, in vniuersitate tribus gradibus distincta: in Deo summa & exemplaris: in homine infi-

Dæmo quid sit & qualis.



ma, & illius rudis quædam imago: in dæmone media. Atque eadem in Deo à corpore omnino separata: in homine, manifestè, vt sic dicam, incorporata: in dæmone ambigua. Quoniam mediorem eiusmodi natura esse solet, vt inter extrema, pro diuersa cum his cõparatione, ambigua naturæ esse videantur. Ex quo nata sunt veterum quæstiones de dæmonibus, an corporei. Origines cap. 1. lib. 1. de principiis, negat esse definitum vtrum dæmones sint incorporei: & si quando incorporei esse dicantur, id vult tantum per cõparationem esse intelligendum: quia constant corpore hoc nostro longè subtiliore. Eadem est sententia D. Augustini libro de natura dæmonum. Idemque cap. 10. lib. 3. de genesi ad literam, accommodatè ad eam definitionem quæ ex Apuleio citata est, dæmones appellat aërea quædam animalia. Quoniam corporum aëreorum natura vigent: propter aëre que eos morte nõ dissolui ait: quia praualet in eis elementum quod ad faciendum quæ ad patiendum est aptius. De quo tamen non satis definitam sententiã habere videtur cap. 23. lib. 15. & cap. 10. lib. 21. de Dei ciuitate. D. Hieronimus commentario in epistolam ad Ephesios, scribit quidem aëre esse plenum contrariis potestatibus, id est dæmonibus: sed non statuit an constant corporibus aëreis. D. Thomas cap. 91 lib. 2. contra gentiles, ex Origene refert nullã substantiam, excepta Trinitate, sine corpore posse consistere. Idem tamen in quæstionibus disputatis, post varias rationes in cõtrarias partes adductas, existimat probabilius videri illos nullum habere corpus sibi naturaliter vnitũ, quod scilicet ab horum anima informatum, faciat dæmonem vnumquemque, animal vnum, vt antea ex Calchidio & Apuleio dictũ est: etiam si non putet negari posse, ab vtrisque dæmonibus, bonis inquam & malis, humana corpora plerũque assumi, sub hisque eisdem frequenter apparere & nobiscum versari. Addit verò hos aliquando in sacris literis spiritus appellari, vt incorporei significantur: quando nobiscũ conferuntur: eisdemque attribui corpora aërea, vel atherea, quando ad Deũ referuntur. Quia vix aliter eorum naturã Deo inferiorem possumus intelligere. Et certè difficile est horum vel existendi vel, vt sic loquar, essendi modum, in rerum natura determinatum intelligere, nisi sub notione corporea definita, vel saltem in aliquo corpore definito. Atque hæc quidem sunt nobilissimorum Theologorum de hac quæstione dubitationes. Quibus adiicere possis quod Augustinus Eugubinus disputat lib. 8. de perenni philosophia, veros dæmones aereos esse: non solũ quia in aere vt in loco sibi familiari versantur, sed quia corpore constant aereo: hancque sententiã de malis dæmonibus potissimum intellectam, cum nostra religione maximè consentire: in qua familiare est hos ipsos, aërearũ potestati nomine exprimere. Quare

idem capite vltimo lib. eiusdem, indicat superiorẽ definitionem, quã ex Calchidio attulimus, de dæmonibus bonis, quos Angelos lucis nominare solemus, esse intelligendam: posteriorem verò Apuleij, de dæmonibus malis. Quo posito, vt aër sua tenuitate cum sit inaspectabilis, quia radiũ aspectus siltere non potest, quando densatur, aspectabilis efficitur: sic intelligi potest dæmones malos, præterquã quod assumpto corpore alieno plerũque efficiuntur non modo aspectabiles, sed palpabiles & tractabiles, in suo quoque corpore aspectabiles esse & inaspectabiles. Quia vim habet ad hoc rarefaciendũ & densandũ sufficientẽ. Ex quo etiã intelligi potest quo modo hi aëre agitent per eundemque; incredibili celeritate moueantur: hominibus adstet perpetui insidiatores: suãque aërea & spirituosa substantia, humanam imaginationẽ subeant & nonnunquam animali spiritui multos violentos motus afferant. De quibus postea disseretur. Atque hæc quidem de corpore dæmonis in duabus primis & principibus eius differentiis, hoc modo sint disputata. Vnde si quis colligat dæmones eiusmodi mortales esse oportere: quia omnis naturæ coagmentatio, qualem in his agnoscimus, est dissolubilis: id ex Platonis duobus modis videtur explicari posse. Priore quidem si dicamus ex Platonis Timæo, hos quidẽ naturæ lege dissolubiles esse, sed diuina voluntate ad sempiternum mundi ministerium, æternos conseruari. Quia maior vis est diuinæ voluntatis, quam legis naturæ, cui sunt obnoxij. Posteriore verò quod dissolutionis necessitas quæ corporum coagmentationi annexa est, pertineat ad patibilem corporum ipsorum naturã. Ideoque eisdem Platonis cœlestium animalium (de quibus antea dictum est) natura, quanquã coagmentata, indissolubilis tamen sit: quia eorũ corpus impatibile. At dæmonum Æthereorum corpus omnino impatibile est: Aëreorum verò vt antea dictum est, potius ad agendum quã ad patiendum cõparatum. De aliis autem inferioribus & imperfectioribus naturis, quæ dæmonis appellatione sunt etiam cõprehensæ, non idem statui potest. Nam Plutarchus libro de defectu oraculorũ, scribit certis temporum curriculis dæmones interire, eorũque vitæ nonies mille septingentos viginti annos esse tribuendos. Atque hoc ipsum ex eo confirmare conatur quod Thamo nauitæ cuidam Aegyptio in Italiam nauiganti, ex ipso mari edita voce imperatum sit, vt cũ ad paludes peruectus esset, nuntiaret Paña magnum esse mortuum: hocque cum ille fecisset, continuo ingens non vnus, sed multorum gemitus cum admiratione permixtus in aëre & aquis esset auditus. Addunt etiam nonnulli in Arabiæ solitudinibus non solum dæmones exaudiri, sed etiam videri: idque frequens esse, & penè quotidianum. In Mauritania quosdam esse candidos, alios atros, alios rubros. Sub-



terranei quoque quidam esse dicuntur quorum genus simplex non est, neque in eo omnes mali: præsertim si Georgio Agricola credimus extrema pagina libri de subterraneis animantibus, in quo testata vel etiam perspecta scribere videtur. Postremò, inquit, in subterraneorù animantium, seu, quod placet Theologis, substantiarum numero, haberi possunt demones, qui in quibusdam fodinis versantur. Eorù autè duplex genus est. Sunt enim truculenti & terribiles aspectu, qui plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius ille qui operarios duodecim amplius statu interfecit in specu, qui corona rosacea appellatur. Flatum verò emittebant ex rictu. Equi enim specie, habentis procerum collum & truces oculos dicitur visus. Eiusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius cavitatis, quondam feracis argenti, collocavit, non sine corporis attritu. Sunt deinde mites, quos Germanorum alij, vt etiam græci, vocant Cobalos, quod hominum sint imitatores. Nā quasi lætitia gestientes rident & multa facere videntur cum nihil prorsus faciant. Alij nominant virumculos montanos, significantes staturā quam plerumque sunt, nempe nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones & vestiti more metallicorum: id est vitato indusio & corio circum lumbos dependente, induti. Hi damnum dare non solent metallicis, sed vagantur in puteis & cuniculis: & cum nihil agant in omni laborù genere videntur se exercere: quasi modo fodiant venas, modo in vasa fundant, id quod effossum est, modo versent machinam tractoriam. Quanquam interdum glareis laceffunt operarios, rarissimè tamen eos lædunt: nec lædunt vnquā nisi prius ipsi cachinno fuerint aut maledicto laceffici. Atque hæc quidem varietas naturarum subterranearum manifesto corpore crassoque constantium & cum ipso homine in multis functionibus communicantiū, quæ mortales esse videntur. Addit verò D. Hieronimus in vita Pauli Eremitæ, Diuo Anthonio hunc Paulum per deserta quærenti, quendam apparuisse quem ait fuisse haud grandem homunculum, ad uncis naribus fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat. Qui à D. Anthonio interrogatus quis esset, respondisse dicitur in hunc modū. Mortalis ego sum & vnus ex accolis Eremiti: quos vario errore delusa gētilitas Faunos Satyrōsque & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis. Precamur vt pro nobis communem Deum depreceris: quem pro salute mundi venisse cognouimus & in vniuersam terram exiit sonus eius. Cuius quidem animalis corpus postea mortuum visum esse, D. Hieronimus eodem loco testatur. Quæ omnes naturæ in rationis vsu cum homine communicantes & ab

& ab eodem tamen multis rebus diuersa, si vt antea monuimus, dæmonis appellatione cōprehenduntur, facile animaduerti potest quā verè horum nonnullis palpabile corpus etiam ex quatuor elementis concretum tribuatur: ad hocque consequens mortalitas & interitus. At aliis durum visum est in philosophia, dæmonibus corpus inesse non straitibus sua concretionem simile: atque idcirco horù corpora tenuiora esse dixerunt, vno tantum elemento, aut duobus, vel ad summum tribus constantia. Quod etsi non sine ratione dictum videri possit de dæmonibus superioribus Æthereis, igneis & Aëreis: exagitur tamè à Iulio Scaligero in disputatione contra Cardanum, vt doctrinæ Peripateticæ minimè consentaneum. De qua quæstione vide Cornelium Agrippam cap. 19. lib. 3. de occulta philosophia. Psellus verò libro de dæmonibus, primùm vult horum naturam non esse sine corpore: sed corpus habere & versari circa corpora, illos tamen nonnunquam incorporeos appellari. Quoniam vt antea monuimus, ea sola corpora dicere solemus quæ crassiora sunt: incorporea verò quæ tenuia, & quæ aspectum tactūque effugiunt. Deinde addit dæmonum corpora quamuis ob tenuitatem inaspectabilia sint, attamen materialia quodam modo esse passionūque subiecta, præsertim eorum qui subterranea loca subiēre. Hæc enim adeò concreta esse vt tactui subiiciantur, pulsataque doleant & ad ignem accedentia comburantur: adeò vt horum quidam cinerem etiam relinquunt. Hos etiā aliquando genitalē semen emittere, ex quo pusilla quædam animalia oriuntur: eosdem nutriri partim aërea inspiratione, partim humore aëreo. Atque ex Marco quodam in dæmonum cultu exercitatissimo, commemorat eos non imperare nobis, sed spiritui phantastico multa suggerere (vt pote cum & ipsi spiritus quidam sint) quibus in varias partes afficimur: ac vt aër præsentē lumine colores & formas excipiens, traducit in illa quæ naturaliter possunt accipere, sicut apparet in speculis rebusque quasi specularibus: sic & dæmonica corpora suscipientia ab ea quæ intus est, essentia phantastica, figuras atque colores & quascunq; ipsi voluerūt formas, in ipsum animalē nostrūque spiritū trāsmittere, multū nobis negotij facere, volūrates & cōsilia suggerētes, formas subindicātes, suscitātes memoriā, voluptatū ceterarūque passionū simulacra frequēter concitātes, vigilāribus atque dormiētibus. Cui quidē Marco cū Psellus (vt ipse eodē loco refert) obiecisset, nonnullos medicorū sectatores, asserere passionē eiusmodi non esse effectus dæmonū, sed humorū vaporūque malè se habentium, ideòque illos pharmacis & diætā, non carminibus incantantium, expiationibusque horum curationem aggredi: tum illum respondisse idem ait, minimè mirum videri debere si hæc medici dicerent: vt pote qui nihil nouerint præ-

An quæ dæmonibus attribuntur, ad humores referri possint.



ter sensum, sed corporibus tantum incubuerint cognoscendis. Quorū hac in parte errorem eodem loco declarat historia mulieris cuiusdam quæ cum à dæmone teneretur, harmenicè loquebatur, & si ipsa Harmenios vidisset nunquā, neque domesticis finibus esset egressa. Simile verò est quod expertum se testatur Io. Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis in nobilissimo quodam Gallo, qui inter nationis nostræ Episcopos mihi notus fuit, & quandiu uixit, morum integritate bonis omnibus charissimus extitit, nupérque vita functus est. Hic à dæmone trium mensū spacio vexatus, à nobilibus medicis (inter quos Fernelius illi operam dabat assiduam) propter frequentes conuulsiones quibus corripiebatur, curatus est ut epilepticus. Tandem verò, inquit Fernelius, depræhensus est dæmon quidam mense tertio, totius mali author, voce insuetique verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ græcæ laborans esset) se prodens. Is multa assidentiū maximèque medicorum secreta detegebat, tidens quod eos magno periculo circumuenisset, quòdque irritis pharmacis corpus hoc penè iugulassent. Quoties laborantem pater inuisebat, is procul à conspectu inclamabat, appellentem hunc arcete & ab ingressione propulsate, aut torquem è ceruicè detrahitte. Ex hoc enim, ut Gallorum torquatis equitibus est in more, Diui Michaëlis imago propendebat. Si sacra diuinæque verba coram legebantur, ferocius subsultabat & inhorrescebat, Quū intermissio erat ferociæ, laborans in quiete omnium meminerat quæ inuitum se protulisse fatebatur & dolebat. Ceremoniis & execrationibus compulsus dæmon, negabat se crimine damnatum, & spiritum se nuncupabat. Interrogatus quis esset, aut quo modo & qua hæc potestate moliretur, dixit multa esse intus domicilia in quæ se recondat, & in quiete ad alios cōmigrare: se in hoc corpus iniectū à quodā cuius nomē non efferret, à pedibus ingressum in regia, & à pedibus egressurū quū præstitutus dies aduentarit. De aliis non paucis diserebat, quæ etiam ex aliis dæmonum laqueis irretitis interdum audiri solent. Neque hæc, inquit idem Fernelius, ut noua profero, sed ut constet dæmones aliàs intro subeuntes in corpus, id ipsum variis & inauditis interdum modis lacessere: aliàs non intro subire, sed vel vtilis corporis humores exagitare, vel noxios in principes partes traducere, vel hisce venas aliòsque ductus obstruere, vel instrumentorum structuram permutare, quibus ex causis innumeri morbi sunt. Quorū dæmones authores sunt, scelerati perditique homines ministri: omnisque eorum trans naturam est ratio. Atque hæc quidem Fernelius, cuius hac in parte minimè suspectum testimonium esse debet. Sed quoniam nostræ ætate contra huius fidem, qui illi in eiusmodi affecta medicinam fecerat, quidam ista om-

nià ad vim humoris referre conati sunt, sicut & ea quæ nuper contigerunt in agro Laudunensi, in ea muliere quæ à dæmone per multos menses, statis tamen interuallis & manifestis intermissionibus, fatigata, quia multa loquebatur & faciebat quæ ad nostræ religionis confirmationem valde pertinebant, ad humorem quoque referenda esse nonnulli medici voluerunt: quem per vsum Antimonij purgare conantes, in illam mulierem nouam carnificinā exercuerunt, horum rationes nobis obiter hoc loco sunt consideradæ: ut habeamus quod eis opponamus qui, ut antè dixi, istiusmodi opinionibus Deum cælo, dæmones mundo deturbare conantur: quo vtrinque omni metu liberati, falsa persuasione eadēque humanarum omnium societatum perturbatrice, impune ruant in omnem licentiam. Leuinus Lemnius cap. 1. lib. 2. de occultis naturæ miraculis, rectè quidem proponit spiritus aëreos & dæmones in hominum corporibus solere se humori melancholico, sicut & in aëre ipsis tempestatibus, immiscere. Sed capite 2. in eo mihi peccare videtur quod à dæmone aut spiritu teneri negat, qui alienam linguam personant quàm nunquam didicerunt: quodque id illis solius humoris melancholici vi contingere posse arbitratur, excitatis, ut ait, animi notionibus: quas idem ingenitas esse ex Platonis Menone & Phedone arbitratur, ac disciplinam nostram vitæ tantum superioris recordationem esse. Quo posito, vult vi morbi melancholici animam concuti, spiritusque efferuescentes, voces inauditas sermonemque antea prorsus incognitum, simul cum illis notionibus ingenitis excitare. At ille non animaduertit quod ex Platone ponit de notionibus ingenitis, nostræ religioni esse contrarium, sicut postea suo loco disseretur. Deinde etiam si hoc concedatur, tamen apud Platonem rerum tantum notionem esse ingenitas, quarum recordatio etiam vi spirituum concitatorum fortasse possit excitari: vocabulorum tamē (etiam apud ipsum Platonem) nullo modo possit. Quid enim in his ingenitum videri potest, cum Platonici, sicut & ceteri philosophi, fateantur sermonem omnem ab hominibus esse institutum: nihil in eius significatione naturale esse: nisi forte, ut antea dictum est, quatenus in ipsa vocabulorum significatione instituenda, naturæ rerū quibus illa imponuntur, ratio quo ad potest, habenda est. Itaque etiam si homini furenti, fortasse possit vi morbi excidere vocabulū vnum & alterum, quod ad eam linguam pertineat quam antea nunquam didicerit (hoc enim ebriis accidere, nonnunquam videmus) at certè sermonem incognitum perpetuare non poterit. Quod de dæmoniis ex Psello & Fernelio antea retulimus. Memini quidem Aristotelem problemate. 1. Sectionis 30. hoc ad humorem melancholicum referre esse conatum. Multi, inquit, incalescente



humore melancholico, quia color ille sedi mentis vicinus est, morbo vesaniæ implicatur, aut instinctu Lymphatico efferuescunt: ex quo sybillæ efficiuntur & bacchæ & omnes qui diuino spiraculo instigari creduntur: cum videlicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit. Sed in quæstione proposita multa illi naturæ genio condonanda sunt, quæ in philosopho & medico Christiano nullo modo sunt ferenda. Quanquam & hic Leuinus habet aliquot exempla veterum & recentiorum quibus se suumque errorem potest tueri. Nam Petrus de Apono, qui conciliator à medicis cognominatus est, Commentario in idem Arist. problema, testatur se multos vidisse qui quanquam pro dæmoniis haberentur & pleræque facerent humanas vires superantia, tamen atra bile purgata, omnino curati sunt sanæque menti restituti. Et Petrus Pomponatius libro de incantationibus, vidisse se ait Mantuæ uxorem cuiusdam Francisci Magreti sutoris quæ eodem morbo correpta, cum loqueretur secundum diuersa idiomata, à Galgerando medico perfectè sanitati restituta est. Adidit quoque Cardanus ex Erasmo, in Encomio medicinæ, à Calcerano quodam medico, postquam dæmonico Germanicè loquenti, qui antea nunquam eam linguam didicerat, potionem dedisset cuius vi hic magnam vermium copiam deiecerat, eundem statim liberatum esse & integro mentis habitui restitutum. Ex quo idem Cardanus concludit, dæmones morbos esse, sed occultioris cuiusdam naturæ. Quæ omnia vt his concedamus quorum testimonia in quæstione proposita, multis de causis nobis valdè suspecta esse debent: minimè tamen efficitur quod vult Leuinus Lemnius, neque euertitur quod hoc tempore defendimus. Quoniam non docetur quo modo humor melancholicus sermonem antea homini omnino incognitum, possit in hoc sine vlla disciplina excitare. Atque superioribus exemplis, si modo vera sint, responderi potest, dæmonè humore melancholico delectatum, cum eodem vi medicamenti deiecto, sua sponte cedere: vel etiam fingere cogi se ad cedendum medicamento, vt hominibus facilius imponat suamque naturam magis occultet, aut modum eum secundum quem in nonnullorum hominum animis regnat. Itaque cedit aliquando medicamenti, aliquando verò resistit & in his propinandis medicorum diligentiam irridet: quem admodum nonnunquam leuioribus execrationibus deiecit: aliàs vero vel omnium maximis resistit: atque causatur se nescio quod prestitutum tempus expectare: sicut notari potest in historia quæ ex Fernelio paulò ante commemorata est, & in altera quæ nuper edita de muliere Laudinensi energumena. Quis verò Christianus hanc instantiam in eo mirabitur, quem omnes sciunt patrem esse omnis in-

constantie atque mēdacijs? Vnum illud mihi maxamè ratum est, quod placet Pomponatio capite 7. lib. de incantationibus, etiam si in multis alijs quæ ad hanc quæstionem pertinent, non satis piè sentire videatur. Quod multi literarum ignari, inquit, græcè & latinè linguisque alijs diuersorum idiomatum loquuntur, certè philosophi nihil ad hoc afferre possunt quod verisimile sit. Quare necessarium est ad Deum, ad Angelos, ad dæmones recurrere. Ego certè facilius crediderim scientiarum vel maximè abditarum, perfectam cognitionem in homine sine huius studio & labore, sola vi humoris melancholici posse excitari: quam facultatem loquendi græcè, in qua nunquam se antea exercuerit. Adde quod si humor melancholicus sermonem antea omnino incognitum excitaret, in iis quos à dæmone teneri existimamus, excitaret certè necessariò interueniente naturali motu instrumentorum ad vocis formationem destinatorum. At hi plerumque loquuntur non modo lingua immota, vel in mentum prominente: sed ore omnino occluso. An etiam hic melancholicus humor efficiet vt homines clausis oculis & sine vllò lumine naturaliter videant, aut vt ipsa terrena corpora contra naturalem suam grauitatem, nulla externa vi apparente, sursum efferantur. Improbabiliora sunt profecto ista omnia quam vt à philosopho quantumuis acuto, per naturales causas probabiliter possint explicari. Quanquam in his non dubito quin humores variè in nostro corpore dominantes, varias animi propensiones gignant: ex quo mores animi corporis temperationem sequi vno libro Galenus disputat & Arist. docet initio physiognomiæ. Atque etiam facilè concedo passiones eiusdem animi natas ex talibus propensionibus, magnam habere vim in nostris corporibus immutandis: vt in amore & mœrore atque in vehemēti lætitiā animaduerti potest: quæ nonnunquam hominibus mortem afferunt. Imo solam imaginationem tantum habere potestatis (humores scilicet simul cum ipsis spiritibus cōcitando) vt non solum effectus varios supra communem naturæ ordinem excitet in eo corpore in quo viget, sed etiam in alieno. Nam nonnulli solo medicamēti aspectu purgantur: alij sola opinione quam de medico conceperunt, sanantur: atque ipsius matris in conceptu imagines variæ attentius animo comprehensæ, fœtui notas eas imprimunt, quæ etsi frequentissimè inter homines spectentur, difficilem tamen habent explicationem: sed quæ in naturalibus causis abditis tota est posita, non ex dæmonibus repetenda: nisi fortè quatenus natura ipsa, vt ex Aristotele paulò antea diximus, dæmonia est, præsertim in eiusmodi causis quæ huius communè ordinē nō excedūt. Quid igitur de motibus, vel effectibus qui à dæmone manant, nobis erit constituendum? Aut quo tandem hi à



motibus effectibusque Dei & naturæ distinguendi. Dæmon bonus semper est Dei minister in natura dirigenda atque perficienda. Ideoque nulla vnquam in re Deo aduersatur, neque verò omnino ipsi naturæ, quam conseruare studet potius quam labefactare. Etiam si, Deo ita volente, multa præter supraque naturam excitet, nõ ad huius subuersionem, sed ad vtriusque, Dei inquam & naturæ, maiorem exornationem. Dæmon autem malus Dei naturæque inimicus est: Dei tamen naturæque in plerisque imitator: non quod horum imitatione ipse perfici velit, aut naturam perficere: sed vt hac arte hominibus imponat hõsque à naturæ obseruatione, Deique cultu, ad sui venerationem traducat: in quo affectati ab eodẽ imperij summa consistit. Hæc varietas, homines eruditos rerumque naturalium cõtemplationi deditos, ea quæ à Platoniceis & Christianis attribuntur dæmonibus, sedulo obseruanres & cum operibus Dei atque naturæ comparantes, in diuersas cogitationes distrahit: facitque vt his nonnunquam probabilis videatur Aristotelis opinio, qui in causis mouentibus atque efficientibus Deo & natura contentus est. Quoniam effectus dæmonum propter Dei naturæque imitationem, ad quam hi magna ex parte se componunt, ad alterum illorum satis commodè videntur posse reuocari. Nonnunquam verò eadem obseruatio efficit, vt qui melius affecti sunt, experientia ad rationem accedente nostræque religioni consentiente, agnoscant horum opera esse pleræque, in quibus Deum & naturam atque etiam artem frequenter imitetur, vel potius ementiantur, vt sub horum falsa specie hominibus imponant. Rectè enim dictum est à Io. Tritemio, in quæstione de admirandis operibus infidelium, dæmones in cognitione rerum naturalium hominibus longè superiores, per harum vires quæ adhuc nobis sunt incognitæ, multa posse, multaque perficere quæ hominum artem quidem superant, & tamen naturæ facultatem non excedunt. Quo modo ab huius ministris plerique morbi curantur naturalibus fortasse medicamentis, sed quorum vires adhuc hominibus incognitæ, neque horum arte inuentæ. Nam si homines, inquit ille, in occultioribus naturæ mysteriis exercitati, quadam abstrusa cæteris, applicatione materiæ ad formã, inconsuetos & admirandos producunt effectus, sicut ex rore cæli naturales formare anguillas, ex vitulinis carnibus apes, ex quibusdam radicibus herbarum, serpentes & his multa similia, ne dicam maiora, sicut nos in plerisque probatio fecit expertos, quis neget dæmones subtilioris naturæ & maioris experientiæ, plura posse operari naturaliter miranda, quæ nulli hominum sunt manifesta? Atqui sicut in his aliisque permultis eiusmodi aliquid est naturale, hominibus tamen incognitum, quo dæmon abutitur vt nos in sui admirationem rapiat:

sic alia pleræque sunt quæ nihil habent in operandi modo naturale, sed vana tantum superstitione animos replent, & tamen suos effectus naturæ legem excedentes, nonnunquam producunt: vt hoc modo credulis hominibus facilius imponatur, horumque animæ arte eiusmodi delusæ, à natura Deoque auocentur & ad hunc Dei naturæque hostem se adiungant. Qualia multa licet commemorare, sed hæc imprimis: annulum in die Parasceues, dum sacra celebratur, ex quouis metallo confectum, quem qui gestant in digito minimo proximo, qui ad cor creditur pertinere, nunquam spasmo dicuntur corripit: conceptis verbis hisque plerumque nihil omnino significantibus: aut quarundam herbarum contactu portas arctissimè oclusas ab improbis frequenter aperiri: characteres etiam, & sigilla ad cæli aspectum efformat, a hæcque ex collo pendentia, quæ incredibiles effectus circa humana corpora dicuntur excitare taliæque alia permulta quæ adiciuntur à Fernelio libr. 2. de abditis rerum causis. In quibus omnibus nihil esse puto, quod ex Aristotelis doctrina ad Deum vel naturam referri possit. Quanquam memini quædam in hac arte, sicut audio, mirabilem, à me aliquando interrogatum de causis virtutum, quæ inesse dicuntur istis sigillis ad cæli aspectum insculptis, aut efformatis, respondere ausum, fieri hæc exemplo Serpentis ænei à Mose effecti, cuius intuitu qui à serpentibus igneis vulnerati erant, curabantur. In quo, dicebat ille, non maior philosophis in visu, quam in sigillis ex appensione & contactu vis actionis appareat. Capitalis sanè responsio quæque pæna potius quam contraria disputatione coercenda. Quam ego lubens remitto ad Cornelium Agrippã libro Retractationum, capite de Cabala. Ex quibus omnibus hoc quoque iam aliqua ex parte intelligitur, quantum potestatis in hominem dæmones habeant in eaque omnia quæ mundo continentur: de quo seruata superiore dæmonum distinctione sic videtur esse cõstituendum. Dæmones bonos in cælo & terra potestatem habere, hoc ipso quod in vniuersitate naturæ diuinæ voluntatis semper sunt ministri: nec vlla in parte ab hac vnquam recedunt. Atque circa hominem quicquid molliuntur, id ad eiusdem priuatam, vel certè ad publicam salutem referunt: in omnibus Deo semper inseruiendo & eos quibus vel præsent, vel custodes dati sunt, ad eundem dirigendo. Idque quoniam, vt docet Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus, in his maximè expressa est Dei, vt ipsius boni, proxima imago, quæ non potest nisi ad ipsum bonum dirigere, aut vilius mali esse particeps: si quidem & ipsa ad Deum semper est conuersa. Quod vt illi perficiant, nobis adesse solent variè & multipliciter: nonnunquam assumptis humanis corporibus, vel potius sub horum aliqua imagine: aliquando verò in nostram imagina-



tionem influendo, vel etiam in ipsam mentem: hanc ad Deum semper excitando, vel nonnunquam extremo summoque contemplationis munere, à corpore ad certum aliquod tempus eandem rapiendo. Sic enim hi non modo apud Christianos Theologos, sed & apud Platonicos præesse dicuntur animorum nostrorum purgationi quæ ad partem inferiorem pertinet, & directioni mentis quæ post purgationem in Deum excitatur & huius quasi colloquio fruitur. Hinc in nostra religione in vitis bonis & piis exempla frequentia prophetiarum & raptus mentis, vt in D. Paulo ad tertium cælum. De quo vide Marsilium Ficinum Platonice philosophantem lib. 2. Epistolarum. Dæmones autem qui mali appellati sunt, à Deo auersi, ad se verò & ad hæc inferiora cõuersi, cælo deiecti sunt: Ideoq; in illo omni potestate operati, in terra totòque inferiore mundo, qui sub luna est, summum imperium affectant: de quo non tantum cum ipsis angelis, sed cum Deo Optimo Maximo quodammodo decertant. Quare quicquid in eodem inferiore mundo Deus præstat, siue secundum naturæ ordinem, siue supra hunc, idem posse, illi videri volunt. Vt verò videantur, falsis rerum imaginibus, Angelorum Deique opera imitantur: atque ita conantur homini imponere huncque à Deo abducere & ad sui cultum allicere: in quo sciunt Deum tanquam in expressa sui imagine, sibi maximè placere eiusdemque in cælum ascensum per vitæ integritatē sinceramque religionem imprimis expetere. Itaque cum carminum incantamentorumque omnium vis, sit ab hoc posteriore dæmonum genere, eam in elementari regione quantumvis facile concedam, in excitandis aëris & aquæ tempestatibus, in terræ fructibus impediendis, in hominum valetudine in vtramque partem, sed magis in deteriore, afficienda. Sed illud non omnino concedam quod à Vergilio dictum est,

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam. Vel ab alio poëta,

Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi:

Nisi forte quatenus in his, dæmon humanis sensibus potest imponere, sicque consequi vt cum circa cælestia nihil horum reuera præstiterit, præstitisse tamen videatur, quo sui maiorem admirationem exciteret. Caterum in hominem magnam potestatem habet: nisi hæc à Deo Deique spiritu & angelo coerceatur. Nec verò solum in huius corpus resque externas, sed etiam in animum: quanquam in hunc non sine certa distinctione, quæ nobis hoc loco consideranda. Nam cum huius pars vna sit superior, cuius propria ratio & intelligentia, altera inferior quæ per sensum & imaginationem cum corpore communicat, in posteriorem permultum potest, in priorem omnino nihil, nisi hoc ipso quod mens & ratio se nonnunquam ad imaginationem ab-

iiicit

iiicit, huiusque moribus obsequitur. In quo posita est eiusdem dæmonis contra hominem victoria. Ipsam verò humanam imaginationem variè aggredi solet. Nonnunquam quidem humanum corpus assumendo, vel huius falsam speciem sub qua cū hominibus familiariter versatur: cum eisdemque (quibus sub hac imagine aspectabilis est) colloquendo, multa imponit, deinde cum vult se ex aspectu subducit: aliàs vero nullo corpore alieno assumpto sed suum modo densando, modo rarefaciendo, eidemque quamlibet figuram, etiam belluarum abiectissimarum, affingendo: quæ quidem res eius facultatem non excedit. Talisque videri possunt septem illi quos Facio Cardano patri suo apparuisse refert Hieronymus Cardanus lib. 19. de subtilitate. Qui se Auerroistas prædicabant & de animi immortalitate interrogati, affirmabant nihil esse quod cuiquam proprium post vitam hanc superesset: vt fortasse hac nefanda opinione, Cardano in eadem proposito gratificarentur, vel certè in ea regnum suum stabilirent, quæ nihil est ad oppugnationem Christianæ religionis accommodatius. Aliquando etiam in humano corpore humanam sexus distinctionem ementiendo, vel reuera hanc assumendo, modo cum sceminis, modo cum maribus suo concubitu permiscetur: ex quo, vt antea dictum est, quidam incubi, alij succubi appellantur: sicut nobilibus historiis testati sunt Palladius discipulus Diui Euagrii, in vita sanctorum Patrum qui vixerunt temporibus DD. Anthonij & Hieronymi, Alexander ab Alexandro libris de diebus Genialibus & Hieronymus Cardanus lib. 16. de rerum varietate. Est & alius modus superioribus omnibus longè frequentior, quo ille qui suapte natura spiritus quidam est, nulla corporis imagine extrinsecus assumpta, se ipse in hominis spiritum, quem animale vocant, insinuat, non solum dormientis, sed etiam vigilantis: eiusdemque imaginationi falsas apprehensiones persuasionesque de ipso bono atque vero suggerit: quibus mentem sollicitas hanc auocare conatur à vera cognitione cultuq; Dei, in quo est ipsum bonum ipsuq; verum. De quo valde mihi placet quod à Marsilio Ficino dictum est in epistola quadam li. 10. quæ hoc loco describam: quoniã breuissima est & ad id de quo nunc agimus, maximè accommodata. Deus veritas est & bonitas, inquit, ideòq; omnia ex veritate & bonitate composita. Res enim quælibet quantum in integra sui puritate, id quod à Deo facta est permanet, vera denominatur. Quatenus verò aliis conducit, ad aliquid bona aliis nuncupatur. Item quatenus intra se aliud sui conducit ad aliud, bona sibi. Impressit autem Deus veritatem rerum, verisimili quasi nota: bonitatem verò voluptate perfudit quasi esca: vt occulta cuiusque veritas per imaginem verisimilem indagaretur: ac demum per omnium veritatem Dei veritas. Rursum vt per vo-

CCC



luptuariam escam singula ad bonum per se latens alliceretur: perque bona omnia, ad Dei bonum. Cum verò demon inuidus, Deum partim verisimili nota, partim bonisimili esca, ad se trahere cuncta contueretur, machinatus est tanquam diuinitatis æmulus, qua potissimum ratione ipse similiter omnia ad se traheret. Itaque notam verisimilem & boni similem escam ad diuinæ illius expressit similitudinem: adhibuitque tum illam falso, tum hanc malo. Quo fit ut per illam mentes ad falsum, per hanc affectus trahat ad malum, ac denique ad se ipsum. Ipse enim cum à diuina veritate bonitæque quasi rebellis & alienissimus sit, falsitas quædam est atque malitia. Atque in iis quidem falsis rerum imaginibus, inferiori animi parti suggerendis, malorum demonum potestas maximè communis est posita. In qua exercenda circa ipsas imagines, quas hominum cogitationi obiecturi sunt, delectû adhibent pro maiore minoræque naturæ propensione ad res varias in his quorum rationem & mentem per illas inescare conantur & de suæ dignitatis gradu deiicere. Itaque hac sua potestate viros bonos & malos exercent, quanquam non pari facilitate: neque in vtrisque eodem effectu consequente. Etenim cui in nostra religione permanenti, dubium esse potest quin virorum piorum in solitudine viuentium, summa vitæ asperitate animum purgatiuum, & ad ascensum in cælum preparatiuum, impura de Venere somnia, quæ nulla præcessit eiusmodi cogitatio inter vigilandum, ab istis dæmonibus in illorum imaginationem hoc modo immittantur? In quibus, ut ait Iustinus Martyr quæstione 21. à Gentibus posita, quanquam eo non peccent quod ista somniant (quia ut id effugiant omnino non est in eorum potestate) si tamen somno excitati in illis sibi placent, hoc ipso certè peccant: ad quod dæmon eosdem sollicitat cum eiusmodi somnia immittit. Ergo ut Dei spiritus, dæmonque bonus, vel ut Platonici loquuntur, prima mens, aut externus intellectus agens, nobis semper adsunt suoque lumine nostram cogitationem illustrant: mentè supra sensilia excitant, imo hanc aliquando à sensilibus & corporeis omnibus ad se rapiunt, perficiuntque ut nonnulli post maximam partis inferioris purgationem, rapti extra se iam non suo spiritu sed diuino agi omnino videantur: sic dæmon malus peruersis imaginibus eandem cogitationem implere conatur, ad hancque illis imbutam mentem deprimere, & de cælestibus ad terrena caducaque deiectam ad se rapere, quam postea ipse suis motibus agat. Idemque diuinos honores nonnulla nihil significantia, quibus coli vult fingitque se allici, atque adeò cogi: imo horum pleræque ex iis sacris deriuata quibus Deus diuinique spiritus coluntur ac nobis conciliantur: sed rebus nefandis accommodata: ut hac

arte homines vana superstitione impleat & in dubitationem de vera religione inducat. Atque hic nonnunquam tranquillioribus motibus minusque extrinsecus apparentibus, humanam cogitationem sollicitat, aliquando verò violentioribus: qui in corpore quod ille occupat, manifestè deprehenduntur, per ea scilicet quæ ab ipsius corporis natura aliena sunt, vel etiam eidem omnino contraria. Sic enim in Sybylla, ut est apud Vergilium Æneidos 6. cum à dæmone in suo antro corripiebatur,

*Non vultus, non color vnus,
Non compta mansere coma, sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata numine quando
Iam propiore Dei. Et paulo post.
At Phæbi nondum patiens, immans in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premo.*

Sic quoque energumeni per certa interualla dæmone correpti, miris modis naturam excedentibus & tamen inter homines manifestis, vexantur. Quibus quanquam negari non possit quorundam astu ad imponendum multitudini, nonnulla esse adiecta: sunt tamen eius rei penè infinita exempla quæ inter Christianos tam certæ fidei esse debent, ut de his nemo dubitare possit nisi qui eadem pietate, religionis nostræ fundamenta prima in quæstionem voluerit reuocare. Circa eadem verò hoc mihi admirandum esse videtur, quod plerumque malus dæmon, hominum inter cæteros non omnino improborum, imo in communibus vitæ officiis inter suos optime audientium, corpora sic inuadit statisque interuallis diuexat, quodque si attètè consideres, magiæ species omnes & in singulis ceremonias quibus ille à suis ministris allicitur, vel cogi se fingit ad respondendû de interrogatis, in illisque maximè speciem eam quam à diuinitate Theurgiâ nominat, deprehendes eundem per ea inuocari, quæ magna ex parte de nostra religione deprompta sunt: his tamen accommodantur quæ in eadem religione sunt omnino detestanda: atque etiam pleræque eorum quibus à suis allicitur, sacrorum nostrorum ministris esse potentissima ad hunc de humanis corporibus Dei imperio deiiciendum. An horum diuinitate à nostris reuera expellitur eisque cedere cogitur? A suis verò per eadem, sed cum aliis multis permixta, fingit se allici, ut hominum animos vana superstitione impleat, adducatque in aliquam dubitationem de rebus his quarum veneratione & cultu valdè offenditur? Eiusdem in illo fraudulentæ artis est, quod ut libris quibus ista



necromantica & malefica continentur, maiorem auctoritatem conciliet, per suos persuadere conatur hos à viris optimis & sanctissimis esse conscriptos. Ad quam rem confirmandam non alio auctore vtar quam Cornelio Agrippa, cuius nomen hac in parte valere debet plurimum. Hic verò sic scribit in libro retractationum de magia capite de Goetia & Necromantia. Hodie adhuc confictis titulis, inquit, circumferuntur libri sub nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abrahamæ, Salomonis: item Pauli, Honorij, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi & Eboracensis cuiusdam, quorum nugæ stultè secuti sunt Alphòsus & Castelia, Robertus Anglicus, Bachon & Apponus & plerique alij deplorati ingenij homines. Præterea non homines modo & sanctos & Patriarchas & angelos Dei tam execrabili dogmatum fecerunt authores, sed & libros à Raziæ & Raphaele, Adami & Thobia angelis traditos ostentant. Qui libri tamen acutius inspicienti suorum præceptorum canonem, ritum, consuetudinem, verborum & characterum genus, extractionis ordinem, insulsam phrasin, apertè se produnt non nisi meras nugas & imposturas continere, ac posterioribus temporibus ab omni antiquæ magiæ ignaris, perditissimis perditionum artificibus esse conflatos, ex prophanis quibusdam observationibus, nostræ religionis ceremoniis permixtis, insitisq; ignotis multis nominibus & signaculis: vt perterreant rudes & simplices & stupori sint insensatis, & his qui nesciunt bonas literas. Ad hæc vero omnia quæ de dæmonum potestate dicta sunt, illi rerum earum quæ ad nos pertinent cognitione indigent: eaque non modo præsentium & præteritarum, sed etiam futurarum. Quæ qualis in eis sit & quousque progrediatur, nunc nobis est inquirendum. Quoniam istud ex iis omnibus quæ initio de dæmonibus proposita sunt, videtur esse reliquum. A Deo qui summa est ratio eademque Platonice exemplaris & idealis, dæmones hominesque sic procreati sunt vt in vtrisque summæ illius & exemplaris rationis imago quædam sit expressa, sed non eodem gradu. In dæmone enim ab initio expressus est rationis & intelligentiæ actus, per ingenitum lumen, quo præsentè & in suo actu vigente, ille semper intelligit nec ad intelligendi principium notionibus nouis indiget, beneficio ipsius imaginationis excitatis. In homine autem ingenita tantum est ad intelligendum facultas, quæ vt in suum actum excitetur, tempore opus est quo notionem per cõparationem singularum imaginum efformetur eademque beneficio, superioris luminis illustratur. Ex quo accidit vt homo non intelligat, nisi cū discursu cogitationis per eas imagines quarum initia hausta sunt ex sensibus: vnde & error multiplex in huius cognitionem potest cadere: quoniã multa sunt quæ eiusmodi discursum

*Qualis in dæmonibus re-
rum cognitio.*

perturbant & impediunt. Dæmon autem sine hoc discursu intelligit, per præsentem actum luminis ingeniti: in cuius fruitione sunt ea posita quæ eiusdem naturalia à Theologis appellantur: quibus ne dæmon quidem malus orbarus est, cum propter peccatum cælo deiectus. De qua quæstione vt sobriè philosophemur, in re maximè difficili & lubrica, lubens insistam vestigiis D. Thomæ in opere quod inscripsit de quæstionibus disputatis. Hic articulo sexto, quæstione de dæmonibus, in Angelo & dæmone malo, de hac re sic statuit. In Angelo qui dæmon bonus antea appellatus est, ex naturæ proprietate re ipsa inesse perfectam cognitionem omnium eorum ad quæ cognoscendi facultas naturæ viribus potest peruenire: neque tamen eum more humano progredi discurrendo à principiis ad conclusiones multoque minus ab imaginibus rerum per sensum obseruatarum, ad notionem vniuersas, quod fieri necesse est in ea humanæ cognitionis parte quæ *discursiua* nominatur. Ex quibus concludit circa omnia quæ huius naturalis facultati cognoscendi subiecta sunt, eum errare non posse: Idemque statuendum esse de dæmone malo, quandiu permanet intra fines eos qui ad rerum cognitionem huic quoque sunt ab opifice & moderatore rerum omnium Deo constituti. Quoniam huius peccato, propter quod cælo deiectus est, naturalia deprauata non sunt, sed integra permanserunt: etiam si Dei aspectu priuatus sit eoque lumine quod per gratiam influens, in angelo siue in dæmone bono ad naturalia accedit. Alia verò cognitio est, quæ vtriusque naturalia excedit hæcque, vel dirigitur lumine gratiæ ab ipso dei influente: vel ipsorum naturalium accommodatione ad ea quæ supra naturam sunt. De qua in vtrisque dæmonibus non est eodem modo statuendum. Nam in bonis lumine gratiæ multum est quod influit, neque tamen idem in omnes, neque semper eodem modo: sed prout Deus se illis aperit & in se detegit res eas quæ horum naturam excedunt. Ex quo accidit vt neque semper eam cognitionem habeant parem quæ hunc gratiæ influxum comitatur: neque hanc suo labore aut discursu acquirant: sed prout Deus se illis nunc magis, nunc minus aperit: cum tamen suo conatu nihil vnquam appetant supra naturalia, neque horum viribus ad nouam cognitionem aspirent quæ ipsa naturalia excedat. Quare quamquam hi multa ignorent (ea videlicet quæ eorundem naturalia excedunt, & ad quæ nullo gratiæ lumine illustrantur, vel in quibus Deus se illis non aperit) circa ea tamen errare, aut falli non dicuntur. Quoniam non amplius appetunt, quam quod in ipsis naturalibus positum est: aut diuino lumine gratiæque illustratum. In malis autem nullum lumen gratiæ: nullus Dei aspectus: sed sola vigent naturalia. Et tamen magnus conatus in excitandis naturalibus supra ea ad quæ non possunt naturæ lumine peruenire: illeque ab

ea superbia profectus propter quam iidem cælo sunt deiecti. Itaque in iis, quanquam solertia sua naturæque præstantia multa consequantur, in quibus homines ipsos superant, variè tamen & multipliciter in eisdem errare possunt. Quia naturalibus suis non sunt contenti & nullo gratiæ lumine ad naturam accedente diriguntur. Quibus positus, explicati etiam potest quæstio altera, an dæmones res futuras cognoscant & nostras cogitationes possint perspicere. Nā vtrique, boni inquam & mali, ex naturalibus res futuras cognoscunt in suis causis, eisdemque variè, prout hæc ad suas causas variè se habent: cum quibus quædam vinculo necessario coherent, aliæ verò vinculo dissolubili & contingente. In qua quidem cognitione dæmones mali homine superiores sunt: quia ex suis naturalibus eisdem sunt præstantiores. His autem sunt, superiores angeli: quoniam suprâ naturalia lumine gratiæ illustrantur: cuius beneficio multa possunt, quæ in dæmones malos nullo modo cadunt. Iam verò quoniam interiores cogitationes nostræ plerumque se prædunt per externa quædam signa, ex horum obseruatione (in qua longo interuallo iidem homines superant) de illis dæmones mali multa sine errore plerumque coniectant, etiam si in iis nonnunquam fallantur. Adde quod hi cum soli sumus, frequenter nobiscum versantur, etiam si sensus nostros fugiant, nobisque insidiantes, pleræque notant ex quibus de nostris cogitationibus possunt aliquando sine errore iudicare. Atque hæc quidè de dæmonibus fortassè plus satis: nunc in Alcinoi contextu pergamus.

2 Cælestes intelligentiæ globis cælestibus horumque stellis non modo assistentes, sed ex Platonicorum sententia insite, horumque corpora informantes & animantes (de quo antea in Peripatetica doctrina quæsitum est) constituunt singula animalia immortalia ratione vtentia, quæ iidem Platonici cõparantes cum Deo patre eiusdemque prima mente, deorum minorum appellatione exornauerunt. De quibus dictum est ad finem capituli superioris. Quare nunc Alcinoi subiicit præter illos minores deos cælestes, alios esse dæmones quos etiam appellare possit intelligentiæ participes Deos: sed illis cælestibus vno gradu inferiores: siue in his corpora spectes quibus constant, siue facultatem intelligendi. Nam in cælestibus intelligentiis corpus est cæleste, in his verò elementare: & facultas intelligendi in illis tanto præstantior quanto corpus in eisdem est perfectius quàm in ipsis dæmonibus. Itaque ut apud eundem Platonem dæmones qui elementarè regionè incolunt, in hæcque partim aspectabiles, sunt partim inaspectabiles, mediè esse dicuntur inter cælestes intelligentiæ & homines: sic cælestes intelligentiæ mediæ inter Deum & dæmones, pro diuersaque cū his tanquàm extremis cõparatione, didersim fortijuntur appellationem. Nam relatæ ad Deum patrem & opificem cui in procreatione rerum & moderatione subseruiunt, dij minores nominantur, ad dæmones verò quibus ipse superiores sunt, dij deorum ab eodem Platone in Timæo appellantur. Quoniam ut dictum est ex eiusdem sententia, dæmones dij quidam sunt, quibus cælestes intelligentiæ superiores. In quo ab eodem videri

potest adumbratum quod in nostra religione expressum est de duobus angelorum generibus, quorum quidam in cælo permanserunt, qui in procreatione eorum que continentur mundi parte inferiore & elementari, Dei patris ministri extiterunt: alij suo peccato è cælo deiecti sunt, nec tamen suis naturalibus orbat. Cum verò eos qui in vtroque genere continentur, Platonici Deos appellant, hoc vulgarium hominum opinionibus indulgent idque ex eo faciunt quod omnem naturæ ratiocinantis excellentiam hac appellatione dignam existimant. Sic enim & in nostra religione nomen hoc eis etiam attribuitur in quibus diuinæ virtutis simulachrum relucet. Ex quo illud, Ego dixi: dij estis & filij altissimi omnes.

3 Sic enim apud Platonem in Timæo, Deus pater alloquitur Deos minores, quos diximus esse in singulis orbibus siue globis cælestibus, in hisque sibi subiectos habere dæmones ut vno gradu inferiores Deos: atque idcirco hos Deos deorum nominat. Dij deorum, inquit, quorum opifex ego & pater sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne si quidem quod vinctum est, solui potest. Sed mali est quod pulchrè compositum est, seque habet bene, velle dissoluere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen vnquam dissoluemini. Nam voluntas mea maius præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi quibus estis cum gignebamini, colligati. Paucis verò interiectis idem Deus pater istis minoribus diis ita imperat ut reliquis operibus præsent. Sed nunc quid subiiciam, inquit, cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant: absque horum generatione cælum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera non continebit. Contineat autem oportet, si est mundus omnino perfectus futurus. Hæc si à me fiant solo, vitæque donentur, diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita ut vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum usus. Atque eius quidem animalis quod in ipsis tale futurum est ut cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumque vocetur & principatum teneat & iustitiam, simul ac vos vltro colat, ego vobis semem & initium tradam. Vos cætera exequi par est, ut immortalis naturæ mortalem attextentes, faciatis generetisque animalia, subministrantesque alimenta augeatis, & cõsumpta rursus recipiatis. In quibus omnibus fortassè Plato imitatus est, sed in intelligendo deceptus, id quod in Genesi Deus pater qui verbo suo cætera solus procreauerat, iam de homine cogitans, de hoc quasi sua consilia cum aliis communicare videtur, cum ita loquitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quasi iam alios secum in hoc opus velit incumbere, angelorumque ministerium requirat. Quod Lodoicus Viues obseruat Commentario in cap. 24. lib. 12. de Dei ciuitate: quodque plerique ex Iudæis, imò etiam nonnulli ex veteribus Christianis probauerunt. Quanquam alij recentiores quidem Theologi, loco eodem quem ex Genesi citauimus, in Deo suo substantia vno, trium personarum distinctionem adumbratam arbitrantur. Sed redeo ad Platonem: qui in sua Philosophia eo loco quem nunc Alcinoi commemorat, hoc ratum habuit, omnia quæ à Deo sine vlla alia causa intermedia procreata sunt, immortalia esse: etiam si ex lege proprietateque naturæ talia non sint. Idque ut hac ipsa immortalitate quasi gratuita, & nature leges excedente, quandam similitudinem retineant cum eo à quo sunt immediatè procreata. Alia verò quæ per intermediam aliquam causam ab eodem Deo habent id ipsum quod sunt, mutabilia esse atque caduca. At D. Augustinus cap. 24. lib. 12. de Dei ciuitate, locum hunc de animalium mortalium procreatione angelis vel diis minoribus à Deo patre demandata, reprehendit.



Nesāsq̄ esse scribit vllius rei naturalis, vel eius quæ abiectissima esse putatur, procreatorem alium à Deo Optimo Maximo agnoscere. Nec verò magis horum animalium angelos creatores esse, quam agricolos frugum vel arborum. Quæ quanquam intermediis angelis ipsosque naturalibus causis, in suo semine nunc propagentur atque conferuntur, partim ad numerum eadem, partim in sua specie, primum tamen procreari nouæque omnino nulla antecedente materia, excitari (quod in nostra religione receptum est) a nemine potuerunt, nisi ab ipso Deo cui omnino propria est eiusmodi procreatio. Et tamen idem Augustinus cap. 17. lib. 9. de Genesi ad literam, faretur in primi hominis procreatione, Dei quidem ministros angelos extitisse: sed quo modo id factum sit se omnino ignorare. Illud verò huius opinionis Platonicæ fundamentum, quod paulò antè indicauimus, obseruat Bellario Cardinalis capite septimi libri secundi contra Trapezuntium eodemque argumento Marsilius Ficinus capite 13. libri quinti Theologiæ Platonicæ, probare conatur mentem humanam esse immortalem: quia à Deo est, sine vlla causa intermedia. Quod verò hic dicitur de Dei voluntate supra naturæ leges quædam ab interitu vindicante, quæ sua natura caduca sunt, hoc nonnulli Platonici ad mundum quoque referentes, sic occurrunt ei quod obiicit Velleius apud Ciceronem lib. 1. de natura Deorum, non videri eum primis laboribus physiologiā gustasse, qui dicat hunc ortum esse, nec tamē vnquam interiturum. Sed hoc Aristoteli fabulosum potius quā physicum esse videretur & commentum hominis optantis, potius quam philosophiam docentis. Quāquam quod in eo secundas causas ex diuina prouidentia mundum regentes, idem Plato agnoscit, hoc etiam Aristotelicum videri potest. Nam præterquam quod libro 12. Metaphysic. de intelligentiis cælestes orbis mouentibus, idem sentire videtur, libro etiam de mundo ad Alexandrum, hoc ipsum aperrius exprimit ducta similitudine à magno rege Persarum, cuius autoritate in regno gerebantur omnia per eos magistratus quos ipse singulis vrbibus atque prouinciis præesse voluerat. Atque vt in eodem regno quædam gerebantur iuris communis autoritate & ordine, cuius potestas erat penes eosdem magistratus, alia principis arbitrio seruata, qui supra scriptam legem esse dicitur, ex quo manant ea quæ priuilegia nominantur: sic in vniuersitate communem naturæ ordinem, qui secundis causis continetur, & supra hunc diuinum numen, idem videtur indicasse libro primo de Cælo, cum scripsit, Deum & naturam nihil frustra facere. Quæ etiā ratione dii minores atque his inferiores demones sub Dei Optimi Maximi numine, pastores quidam ab eodem Platone esse dicuntur in Politico. Primis temporibus, inquit, totius circuitus princeps curatōrque primū deus extitit, vt nūc per varias mundi plagas singulæ ipsius partes à Diis principibus sunt distributæ. Animalium quoque genera gregarij distincti: demones quidam, tanquam diuini pastores, sortiti sunt. Quorum quisque ad munus suum obeundum sufficiens cum esset, singuli singulis, sic vt ille voluit, præficiēbantur: quibus præerat ipse. Nec verò demones solum, Deo summo rerum omnium opifici parent, sed etiam ministri sunt minorum Deorum qui præsuat duodecim orbibus vniuersi: & vt docet Proclus libro de anima & demone, ad eorum diuisionem pariter diuiduntur. Aliter enim respondent seruiuntque diis penitus absolutis, ante mundum cuncta exordientibus atque ducentibus: aliter verò mundanis, qui distinctis mundi partibus proximè præsuat, qui que secundum duodecim Deos super cælestes distribuuntur. Hi autem secundum omnes mundanorum deorum proprietates distributi sunt. Omnis mundanus Deus alicui demōnum imperat: cui propinquo suam impartit potentiam. Atque circa vnūquemque Deum cum sit eius-

fit eiusmodi demōnum innumerabilis multitudo, eadem cum diis ducibus cognomenta reportant: adeo vt ipsi sibi gratulentur quando Mercurij, vel Ioues nominantur. Quippe cum illa propriorum deorum proprietatem in ipsis expriment. Sicque mortalia hæc diuinus influxus per varias causas intermedias nanciscuntur, & in se recipiunt: nec animalia modo, sed etiam planta ita procreantur vt hæc quidem horum, illæ illorum deorum imagines præ se ferant. Imò distinctionem hanc virtutum pro deorum, demōnum, stellarumque varietate, etiā ad lapides & metalla nonnulli deriuarunt & in iis virtutis occultæ per quam agunt supra elementares materiæ qualitates, causam esse existimauerunt. Vt quod magnus ferrum attrahit, adamas suā præsentia virtutem magnetis tollit: electrū & Balagius calefacti paleam ad se alliciunt, æcetes fœtus mulierum & plantarū superpositus corroborat, suppositus trahit: Iaspis sanguinem comprimit. De quibus sic scribit Cornelius Agrippa capite 13. lib. 1. de occulta philosophia. Deus imprimis, inquit, vitutum omnium finis & origo, sigillum idearum ministris suis præstat intelligentiis: qui tanquam fideles executores res quasque sibi creditas ideali virtute consignant, cælis atque stellis, tanquam instrumentis, materiam interim disponentibus ad suscipiendum formas illas quæ in maiestate diuina, vt ait Plato in Timæo, per astra deducenda resident: easque dator formarum distribuit per ministerium intelligentiarum, quas super opera sua constituit rectrices & custodes, quibus ea facultas in rebus sibi commissis credita est, vt omnis virtus lapidum, herbarum, metallorum & cæterorum omnium, sit ab ipsis intelligentiis præsentibus & regētib: postea à cælorū aspectibus disponētib: porro ab elementorū dispositis cōplexionibus correspondētib: cælorū influxibus, à quibus ipsa elementa disponuntur. Habent igitur operationes eiusmodi in rebus istis inferioribus per expressas formas, in cælis autē per virtutes disponētes, in intelligentiis per rationes mediantes, in archetypo per ideas & formas exemplares, quas omnes in cuiusque rei effectus & virtutis executione conuenire necesse est. Atque hæc quidem de causis ordinatis per quas in naturæ vniuersitate communes effectus deus excitat: qui, vt paulo ante dictum est, ab Arist. absolute ipsi naturæ tribuuntur. Præter naturam verò vel potius supra hanc, quæcunque in mundo accidunt sine vlla externa vi, aut humana arte, ea distinguendi gratia ab eodem Arist. Dei esse dicuntur, cum scribit Deum & naturam nihil frustra facere. Non quod illa priora Dei etiam non sint: sed quia habent definitas & proximās causas ad quas commodius referantur, hæc verò non item. De quibus dignissimum est obseruatione quod eodem capite scribit Agrippa. Licet, inquit, Deus per intelligentias & cælos in hæc inferiora operetur, nonnunquam tamen omittit his medijs, aut suspenso eorum ministerio, immediatè ex se ipso illa facit, quæ tunc miracula vocantur. Nam cum primæ causæ imperio & ordine, secundariæ causæ, quas ministros Plato & alij vocant, necessario agant & effectus suos necessariò producant, nonnunquam tamen pro libitu suo, sic illas absoluit, aut suspendit eas, vt ab illius imperij & ordinis necessitate penitus desistant. Et hæc maxima Dei sunt miracula. Sic ignis in fornacæ Chaldaica non combussit pueros: sic Sol ad imperium Iosue à cursu suo vnus diei spatio retrocessit: sic ad Ezechia petitionem per decem lineas siue horas regressus est: sic patiente Christo, in plenilunio defectum sol sustinuit. Et harum operationum rationes nullo rationis discursu, nulla magia, nulla quantumcunque occulta seu profunda scientia inuestigari aut attingi possunt sed solis diuinis oraculis addiscenda sunt & exquirenda. Quæ omnia eò libentius ex illo commemoro, quod apud plerōsque qui hodie in rerum naturalium contemplatione ad sobrietatem non sapiunt, sed humano ingenio omnia metiuntur, nec supra naturæ ordinem potestatis



quicquam Deo relicto arbitrantur, imo qui huius summam potestatem naturæ legibus omnino addictam esse volunt, hæc plus autoritatis habitura videantur, quam si ex nostris Theologis (quorum scriptis in eandem sententiam abundamus) essent adducta.

4. Cum omnis præfagiendi ratio, quæ Mantica est, genera multa complectatur, hic Alcinoos eorum duas differentias indicasse videtur. Vnam quæ externo affectu constat: siue hic verè diuinus sit, vt in prophetia, siue diuinitatis falsam speciem præ se ferat, vt in aliis infinitis modis quibus à malo demone creduli homines deludantur. Alteram quæ aliquid habet humanæ artis. In priore genere quatuor hic enumerantur κληδόνες siue sortes, ἰσθια siue furores, διέπρατα siue lomnia & χρομοί siue oracula. In posteriore, quanquam huius quoque multæ sint particulae, nullæ tamen hoc loco ponuntur. De quibus omnibus nobis pauca suo ordine explicanda sunt, & de singulis indicandum quibus ex locis eorum facilius explicatio possit repeti. Cicero lib. 1. de diuinatione, scribit animos nostros duobus modis sine ratione & scientia, suo motu soluto & libero incitari, vno furentem, altero somniantem: furoribusque diuinationem maximè Sibyllinis versibus contineri. Eodem etiam loco addit Dicæarchum Peripateticum cetera diuinationis genera sustulisse, somniorum & furoris reliquisse. Sed magis coniunctum cum nostro Alcinoos quod idem subiicit, duo esse diuinandi genera, quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est, enim gens, inquit, aut quæ ciuitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra aut fulgura interpretantur, aut augurum, aut astrologorum aut sortium (ea enim ferè artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædicatione moueatur? Diuinationi per sortem in his locus est quæ humana industria non videntur commodè posse terminari. De quibus quædam sunt politicae, vt apud plerisque populos magistratum electio: alia diuina, quæ Dei spiritu ministerioque bonorum angelorum reguntur: alia vana superstitione plena, in quibus mali demones dominantur. Quarum omnium exemplis in sacris literis & prophanis abundamus: de quibus vide Agrippam cap. 52. lib. 3. de occulta philosophia. In furoribus autem sunt ea quæ Vaticinia nominantur: in quibus qui res futuras prædicat, extra se rapitur externoque spiritu impletur, cuius vi res futuras prænuntiat, easque quas ipse plerumque non intelligit. Spiritus verò hic aliquando diuinus est, vt in prophetis, aliquando malignus vt in veterum vaticibus notat Plato dialogo de furore poetico & in Sibylla paulò ante obseruatum est ex Vergilio lib. 6. Aeneidos. De quo genere sic scribit Iamblichus, lib. de mysteriis Aegyptiorum. Vaticinium ipsum, inquit, nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus vel animalibus rationibus, motibusve efficitur: nec fit villo modo, sed vtrunque sempiternum est, missum ad nos vsque diuinitus. Totaque potestas præfaga refertur ad Deos, & omnis huius autoritas consistit in eis: atque inde trahitur diuinisque operibus signisve perficitur. Spectacula quidem habet diuina & contemplationes vera scientia præditas. Cetera verò cuncta velut instrumenta subiiciuntur, missa diuinitus præfagij dono. Idemque de somniis hoc modo. Somnia, inquit, quandoque incitantur in nobis ab innatis intelligentiis, vel ab imaginationibus earisque diurnis: quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur. Atque hæc humanis principis oriuntur, dormientibusque contingunt vigilia nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus non ita contingunt, sed veniunt vel inter vigiliam atque somnum: vel inter somnum atque vigiliam vel in ipsa vigilia. Tunc breues audiuntur voces quid agendum sit admonentes & aliquando spiritus quidam non corpulentus, non tractabilis se iacentibus circumfundit. Qui tamen non percipit

tur sed alio quodam sensu & animaduersione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens & te vndique circumfundens absque contactu, atque mirificè passiones animi corporisque expellit. Aliquando verò lumen sincerum quietumque fulget: sub quo visus clauditur, anima patens. Sed alij sensus iterum peruigiles sunt persentiuntque quo modo Dij in lumine se ostendunt & quæ illi loquuntur aguntque & continuata animaduersione percipiunt. Perfectius verò id totum discernitur quando visus quoque percipit, atque intellectus corroboratus, quæ sunt assequitur: & qui spectant similiter commouentur. Martilius Ficinus in Plat. lib. 5. de Legibus docere conatur quo modo in istiusmodi somniis demonum vires in homines influant. Quanto ignis, inquit, ceteris elementis efficacior est, & igne calu, tanto efficaciores celo sunt spiritus qui vel viuificant, vel mouent calum, vel viuificantium & mouentium sunt consortes. Spiritus ergo superiores in nostros, vt pote consortes, imaginum duntaxat suarum influxibus operantur, quemadmodum vultus in speculum, atque agendo in eas, formant simillimasque efficiunt, vsque adeo vt animæ tam fermè mirabiliter quam cælestes solent, operentur. Quemadmodum verò speculum ad imagines à vultu suscipiendas quinquè modis præcipuè præparatur, primo quidem natura vitrea, deinde perspicuitate, tertio leuitate, quarto resistentia, quinto positione: sic & animæ nostræ ad influxus numinum præparatur primò quòd intellectuales nature sint, sicut & illa secundo quando per intellectum fide illis adherent indubia: tertio per voluntatem amore in illa sese ardentissimè transferunt: quarto tota in illis memoria firmiter sperant: quinto si corpus & natura illis accommodatum & diligentia præparatum, tunc in mentes nostras ita labuntur instinctus, vt à fidibus lyrae in fides similiter temperatas. Possidonius diuinorum somniorum tres modos statuit, primum cum animus per se diuina præuidet, quod diuinus ipse sit, & à corpore ad aliquod tempus quasi separatus, excitet insitas rerum intelligibilium notiones, per quas futura quadam ex parte, sicut presentia cognoscit. Alterum quòd cum aër plenus sit immortalibus animis, in his tanquam in speculo veritatis notæ animo nostro somniantem appareant, aut illi propter occultum naturæ consensum, cum nonnullis hominibus maiorem, cum aliis verò minorem, multa admoneant, doceant, consulant, reuelent, nunc voce sua que presentia, nunc verò formas ipsarum rerum menti nostræ obiectentes, ipsi verò non apparentes. Tertium quando non aërei spiritus, sed dij, vel supercælestes angeli, cum dormientibus colloquuntur & oracula inspirant. In primò genere, quoniam totum nostrum est & in animi nostri puritate positum, malus demon nihil habet, quod possit imitari: in posterioribus verò duobus, hic infinitis modis nos quotidie decipit. Quoniam & falsas rerum imagines dormientibus obicit, & ipse bonos spiritus aëreos ementitus, plerumque fraudulenta dicat, quibus à bene viuendo hominem reuocare conatur: ac nonnunquam vera quædam immiscet, quòd per ea facilius nobis fucum faciat. Aristoteles autem naturæ semper addictus, hanc in somniis diuinitatem parum probauit, nec ea à diis immitti credit. De illa enim sic scribit in principio libri de diuinatione per somnum. De diuinatione autem que in somnis oritur, inquit, euenireque à somniis dicitur, hoc verè dici potest, nec eam contemnere facile esse, nec ei fidem habere. Nam & omnes vel plerisque assentiri somnia aliquam notam habere, fidem facit autoritatemque habet, quasi id ita esse experientia compertum sit: & ex quibusdam somniis diuinationem esse, non est incredibile. Quædam enim ratione nititur. Itaque de aliis somniorum generibus existimare licet eodem modo. At verò nullam causam consentaneam cernere qua eueniat, id denique facit vt eius nulla sit



authoritas. Nam Deum esse qui somnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum & Dei maiestate indignum, eum illa non optimis viris nec prudentissimis sed quibusuis mittere. Cornelius Agrippa cap. 51. lib. 3. de occulta philosophia, scribit ea somnia quæ aliquid diuinitatis habitura sunt, constare debere ex spiritu phantastico & intellectu inter se vnitis, aut per illustrationem intellectus agentis in anima nostra, aut per meram reuelationem numinis alicuius: in illaque vnione phantasiæ & intellectus, videre somnia potentis esse imaginationis minimèque perturbatæ, eadem verò intelligere, virtutis in ipso intellectu singularis. Ex quibus concludit ad hæc certam præparationem esse adhibendam. Quoniam, inquit, cum corpore sani sumus, non cibo potuue grauari, nec moerentes inopia, nullisque nobis obstrepentibus libidinis aut iracundiæ vitiiis, castè cubitum euntes dormimus, tunc anima nostra pura atque diuina ab omni noxia cogitatione soluta, per somnum iam libera, diuino spiritu vt instrumento freta, radiantes & resurgentes in se suscipit radios & effigies atque tanquam in quodam deifico speculo, omni intellectus vulgari indagatione, rationisque discursu, longè quidem certius efficaciusque continetur etiam ab ipsis diuinis numinibus instructa. Sine hac enim præparatione quæcumque somnia nobis dormientibus apparebunt, ea nullam rerum futurarum significationem continebunt, sed ad naturales causas autecedentes erunt referenda: nempe aut ad humores in nostro corpore dominantes, aut ad præcedentes nostras cogitationes sensuum vt functiones. Siquidem solet accidere (quòd Cicero obseruat initio Somnij Scipionis) vt nostræ diurnæ cogitationes pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius: de quo videlicet vigilans solebat cogitare & loqui. De quo genere posteriore pluribus differemus cap. 17. lib. huius. Diuinationis verò quartum genus est in oraculis: de quo primò loco querèdum est quòd à furore, quem in secundo genere posuimus, distinguatur. Quoniam horum duorum in veterum loquendi consuetudine & vsu coniunctio iustam occasionem offert dubitandi. Apud Vergilium Aeneidos. 6. numen Apollinis ex suo antro erumpens, ad oraculum pertinet: at cum hoc Sibyllam implet eoque illa bacchatur, hic eius furor esse dicitur. Oraculaque certis locis addicta erant, vel propter locorum ingenium & naturæ proprietatem (quæ causa commemoratur à Plutarcho libro de deficientibus oraculis) vel potius quòd dæmon ipse ad sui cultum, certas regiones easque ad certum tempus sibi deligeret in quibus quæ proprium sacerdotem habebant, hunc furore implebant prius quàm de rebus futuris posset respondere: quod in Sibylla Vergiliana paulò ante obseruatum est cum de demonibus ageremus. At in prophetis itèrque in poetis de quibus Plato in dialogo qui Io. inscribitur, furor est isque quanquam non addictus loco, certas tamen & manifestas temporum intermissiones habet. De quo dictum ab Ouidio,

*Est Deus in nobis, sunt & commercia celi,
Sedibus Aethereis spiritus ille venit.
& ab alio*

Est Deus in nobis, agente calefcimus illo.

Oraculorum magna varietas apud veteres, in qua dæmon ante enatam religionem Christianam, miserè illos delusit, eosdemque à Deo auocans ad sui cultum traduxit. Nam in illis numerantur antiquissima duo Dodoneum & Hammoniũ. Quibus postea adiecta sunt Pythium, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum

in Milesia, Sabæum in Phocide. Annis etiam singulis sex menses continuos Apollo in Lycia per sacerdotem de rebus futuris respondebat: totidèrque reliquis mensibus sex, in Delo. Quod Vergilius spectasse videtur libr. 4. Aeneidos, cum dixit,

*Qualis ubi hybernæ Lyciam Xanthique fluentæ
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo, &c.*

Reliquum est eius diuisionis quæ primo loco posita, membrum alterum: in quo ea insunt quæ cum diuinationis aliquid habeant, hominum arte potissimum tractantur. In quibus numerantur diuinationes omnes ex obseruatione intestinorum in animalibus quæ diis sacrificabantur: itèrque auguria omnia posita in obseruatione vel auium, in volatu, Garritu, Tripudjo: vel cæli & fulminũ, vel quadrupedum inopinati conspectus. Quorum omnium obseruationi & interpretationi apud Romanos præerant qui Augures nominabantur eorundèrque illie celeberrimum collegium exitit. De quibus sic Cicero lib. 2. de Legibus, Interpretes Iouis Optimi Maximi, publici Augures signis & auspiciis postea vidento, disciplinam tenent. Sacerdotes vnica virgultaque & salutem populi augurant. Quique agent rem duelli qui que populi, auspicium præmonent, ollique obtemperant. Duorum iras prouidento, ollisque parento: calique fulgura regionibus ratis temperant. Urbemque agros & templa liberata & effata habent. Quæque Augur iniusta, nefasta, vitiosa diræue dixerit, irrita infestaque sunt. Quique nõ paruerit, capitale esto. Fœderum, pacis, belli, induciarum Oratores, faciales, indiciesque sunt. Bella disceptant. Prodigia, portentosa ad Hetrucos & Aruspices, si Senatus iusserit, deferunt. Hetruriaque principes disciplinam docent. Quibus diuis creuerint procurant: iidem fulgura atque obsita piant. Idem Cicero lib. 2. de diuinatione, duo genera diuinandi statuit, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare ait partim ex coniectura, partim ex obseruatione diurna: naturale verò esse quòd animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, vnde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiose autem diuinationis genera ponit extispicum, eorumque qui ex fulguribus ostentisque prædicunt: tum augurum eorumque qui signis aut ominibus vtentur, omneque coniecturale in hoc ferè genere positum esse ait. Illud autem naturale, aut concitatione mentis edi, & quasi fundi, aut animo per somnium sensibus & curis vacuo prævideri. Omnemque diuinationem à tribus rebus duci, à Deo, à fato, à natura. Atque hæc quidem de vniuerso diuinationis genere huiusque differentiiis, satis multa ad intelligendum Alcinoi ex Platonica doctrina dicta sint.

5 Sic de terra Plato loquitur in Timæo. Terram altricem nostram inquit, circa polum per vniuersum extensam, alligatam, diei noctisque effectricem & eundem Deum esse voluit: nec non primam antiquissimamque Deorum omnium qui intra cælum sunt geniti. Nam cum ex eiusdem Platonis doctrina in vniuerso orbes, vel potius globi duodecim, octo quidem caelestes quatuor verò elementares, dii quidam sint in iisque elementa quatuor intra cælum dicantur genita, inter hæc terra omnium antiquissima est. Quia antea dictum est ex igne id esse cælo & ex terra, vt ex duobus corporibus natura primis, mundum esse factum: deinde reliqua omnia inter hæc esse interiecta, aut horum ambitu comprehensa. Imo terram inter stellas Platonici ex Pythagoreorum doctrina numerare ausi sunt, sicut & hoc loco Alcinoi, quod ab Arist. exagratum est in Metaphisicis. Idque ab illis dictum est quod ea noctem diemque efficere videatur: vel certè ea



cum Sole lunâque coefficere: noctem quidem per conum quem huius umbra parit, diem verò quatenus à Sole illustratur. Acque etiam iidem ad diderunt aliâ esse terram huic oppositam, lunam significare volentes, quam caelestem terram esse putauerunt: siue quoniam illa terra instar variis maculis quasi infecta est, ac alieno lumine indigens: siue quod caelestis solarisque luminis defectus, nobis propter lunæ ac terræ obiectionem contingant. Quod Heraclidi Pontico magna quoque ex parte placuisse Cicero scribit lib. 1. de natura Deorum. Quia verò etiam terra, sicut hoc capite scribit Alcinoi, in vniuerso debet hominibus alimenta suppeditare, ex quo ea cæli coniux & magna mater appellatur, idcirco Plâto in Menexeno, terram Atticam primam omnium hominû procreasse hoc argumêto colligit quòd illa fecundissimè genus omne alimèti hominibus suggerat. Tellus nostra, inquit, propriè ex omnibus animantibus hominem genuit, qui ceteris intelligentia præstat, solusque ius ac Deos animaduertit. Quod verò hæc regio & eorum quos pro concione celebramus, maiores & nostros progenierit, hinc euidentissimè licet colligere, quia omne quod gignit, alimentû conueniens genito continet. Quòd planè discernitur mulier illa quæ peperit, ab ea quæ infantem simulâdo supposuit. Nam quæ peperit, lacte abundat ad eius quod genitum est alimoniam, alia verò nequaquam. Tellus itaque nostra materque, perspicuum argumêtum præbet quod homines procreauerit. Nam & sola & prima tunc pabula humana porrexit, tritici hordeique fruges quibus commodissimè genus humanum alitur: vt pote quæ verè id animal produxerit. Potius autem de terra quam de muliere coniectare id licet. Neque enim terra mulierem concepu partûque, sed terram mulier imitatur. Huiusmodi verò pabulum sine inuidia non hominibus solum abundè verum etiam brutis subministrauit. Posthæc oleum laborum subsidium natis suis suppeditauit. Nutritis autem adultisque filiis principes præceptorésque Deos induxit: quorum nunc prætermittenda sunt nomina. Neque enim nos latet qui vitam nostram munierint, tam artium inuentione ad quotidianum victum pertinentium, quam traditione peritiâque armorum, ad regionis ipsius custodiam. Atque hæc quidem Plâto de terra quæ post cælum dicitur nobis abundè alimenta suppeditare. De eadem verò in medio vniuersi paribus ponderibus examinata, atque idcirco immota quid eidem Platonè videatur in Timæo & in Phedone, atque in hoc quibus rationibus illius sententia ab Aristotele exagiretur cap. 13. lib. 2. de cælo, à nobis obseruatû est cap. 7. lib. 2. prioris nostræ descriptionis physice. Vbi alia nonnulla collecta sunt quæ ad hunc locum illustrandum valere possunt.

6 Singulis stellis quæ sunt in extremo orbe, Plâto respondere putauit in mundo inferiore singulorum hominum animas, illarumque virtutibus has quodammodo regi. De quibus amplissimus locus est in Timæo, quem nunc Alcinoi sequitur. Cum vniuersum Deus constituisset, inquit, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens: eisque tanquam vehiculo impostis, monstrauit vniuersam naturam ac leges fatales edixit. Ostendens quidem primam omnibus generationem ordine quodâ vnam fore: ne quis ab ea minus aliquid sortiatur. Satis autem & quasi sparsis animis, per singula singulis conuenientia temporum instrumenta, fore vt animal nasceretur quod omnium animalium maxime esset diuino cultui deditum. Esse autem naturam hominis geminam: cuius id genus fore præstantius quod viri nomine sit appellandum. Cum verò animæ corporibus necessitate quadam inferre fuerint & corporibus earum accesserit aliquid, vicissimque abcesserit, primum utique necessariò ex sensibus omnibus vnum intimum & naturæ coniunctum illi à violentis passionibus excita-

ri: deinde voluptate ac dolore mixtum amorem: posthæc metum & iram, & quæcunque vel ista sequuntur, vel ab istis, vt contraria dissident. Hæc qui superauerint, eos iuste victuros iniuste verò, qui ab istis fuerint superati. Atque illum qui rectè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum cui accomodatus fuerit, reuersum, beatam vitam acturum. Contra verò agentem, cogi in ortu secundo, mutato sexu fieri mulierem. Et qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus deprauatur: eatenus in brutorum naturam suis moribus similem, permutare: nec prius à mutationibus laboribusque cessare, quam illam sibi instram eiusdemque ipsius similisque naturæ conuersionem, securus ipsæ eique turbulentos multiplicésque affectus postea ex igne, aqua, aère & terra contractos, ratione sedauerit, & ad primum optimumque sui habitum iam redierit. Quo modo Cicero dixisse videtur lib. 1. de natura Deorum, humanos animos è diuina mente esse decerptos & ex sempiternis stellarum ignibus demissos: Et in Somnio Scipionis, homini animum esse datum ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellæ vocantur. Quale etiam, quod Arist. scribit cap. 3. lib. 2. de animalium ortu, solam hominis mentem extrinsecus aduenire, eamque astræo elemento participare. Et quoniam cæli astrorumque natura eidem Aristoteli cap. 2. li. 1. de cælo, quinta est simplex essentia, à quatuor elementis diuersa, hinc fortasse emanauit quod idem Cicero scribit 1. Tusculana, animos humanos quinta essentia constare: quam *ἡ τελευτα*, ait nominari, quasi perennem & continuatam motionem. In quo nonnulli notauerunt Homeri Catenam auream, per quam caelestia descendunt in terram, terrenâque contra in cælum rapiuntur. Instante verò hominum generatione, animæ secundum eundem Platonem facere dicuntur vite futuræ optionem: & quanquam semel electam vitæ periodum impleri necesse sit, nulla tamen vi coactæ, sed sua sponte vitam eligere. Non quod contemplandi munus generationi postponant: sed quia ipsa contemplatio euafescit, dum cupiditas regendi corporis inualefcit. Quando quidem contemplationis generationisque munera simul obire nequeant. Ideoque de his quæ ad istâ generationem se parant, dictum est lib. 10. de Rep. eas suum demone eligere, non singulas suis demonebus forte contingere. Ergo ille paulatim generationis amore descendentes eò declinant vt assumpto terreno corpore, sui oblitæ plerumque fato obruantur. Leuantur autem rursus hoc onere quando cupiditate contemplandi accensa, sensus corporeos contemnunt, vel etiam omnino odifese incipiunt: Vt non sine causa in Phedro dictum sit philosophiam & amorem, reditum in cælum parare nosque ad obsequendum fato instruere. Quæ etiam ratione scriptum est à Plotino lib. de dialectica, animas per Capricornum ad superna ascendere: per Cancerum, in generationem descendere. Quia in horum vno lunæ domicilium esse dicitur, quæ præest generationi: in altero, Saturni, ad quem peruenit contemplatio. At, inquit aliquis, si anima natura sua caelestis & diuina est, quo modo in corpus hoc impurum descendit? Primum vt essent animalia in omnibus vniuersi partibus, quæ opificis Dei excellentiam testarentur: ac ne ipse intellectus vi quadam in corpus traheretur, per naturam animale adnatam, corpori conciliatur. Deinde, vt Plotinus ait, libro de descensu animæ in corpus, cum duplex omnino natura sit, vna quidem intelligibilis, altera vero sensibilis, factius quidem est animæ in intelligibili viuere, necessarium tamè est cum eiusmodi natura sit prædita, sensilem quoque naturam participare. Neque grauius ferre debet si non omnino est ipsam bonum. Quippe cum in rebus ipsis medium ordinem obtineat, & diuina quidem sortis particeps sit, in postremo autem gradû intelligibilis naturæ posita, velut affinis naturæ sensili. Sic naturaliter influ-



tuta vt de suis hinc aliquid exhibeat, recipiat etiam hinc quoque nonnihil, nisi propria integritate seruata gubernet. An igitur ab astris hæc tantum patietur, vt etiam illa moribus animæ necessitatem imponant? Hoc idem Plotinus pulchrè explicat cap. 8. lib. quo inquit vtrum stellæ aliquid agant. In præsentia, inquit, operepretium est in memoriam reuocare, fufum illum quem apud antiquos Parce contorquent: per què Plato significat quod in mundi circuitu erraticum dicitur, vel non erraticum. Hunc apud eum Parce & necessitas Parcarum mater torquent, & in cuiusque generatione conuoluunt. Atque per hunc circuitum reuolutionemque in generationem prodeunt quæcunque gignuntur. In Timæo quoque artifex mundi Deus tradit animæ ipsius principium. Dij verò qui hominis generationi præficiuntur, graues necessariæque adhibent passionés, iras, libidines, voluptates, dolores, aliámque animæ speciem ex qua perturbationes eiusmodi oriuntur. Hæc vtiq; Platonis verba, inquit, stellis nos denuncire videntur, animas videlicet ab illis accipientes: itémque nos huc labentes necessitati subiiceret. Ab eisdem quoque mores habere dicit, atque secundum mores, etiam actiones, atque possessiones à passiuo quodam habitu procedentes. Quare perquirédum est quid nos præterea simus. Fortè verò reliquum est quod ipsi reuera sumus: quibus & natura dedit vt passionibus dominari possemus. Et enim præter id quod ob ipsam naturam corporis, his malis circumuenti sumus, Deus virtutem largitus est à seruitute liberam. In quo mirum est profectò veteres philosophos solo naturæ lumine id videre potuisse, in quo adhuc hodierno die plerique cæcutiunt, humanam scilicet voluntatem ad bene agendum ex sese liberam esse & tamen propter corporis contagionem, ad malum esse propensioem. Id verò est quod à Vergelio significatum lib. 6. Aeneidos,

*Ignis est illis vigor & caelestis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.*

Itémque à Socrate philosopho, cum hic respondisse dicitur natura futurum se, vt Zopyrus Physionomon ex vultu & oculis denuncianerat, baidum, libidinosum & vinolétum, nisi philosophiæ præceptis animum excoluisset hisque paruifset. Vnde etiam sapiens astris dicitur dominari.

7 Perturbationes has à corpore exoriri, indicant quæ ex Platoniorum doctrina ab eodem Poëta superioribus versibus subiiciuntur.

*Terrenique hebetant artus moribundaque membra:
Hinc metuunt cupiuntque dolent gaudentque, nec auræ
Respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco.*

Itémque quod Plato ipse in Timæo scribit, Animæ morbi, inquit, propter corporis motum ita nascuntur. Morbum animæ dementiam esse censemus. Eius genera duo ponimus, insaniam & imperitiam. Quæcunque igitur passio alterutrum istorum infert, ægritudo est nuncupanda. Idcirco voluptates doloresque admodum vehementes, morborum omnium grauissimi iudicandi. Quisquis enim vel nimia gessit lætitia, vel nimio dolore deprimitur, dum illa audius importuniusque asciscere, hunc vitare obnixè conatur: neque cernere, neque audire rectè quicquam potest, sed rabie furit, & in eo habitus constitutus, minimè rationis est compos. Qui verò fluido stupidoque circa medullam abundat semine, vtque arbor pluribus quam conueniat fructibus grauida, nimia vbertate luxuriat: is profectò multis passim doloribus, multis item voluptatibus in libidinibus ipsis earumque fructibus fructibusque affectus, per omnem ferme vitam ob ingentes voluptates doloresque insanit ac furit. Cumq; huius animus propter corpus

æger

æger sit & inspiens, vulgo tamen non æger sed pro voluntate sua vt liber affectus falso putatur. Veritas autem sic habet. Nempe veterum intemperantia, maxima ex parte propter vnius generis habitum, per ossium raritatem in corpore lubricum madidumque, animi infirmitas est. Ac fere omnis voluptatum incontinentia, quæ perinde ac si sponte improli sumus, vituperari solet, non rectè ita vituperatur. Nemo enim spontè malus, sed propter prauum quendam corporis habitum rudemque educationem, malus omnis, fit malus. Omnibus autem aduersa inimicæque hæc sunt, & mala obnoxia que contingunt, Rursus dolore afflictus animus, similiter propter corpus in prauitatem plurimam incidit. Acris enim & infesta pituita, amari item fellis que humores, quando oberrantes per corpus non exhalant, per viscera reuoluti, vaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ varios & magis & minus, tum plures, tum pauciores efficiunt. Et in Phædone, Omnis voluptas atque dolor, inquit, animam corpori affigit atque connectit, efficitque corpoream: adeo vt iam opinetur esse vera quæ suadet corpus. Nempe ex eo quod eadem opinetur cum corpore eisdemque oblectetur, cogitur, vt puto, eiusdem moris eiusdemque alimoniam fieri: vt nunquam possit pura in vitam alteram proficisci: sed semper plena corporis labe proficiscatur. Ideoque cito cadat in aliud corpus, & quasi sata iterum innascatur, ac propterea à commercio diuinæ, puræ, vniuersalis essentia, aliena prorsus euadat. Quod etiam secutus Galenus, morum nomine intelligens varias animi propensiones ad istiusmodi motus & perturbationes, vno libro docet mores animi sequi variam corporis temperationem. Et idem alio loco, ex eo dubitat sit ne animus aliud à corporis temperatione, quod animaduertit animum corpore immutato variè affecto, immutari solere & variè affici. Quod verò sequitur apud Alcinoium, de his quæ iuste vinendo ad astrum cognatum sibi reditum parant, id pertinet ad communem iustitiam positam in superandis illis omnibus perturbationibus, quas ex corpore nasci diximus. De qua sic idem Plato lib. 10. de Legibus. Nunc iam tibi quid iustum, quid ve iniustum dico, inquit hospes Atheniensis, clare absque vlla ambiguitate exponam. Iræ namque atque timoris, voluptatis & doloris inuidiæque cupiditatis, tyrannidem in animo siue noceat, siue non, omnino iniustitiam nomino. Sed opinionem optimi, qua videlicet ratione ciuitas vel priuati aliqui putabunt, si animo dominata, omnè virum exorinet, etiam si quid minus rectè illi successerit, iustitiam nomino: & quidquid inde gestum sit, iustum appello. Atque eos, qui eiusmodi principatur libenter parent, opimè viuere dico. Hæc que ea iustitia est de qua, vt Aristoteles ait cap. 1. lib. 5. Ethic. Factum est hoc iam tritum sermone, iustitia vna omnes reliquas virtutes continet. Nam cum per iustitiam tribuatur cuique quod debetur: rationis autem esse debeat imperium, & perturbationes quæ sunt in parte animi inferiori, ad eius regulam sint reuocandæ: is iuste viuet qui ratione quasi rectum clauum tenente, actiones reget, perturbationes omnes reprimet. In quo posita est perfectio virtutum omnium, quæ morales appellatur. At speciales altera iustitia (quæ vna est ex virtutibus morum) ad commutationes premiorumque & penarum distributiones tantum pertinet. De qua distinctione postea pluribus differetur in postrema parte libri huius.

EEE



IOSEPHO FVLLONI

D. GENOVEFAE COENOBIA-
chæ vigilantiss.

Iac. Crapentarius S.

NAborum omnium quos in humanioribus literis non omnino fortasse, pœnitendos posuimus, primitiæ iam pridem tuo cœnobia denotæ sunt & cōsecrata, Cœnobia Vigilantissimè ex eo, scilicet, tempore quo nostra ætate adhuc ineunte Ornatissimum virum & multis pietatis monumentis (quæ quidem adhuc extant) spectabilem, Philippum Bellum, eiusdem Cœnobiij rectorem (quem fortunarum tuarum exornatorem merito fateris) ego rerum omnium mearum parentem agnoscerem, & quibus rationibus tum poterã, apud omnes celebrarem ac prædicarem. Quare æquum visum est ut in studiorum philosophicorum summa, quam hoc opere colligimus, pars aliqua ad te rediret quæ me & tui cœnobiij & beneficiorum ab illo Optimo parente quondam acceptorum, memorem apud omnes testaretur. Præsertim cum ipse ad hoc conficiendum atque edendum me sermone tuo quotidie hortareris, aperteque declarares quantam ex eo voluptatem cum publica studiorum omnium utilitate coniunctam expectares. Quam vtinam animo tuo non falso conceperis, aut in hac tuo cādore

concepta, minimè eum perdidideris quem ad maiorem nominis celebritatem alliciendo, tu certè cum multis aliis ornatissimis viris, videris in eas angustias coniecisse ex quibus hodierno die pedem referre non potest. Quāto verò erat tutius, domi hoc nostris auditoribus continere? externorum iudicia non subire? Solæque expectatione eius in quo iam pridem animi pendeo, aliorum animos, sicut plerique faciunt, tātum lactare? Sed iam iacta est alea. In cuius euentu ut omnes intelligant quid tibi debeatur partem hanc de Pythagorica Metempsychosi, quæ nostram religionem nonnihil attingit, tibi consecrandam existimaui. Quam si recipis, si placet, hoc etiam intelliges vocari te ad reliqui operis defensionē. Quod cum te urgente maximè, ante tempus fortasse sit editum, æquum est ut ad eorum quorum patrociniò in hoc nitimur, authoritatem accedas. Hoc verò ut ex animo facere velis, etiam atque etiam per tuam humanitatem rogamus. Bene Vale.

EEE ij



DE METEMPSYCOSI PYTHAGORICA, DISPVATIO,

QVAE DIGRESSIO EST QVINTA.



VT ad explicandam Pythagoricam Metempsychosin, de qua hoc loco agitur, nobis viam paremus, considerandum est, quæ apud Platonem animæ humanæ conditio prius quàm cum corpore coniungatur, quæ in ipso corpore, quæ denique cum ex hoc excesserit. Et in eisdem tribus temporibus Aristotelica cum Platonicis, sicut cepimus, conferenda: deinde de hac ipsa Pythagorica Me-

Anima qualis, ante corpus.

tempsychosin veterum Platoniorum in excusando magistro sententia consideranda, & cum nostris theologis conferenda. Ille libro 10. de legibus, animam corpore antiquiorem esse ait: & in Phædone scribit eam prius quàm in corpus demittatur, alicubi esse, illseque in aperta rerum omnium cognitione vigere: ipsius verò corporis contagione, in obliuionem vitæ superioris incidere idem ait in Phædro: nec eam quicquam intelligere nisi secundum speciem ex multis procedentem sensibus, in vnum ratiocinatione conceptum. Hoc autem, inquit, recordatio est eorum, quæ olim vidit cum Deo perfecta, & illa despiciens quæ nunc esse dicimus, & ad id quod verè est, sursum reflexa. Et in Phædone, si acceptis scientiis, inquit, non semper obliuisceremur, oporteret & cum ipsis nasci, semper etiam per omnem vitam scire. Nam scire id est, acceptam rei alicuius scientiam retinere, nec amisisse. An non obliuionem, scientiæ iacturam esse dicimus? Ita profusus ô Socrates. Sin autem acceptam ante ortum scientiam, nari amissimus, deinde verò freti sensibus circa ipsas scientias, illas quas ante habueramus, recipimus, nonne id quod discere appellamus, esset scientiam propriam recuperare, atque id reminisci nominantes, rectè nominaremus? Rectè. Fieri enim id posse apparuit: videlicet vt cum quis aliquid senserit vel videndo, vel audiendo, vel aliter sentiendo, aliud quiddam ex hoc cognoscat cuius erat oblitus: cuiquidem hoc quodammodo propinquabat, siue id simile sit, siue dissimile. In Menone, post-

Disciplina nostra, recordatio.

quam pusionem, qui Geometrica nunquam antea in vita hac didicerat, interrogant de dimensione quadrati, hic cum respondere videtur vt doctus, Socrates eum sermonem ita concludit. S O C. Quid tibi Meno videtur: Respondit ne hic vnquam ex alterius quam ex sui ipsius opinione? M E N. Nequaquam, sed ex propria semper. S O C. Veruntamen haud nouit, vt paulò ante confessi sumus. M E N. Vera loqueris. S O C. Inerant ergo huic opiniones huiusmodi. M E N. Inerant. S O C. Huic igitur ignorati, opiniones de his quæ ignorat veræ insunt. M E N. Apparet. S O C. Nunc igitur huic opiniones quasi per somnũ iulcitatæ sunt. Quod si quis interroget hunc talia quædam sapè & multa, certè scies hunc ista si quis alius nouit, perfectè cogniturum. M E N. Videtur. S O C. Nonne igitur nemine prorsus docente, sed interrogante potius ista sciet, ex se ipso scientiam ad se reuocans? M E N. Sic est. S O C. Recuperare verò scientiam in se ipso, an non reminisci? M E N. Prorsus. Animam verò in singulorum hominum ortu idem voluit è cælo demitti, nõ tanquam in naturale domiciliũ, sed quasi in carcerem vel ergastulum. Ideoque scribit in Cratylo corpus esse dictum *σῶμα* quasi *σῆμα* id est sepulchrum: quod in hoc anima quasi sepulta iaceat. Cui simile est quod à Philolao Pythagoreo dictum commemorat Theodoretus lib. 5. de curatione græcarum affectionum, ob quædam supplicia animam corpori esse coniugatam & quasi consepultam. Quod in Platone Arist. repræhendit cap. 3. lib. 1. de Anima, vultque inter animam & corpus naturalem quandam cognationem intercedere hocque etiam ab illa appeti. Quia in se continet instrumenta necessaria ad eas actiones obeundas, quarum eadem anima est principium. In quo ipse Plato quasi sui oblitus, quodammodo huic posteriori Aristoteles opinioni assentiri nonnunquam videtur, cum scribit talem esse inter animam & corpus cognationem, qualis inter ignem & bitumen cernitur: aut cum lib. 3. de Repub. ait curandum esse corpus propter eam harmoniam quam habet cum anima. Per corpus enim (inquit) vivere nobis licet, ac certè: si veritatem clara voce testari velimus. Ideoque in horum cum superioribus comparatione, eodẽ libro à Theodoretis sic exagitur. Si anima per corpus viuit, inquit, ac rectè viuit, fit vtique vt antè corpus ea nõ fuerit. Quod si fuit etiam ante corpus, vtique & viuebat, immortalem sortita rationalemque naturam. Quod si erat olim & ante corpus, nec tamen rectè viuebat cum seiuncta esset à corpore, at vbi venit in corpus, eo ipso bene instituto, tunc denique rectam vitam anima duxit, necessariò sequitur, vt anima per corpus ea bona consequuta fuerit quorum particeps ea non erat antequam corpori iungeretur. Quid ita igitur insepultam corpori veluti monumento cuidam Plato dixit?

Anime cum corpore duplex comparatio.

Quamquam hæc Theodreti & Aristotelis obiectiones commode poterunt explicari ea distinctione duplicis comparationis animæ cum corpore, quæ postea tractabitur cap. 18. lib. huius. Iam verò videamus quo modo in corpus demitti dicatur, In hominum ortu hæc duplici lumine dicitur exornari. De quo sic Marsilius Ficinus in Symposi. Plat. Anima statim ex Deo nata, inquit, naturali quodam instinctu in Deum parentem suum conuertitur: quemadmodum ignis in terra vi superiorum genitus, confestim nature imperu ad superiora dirigitur. Conuersa in eum, radiis eiusdem illustratur. Sed primus hic fulgor in animæ substantia per se prius informi, receptus, fit obscurior atque ad illius tractus capacitatem, proprius ipsi & naturalis euadit. Ideoque per eum, vt pote sibi æqualem, se ipsam & quæ infra se habet, id est corpora omnia anima videt. Deum verò & alia superiora non videt. Sed enim per primam hanc scintillam Deo facta propinquior, aliud iterum clarius accipit lumen: quo etiam superna cognoscit. Lumen igitur habet geminum, naturale alterum siue ingenitum, diuinum alterum & infusum: quibus vna coniunctis seu duabus alis, per sublimen volare valeat regionem. Cum verò in vita hac corpore constemus & anima, ex eodem Platone intelligi potest nos corpus ab elementis accipere, naturalem speciei constitutionem à cælestibus spheris, partes animæ quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus & animis syderum spherarum, accedente etiam ipsius corporis contagione: rationem verò & mentem nostri parentis imaginem, ab ipso mundi totius opifice, sine vllò cælestium orbium, aut dæmonum ministerio. Quod hic etiam Alcinous significauit, pluribus verò Plato in Timeo sic exposuit. Hæc omnia, inquit, primum Deus exornauit. Deinde ex his hoc vniuersum constituit, animal vnū in se animalia omnia mortalia & immortalia continens. Et diuinorum quidem ipse author est. Mortalium verò generationem natis suis tradidit absoluendam. Illi igitur suum imitati parentem principiumque animæ suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauerunt, totumque corpus animæ quasi vehiculum subdidere: atque in eo aliam animæ speciem fabricauerunt mortalem, quæ grauibus necessariisque perturbationibus afficeretur. Quarum prima foret voluptas, esca maxima mali, dolor deinde, fuga impedimentumque bonorum, audacia præterea metusque consultores amentes, & implacabilis iracundia, spes etiam blanda conciliatrixque cum irrationali sensu amoræque omnium inuasere. Atque hæc quidem Platonica, de anima humana in corpore & ante corpus: nunc reliquum esse videtur vt eiusdem conditionem cum è corpore excesserit, inquiramus. De qua sic loquitur Socrates in Phædone. Si pura discesserit, corporeum nihil secum trahens: vt pote quæ

Anima qua
In post vitam
hanc.

sua cum illo inuita communicauerit, sed fugerit illud semper seque in se collegerit, tanquam semper id meditata, quod quidem nihil est aliud quam rectè philosophari, mortemque reuera facilè commentari, an non hæc est commætatio mortis? Est omnino. Anima, inquam, si sic affecta discesserit nonne ad aliquid sibi simile diuinum abit? Diuinum & immortale & sapiens? Quo cum peruenerit, euadit scilicet ab errore, dementia, timoribus durisque amoribus cæterisque humanis liberata malis, & quemadmodum de initiatis dici solet, reuera reliquum tempus vitam cum diis agit. Ita ne est ô Cebes, an aliter? Ita per Iouem, inquit Cebes. Sin autem polluta impuræque decedat, vt pote quæ corpus semper amplexa, ipsum duntaxat coluerit & amauerit, eiusque voluptatibus & libidinibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit & vsque adeo capta vt nihil aliud putet esse verum nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quodve bibat & quod edat & quod veneris vtatur: quod verò oculis occultum & inuisibile sit, veruntamen intelligibile & philosophia comprehendendum, habere odio consueuerit, tremereque & fugere: sic inquam institutam animam putas ne ipsam per se sinceram euadere Nullo pacto, inquit. Sed infectam inuolutamque, vt arbitror, contagione corporea, quam consuetudo congressisque cum corpore propter continuam familiaritatem, plurimumque eius cultum, efficiet congenitam? Ita putamus. Ponderosum verò ô amice id putandum est & graue terrenumque & visibiles quod anima eiusmodi secum trahit: ideoque ab eo grauatur & ad visibilem trahitur locum, metu inuisibilis atque occulti. Et, quemadmodum dicitur, circa monumenta sepulchræque versatur: circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarum vmbrosa phantasmata: qualia præferunt simulachra, tales animæ quæ videlicet non pure decesserunt à corpore, sed visibile aliquid trahentes: quo fit vt videri possint. Consentaneum est ô Socrates. Consentaneum tamen ô Cebes non esse has bonorum animas: sed malorum: quæ circa hæc oberrare cogantur, pœnas dantes vitæ improbe actæ. Itaque iamdiu circūuagantur, quoad cupiditate naturæ corporæ dominante, rursus induant corpus. Induunt autem, vt decens est, eiusmodi mores quales in vita exercuerunt. Amplius verò idem sub finem eiusdem dialogi, accomodatius ad religionem nostram, distinguit triplicem conditionem animarum è corporibus excedentium. Cum hæc ita natura disposita sint, inquit, quando in eum locum defuncti peruenerint quo demon vnumquemque perducit, primò illic iudicantur, & qui honestè sanctèque & qui aliter vixerunt. Itaque quicumque in vita quodammodo tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti, vehiculis quæ unicuique ad sunt, in paludem perueniunt Acherusiam: ibique habitant purgan-

Animarum
triplex con-
ditio, post vi-
tam hanc.

turque, pœnas dantes iniuriarum: & cum purificati sunt, absoluntur: rursusque pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna & cedes iniquas, vel alia horum similia perpetraverunt, hos omnes conueniens fors mergit in tartarum, vnde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem, sed ingentia commiserunt, veluti si qui contra parentem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed pœnitentia ducti, eos in reliqua vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ: eos in tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per annum commorati, à fluctu eiiciuntur: homicidæ quidem per Cocytum, parentum violatores per periphlegetontem. Postquam verò ab iis delati fluminibus, ad paludem Acherusiam peruenerint, clamant illic vociantque eos quos vel necauerunt, vel iniuriis affecerunt: suppliciterque rogant ac deprecantur vt eos permittant progredi per paludem, ibique absolui. Ac si impetrauerint, penetrant illuc finemque malorum accipiunt. Sin minus queant persuadere, referuntur in tartarum atque inde rursus in flumina: neque per hæc mala deferri prius cessant, quam ab iis quos affecerant iniuriis, veniam impetrauerint. Hęc enim pœna illis à iudicibus est imposta. Qui autem piè præ cæteris vixisse inueniuntur, hi sunt qui ex his terrenis locis tanquam è carcere soluti atque liberati, at altiora transcendunt putamque supra terram habitant regionem. Atque hæc quidem fundamenta sunt eius sententiæ quam hoc loco inquirimus. Apertius verò illa ab eodem sic explicantur in Phedro. Regula Adrastie deæ, id est inæuitabilis numinis hæc est, inquit, vt quæcunque anima Deum comitata, aliquid verorum inspexerit, ea vsque ad circuitum alium sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illeßa. Si verò impotens assequendi, non inspexerit, & casu aliquo vsa, repleta obliuione & grauitate, grauetur, grauata autem pennas confregerit, in terramque reciderit: tunc prohibet lex hanc in prima generatione, in aliquam brutalem ire naturam, sed iubet eam quæ plurima viderit, in genituram viri philosophi, aut pulchritudinis cupidi, aut musici atque amatorij: eam verò quæ secundo loco, in regem legitimum aut bellicosum virum & imperatorium descendere. Tertio in gubernatorem Reip. aut rei familiaris dispensatorem, vel quæstuarium. Quarto, in laboriosum gymnasticum, aut circa medelam curamque corporis versaturum. Quinto, in eos qui vates futuri sunt & circa mysteria quædam. Sexto, in poetam, vel aliū quemuis eorum qui aptè in imitatione versantur. Septimo in artificem vel agricolam. Octauo, in sophistam & popularem. Nono in tyrannicum. In us autem omnibus quicumque iustè vitam egerit, sortem postea

stea nascitur meliorem: qui verò iniustè, deteriolem. In idem enim vnde profecta est, cuiusque anima annorum decem millibus non reuertitur. Nam alas ante hoc spatium non recuperat: præter illius animam qui philosophatus est sine dolo, vel vna cum sapientiæ studio pulchritudinem amauit. Hæc quidem tertio ambitu mille annorum si ter hanc ipsam deinceps elegerint vitam, sic recuperatis alis, post tria millia annorum euolant abeuntes. Aliæ verò animæ, primæ vitæ finem consecutæ, iudicantur. Iudicatæ autem aliæ sub terra in iudicij locum euntes, meritas illic pœnas sustinent. Aliæ in cæli quendam locum per iudicium eleuatæ, ita degunt vt dignum est ea vita qua in hominis figura vixerunt. Millesimo anno ambæ redeuntes, sortem & electionem secundum vitæ genus suscipiunt. Deligit vnaqueque eam vitam quam velit. Sic & in bestia vitam anima humana transit, & ex bestia rursus in hominem: si modo anima prius quandoque fuerit hominis. Nam quæ nunquam veritatem inspexerit, in hanc figuram venire non poterit. Oportet verò hominem intelligere secundum speciem ex multis procedentem sensibus in vnum ratiocinatione conceptum. Hoc autem recordatio est illorum quæ olim vidit anima nostra cum Deo perfecta & illa despiciens quæ nunc esse dicimus: & ad id quod verè est, sursum reflexa. Idem in Phedone, animæ malorum, inquit, circa sepulchra oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbæ actæ. Itaque tandiu circunuagantur, quoad cupiditate nature corporeæ comitante, rursus induant corpus. Induunt autem, vt decens est, eiusmodi mores quales in vita exercuerunt. Quales dicis mores ô Socrates? Eiusmodi. Eos quidem qui ventri dediti, per inertiam atque lasciuiam, vitam egerunt, nec quicquam pœni pudorisque habuerunt, decens est asinos similiaque subire. An non putas? Cõsentanea loqueris. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorum genera par est transire. Num alio has migrare dicendum est? Ita potissimum, inquit Cebes. Similiter & in cæteris. Abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita similes mores contraxerunt. Atque hæc quidem de tribus temporibus quæ in vita animæ ab initio distincta sunt, Platonis sententia. In quibus si Aristotelem cum illo attente comparamus, facilè intelligemus non modo quam differetes sint in quaestione de animæ natura (de qua postea differetur) sed etiam si vterque agnoscat mentis immortalitatem, de hac tamen maximè diuersas esse & differentes horum sententiæ. Prius enim non existimasse Arist. animam tẽpore priorẽ eo corpore quod in-

*Anima an
prior corpore
apud Arist.*



quit, tanquam antea orta, existunt: quæ verò vt ratio, simul sunt. Cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est, & forma æneæ spheræ, simul atque æneæ spheræ. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet. Veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus. Omnem namque fortassis impossibile est. Altera ratio, quod anima ante corpus esse non potuit sine aliqua energia & actu. Quoniam in vniuersitate naturæ cum ipsæ res cõpositæ, otiosæ esse nullo modo possint, formæ certè multo minus, vt potest colligi ex eo quod de Deo Arist. scribit cap. 8. lib. 10. Ethic. Animæ autem antè corpus existentis, actus alius esse non potuit, quam intelligendi. Quare si ex huius sententia illa erat antequam cū corpore coniungeretur, intelligebat & contemplabatur. Id verò quo modo, nisi per speciem ingentam, quæ postea per corporis contagionem obliuione obliteretur. Quod qui in Aristotelis doctrina reciperet, in eo illum faceret Platonis sectatorem, in quo magno studio Platoni contradixit. Primum enim non erit intellectus humanus quando cum corpore coniungeretur, similis tabulæ nudæ, in qua nihil omnino fuit depictum, quod tamen Arist. scribit cap. 4. lib. 3. de anima: sed potius, vt Plato loquitur, tabulæ rasæ, in qua rerum in intelligentiam cadentium, species omnes ingentæ, sed tenebris corporis obscuratæ. Deinde disciplina nostra erit vitæ superioris recordatio, non noua notionum ex visis efformatio: quod idem in Platone reprehendit cap. 1. lib. 1. Analyt. post. & cap. vltimo lib. 2. At, inquit aliquis, quomodo apud Arist. intellectus humanus, si ante corpus non fuit, æternus erit vbi è corpore excesserit: cum idem contra Platonem disputet lib. 1. de cælo, omne quod principiū habuit, eadem lege qua incepit, sinè quoque aliquando esse habiturum. Difficilis est huius rei in Aristotelis doctrina explicatio: eaque, sicut mihi videtur, effecit vt nonnulli in ea ausi nõ sint affirmare intellectum qui in singulis est, immortalem, sed vnã esse communem mentem, quæ sua essentia cum externa sit, radiis sui luminis cum nostro intellectu vniatur & notiones in eo illustrando, faciat vt actu intelligamus. Difficultatem hoc etiam adauget quod cum mentem separabilem à corpore & immortalem affirmet locis multis, qui postea colligentur, nusquam tamen futuram eius conditionem cum è corpore excesserit, apertè exprimat, Sed cap. 11. lib. 1. Et hic, vbi in hanc quæstionem incidit, de mortuis, vtrum boni alicuius participes sint, de hac frigide admodum respondeat: & lib. 10. cum sapientem ipso contemplandi munere beatissimum & Deo simillimum esse velit, non attingat tamen quæ in altera vita eius conditio sit futura. Quæ omnia, cum aliis quæ collecta sunt cap. 11. lib. 4. prioris nostræ descriptionis physicæ, sedulo comparanti, fatendum

esse videtur Aristoteli naturam in omnibus sequenti, non satis definitam fuisse de quæstione hac sententiam: aut cum fortasse vnã tantum communem mentem externam immortalem esse crederet, non satis tutum fuisse hoc apertè exprimere: ne hac opinione publicam Atheniensium religionem offenderet & illis qui antea Socratem morti adiudicauerant, quod noua de diis sentire videretur, iterum peccandi in philosophiam occasionem daret. Scio de quæstione hac aliud statui posse ex eo opere quod de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios, inscriptum Aristoteli tribuitur à nonnullis: sed quia hoc multis de causis mihi suspectum est, eius autoritate vti non audeo ad colligendam huius sententiam de animæ natura. De qua in eo ipso opere pluribus à nobis est disputatum. In Metemphysicis maior est inter hos & apertior dissensio. Aristoteles enim quia in omni naturali corpore præparationem certam inesse vult ad eas actiones quæ sunt propriæ formæ, hac in parte Pythagoreorum sententiã reprehendit cap. 3. lib. 1. de anima. Quod in corpore belluæ non sit apta præparatio ad eas actiones quarum humana forma principium, est & causa: multo que minor in corpore plantarum. Illud alienum inquit, & huic sententiæ & plurimis earum quæ de anima ponuntur, accidit quod coniungunt & collocant animam in corpore, nec quam ob causam, exponunt, nec quemadmodum corpus affectum esse oporteat. Quod necessarium videtur esse. Vtriusque enim societas & coniunctio, facit vt anima agat, corpus accipiat atque patiat & hoc moueatur, illa moueat. Cum mutua ista affectio in quibusuis non temere reperitur. At verò hi solum exponere conantur quidnam sit anima: de corpore autem quod illius est domicilium & receptaculum, nihil præterea explicant. Quasi verò fieri possit ex Pythagoricis fabulis, vt quæuis anima in quoduis corpus quod occurrerit, immigret: cum in suo quicque genere permanere videatur. Similiter autem dicunt vt si quis fabricum artē, in tibias ingredi asseueret. Vt enim ars instrumentalis, sic anima corpore vti debet. In cuius loci interpretatione non assentior Hieronimo Cardano libro de animæ immortalitate, aut Io. Genesio Sepuluedæ in epistola quadam ad Gaspardum Cardillum, in qua ne animarum infinitum numerum apud Aristotelem concedere cogantur, posita earundem immortalitate mundique æternitate (de quo postea suo loco in quæstione de immortalitate disputabitur) existimant illū improbauisse quidē animarū humanarum transitum in corpora belluarum. At hoc eundem in Platone sequutū, quod credebat illas aliquando noua hominum corpora ingredi, neque id esse contra eam rationem quam de corporis præparatione ad formam ex lib. 1. de anima paulo antè attulimus. Neque vero magis

Arist. sententia de Metemphysicis.

placet quod eodem loco subiicit Sepulueda, cum ab Arist. dictum est animam à corpore separatam nō recordari, ab illo videri significatū, intellectum qui nunc per migrationē est Iullius & prius fuerat Alexander, non meminisse eorum quæ ab Alexandro visa audite fuerunt. Propterea quod, ut ait, intellectus passiuus, id est phantasia seu facultas imaginandi, sine qua nec intelligere datur, nec meminisse, cum corpore extinguitur. Vtrumque enim Aristotelicæ physiologiæ mihi aduersari videtur: etiam si animaduertam in priore Platonis opinionem laudari eodem opere de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios. Ex quo fortasse Sepulueda in hanc de Aristotele sententiam est impulsus. Apud Mercurium Trismegistum, scriptorē Platone longe antiquiorem, hæc mentempsychosis, etiam ad beluarum corpora refertur in Pimandro, initio Sermonis 10. Animarum humanarum, inquit, permultæ mutationes partim in melius fœliciusque, partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur, aquatiliū animæ in terrestria migrant, terrenorum in volatilia scandunt, aereorum vertuntur in homines, hominum deinde immortales animæ, in demones transeunt, demum in deorum chorū fœliciter reuolāt. Quinquā ad finem, eiusdē sermonis, scribitur humanam animā nō nisi humanū corpus posse subire. Humana anima, inquit, postquam per mortem à carcere corporis est exempta, cum omnis subierit virtutis pietatisque mandata, certe aut mens aut Deus efficitur. Certamen autem religiosæ pietatis hoc est, recognoscere Deum, iniuriā inferre nemini. Anima autem impia in natura propria remanet, ac se ipsam nimium cruciat: corpus querit quod ingrediatur, terrenum & humanum. Aliud quippe corpus quam humanum, animam non capit humanam: nec fas est in corpus animæ ratione carētis, animā rationalē corrucere. Lex enim diuina generationē tā nefariā prohibet. Vnde Platoniorum de hac, magistri sententia variæ opiniones extiterūt. Nonnulli enim hanc omnino dānauerūt: alij vt cū aliqua probabilitatē retinere possent, ad verborū allegoriā confugerūt quia in verbis vix quicquam erat quod tolerabile videri posset. Improbata hanc a Porphyrio nobis auctor est D. Augustinus cap. 30. lib. 10. de Dei Ciuitate. Idque ex eo potest intelligi, quod ille libris tribus de abstinētia ab esu carniū, eos reprehendit qui arbitrātur Pythagorā in cibis aliorū animalū carnibus nō esse vsum, quod in eorū corpora anima humana aliquādo cōmigraret. Plotinus cōtra, libro de proprio cuiusque demone, in eadē sententiā, verba sine vlla allegoria sequutus esse videtur. Anima tandem è corpore migrās, inquit, id id ipsum quo abundauit, euadit. Itaque ad superiora confugiendum, ne in sensualem speciem delabamur, simulachris videlicet

Mercurij opinio de Mentempsychosi.

sensilibus obsequi. Neue in vegetalem animam precipitemur, mancipati libidini generandi & irretiti suauitate saporum. Sed ad intellectuale, ad intellectum, ad Deum totis viribus assurgendum. Quicumque igitur proprietatem seruauerunt humanam, homines iterum renascuntur. Quicumque vero solo vti sunt sensu, bruta animalia redeunt. Ita tamen vt qui sensu precipue vna cum ira, animalia fera exoriantur: atque in iis differētiā quoque talium afferāt. Qui vero sensu per concupiscentiam voluptatēque vti sunt, salacia & ingluuiosa animalia reuertantur. Verum si non tam sensu vna cum iis, quam sensus degeneratione vixerint, vna cum ipsis plantis repullulant. Solum namque, vel maxime in iis viguit vegetale: omnisque illis cura fuit vt in plantas commutarentur. Proinde qui musicis modulis nimium deliniti vixerunt, in ceteris non deprauati, animalia musica renascuntur. Et qui sine ratione regnarunt, fiunt aquila, nisi prauitate alia sint infecti. Qui absque sapientia confidentius sublimia tractant, in cœlum sæpe suspicientes: mutantur in aues altiora semper volatu petentes. Qui ciuilem virtutem consequutus est, reuertitur homo. Sed qui ciuilem virtutem haud satis est assequutus, in ciuile animal, vt in Apem, vel similia se transformat. Idem cap. 13. lib. 1. de diuina prouidentia, hac in parte doctrinæ Platonice, admirandam esse vult rerum omnium iustissimam vicissitudinem. Spernendum preterea non est, inquit, quod dici solet, non decere semper spectare presentia, sed preritos quoque circuitus & futuros. Inde namque pro dignitate iustè rependitur, dum commutatio fit ex dominis in priorī vita, in seruos in vita sequenti, si modo improbi fuere domini. Et profecto ita mutari his hominibus expedit. Præterea si diuitiis abusi sunt, in pauperes transferuntur. Vbi bonis quidem esse pauperes, non est inutile. Item qui iniustè quempiam occiderunt, iniustè similiter occidentur. Iniustè quidem quo ad eum spectat qui interficit: iustè verò quoad eum pertinet qui necatur. Sane qui patitur ita in idem conducet vna cum illo qui ad hæc perpetranda sit promptus, quæ illum pati decebat. Nemo putet quempiam temeraria fortè fieri seruum: neque casu quodā fieri captiuum, neque absque ratione violari corpus. Sed quōdam ille perpetravit, quæ in presentia patitur. Et qui olim extrinxit matrem, in posterum extinguitur à filio, aliquando natus fœmina. Et qui vitiauerit mulierem, ortus deinde mulier, vitia bitur. In huius autē sententiæ allegoria cum multis locis repetita sit Marsilij Ficini sententia, nunc ea prætermittam quæ dicuntur lib. 17. Theologiæ Platonice: ac tantum breuiter persequar quæ idem in Platonis & Plotini interpretatione commemorat. Primum verò in 9. de legibus, Soli Plotino visum est, inquit, ani-



mam hominis fieri aliquando animam belluæ: cæteris Platoniceis hoc displicuit. Consentiant tamen eam vicissim in homines alios transmigrare. Quod quidem etsi Plato non habet certum, habet tamē valdē probabile. Quod verò migret in bestias, sepè quidem recenset, sed dedita opera adeo præter solitam grauitatem ridiculè narrat, vt planè demonstrat negandam quidem esse rem ipsam: allegoriam vero esse quærendam. Scilicet vt transire in brutum duobus modis accipias: primo quidem in affectum, imaginationem habitumque bruto conuenientem: deinde in habitationem cōsuetudinēque inter feras ad tempus, supplicij gratia. Nonno vero de Repub. belluarū in quas transitus fieri dicitur, varietatem refert ad ipsius concupiscentiæ varietatem in nobis. Idēque sequitur in Phædone. Commentario autē in Plotinum cap. 2. lib. de demone proprio, Quamquam hominis anima, inquit, quodam modo in se ipsa mutetur, nunquam tamen ultra certos humanæ speciei terminos transmigratur. Quod etiam videtur placuisse Iamblichō, cum dixit animam in qualibet trāsmutatione suam speciem seruare. Quoniam eius motus exordium habet ab ipsa & agitur intra se ipsam. Quæ vbi dicitur esse omnia, intelligenda est esse omnia, nō quolibet modo, sed suo, id est speciei propriæ proprio. Noli itaque dicere animam si est omnia per potentiam naturalem, ergo quādōque fit omnia. Nunquam enim anima ipsa fit forma corporea, siue corpus: quia videlicet anima non est quomodolibet eiusmodi forma vel corpus, sed propriè secundum ipsum vitæ modum. Ita neque fit bestia: quoniam anima non est simpliciter animal, sed modo duntaxat humano. Et eodem loco, Proclus vna cum omni Platoniceorum schola, inquit, intellectualem animam negat ferino corpori admodū alieno sic accommodari posse vt ei quādōque in vita comunicet. Cōmunicare verò cum brutis aliquando illi putant in quadam similitudine vitæ, idque sensisse Platonem. In quam sententiam Io. Reuchlin lib. 2. artis cabalisticæ, scribit Merempsihos in Pythagoricam nihil aliud verè doctis viris significare, quam similitudinem motuum & studiorum (quæ in aliquo iam mortuo antea extiterunt, in alio nunc viuo renasci. Sicque olim dictum, in Pythagora renatum Euphorbum: quod quæ virtus bellica in Euphorbo Troiano clauerat, ea in Pythagora quodammodo appareret, propter amorem quo athletas prosequeretur. Quare admirantibus ipsis athletis, quod in philosopho literarum studioso tantus esset amor pugnæ, hic respondisse dicitur hoc minimè mirum videri debere: quod in se vigeret anima Euphorbi: hoc est, ingenium, studium, motū & voluntatē. Euphorbi apud se residere: qui tamen si esset pacis præceptor & quietæ contemplationis author, tamen in se ipso sentiret quasi belli Troiani

quoddam desiderium. Quo audito, vel ignorantia mysteriorum Pythagoricorum, vel peruersitate inuidorum qui semper optima quæque peruertunt & aliena dicta recitando immutant, fama percrebuit animum Euphorbi in bello Troiano perempti, transmigrasse in Pythagoram. Quæ opinio poetarum fabulis & aliorum scriptorum additionibus postea aucta est. Cum tamen nihil eiusmodi reperitur in operibus Pythagoræ: in quibus commemorantur *μαρτυρικὸν, πολιτικὸν, φυσικὸν* & eiusdem aurea carmina. Et tamē Tertullianus libro de anima, scribit Samium Sophistam (sic enim Pythagoram nominat) huius opinionis authorem Platoni extitisse. Illum vero vt hoc persuaderet, mortem simulasse: sub terra septennio latitasse: se illic patientia damnasse: deinde quasi ab inferis excitatum, hæc de mortuis & inferis aliis narrasse: dixisse olim se Euphorbum fuisse: hocq; eo probare voluisse, quod recognosceret Clypeum quem Delphis Euphorbus aliquando consecrauerat. Nonnulli in eadem sententia arbitrati sunt animam similem brutis effectam, ad tempus, pœnæ gratia, inter illa versari, atque per eiusmodi imaginationem suam, imaginationibus belluarum insinuari: sicut plerique tradunt inferiores demones corpora humana ingrediētes, imaginationibus se inserere easque mouere: fere eo modo quo Auertoes existimauit intellectum vnum & communem in animas nostras influere, aut alia aliqua ratione. Nam quod dixit Daniel Propheta, Babiloniæ regem ob grauissima scelera inter boues diuinitus esse translatum, donec repurgatus resipisceret, hoc Hebræi interpretantur imaginationem regis illius diuinitus fuisse peruersam vsque adeo vt se bouem factum opinaretur grauitèrque doleret. Quod solet magus vel atra bilis in humanis corporibus efficere propter cognationem quam hæc habet cum ipso dæmone vt antea indicauimus cū de dæmonibus ageremus. Cum verò in iis quæ ad naturæ explicationem pertinent, certum sit Platoni fuisse propositam doctrinam Timæi Locri, ex quo Pythagorea didicerat: ex huius opinione facile poterit intelligi quid ille senserit de eiusmodi transitu animæ in nouum corpus. Timæus autem libro de vniuersitate, cum animam ab ineunte vita optimis moribus imbuendam præcepisset, hæc subiicit. Peruersis, inquit, & iis qui in ipsis vitiis anima sunt ob peccandi consuetudinem obfirmata, legibus decernenda sunt inaudita supplicia: perficiendūque vt metu alterius vitæ & suppliciorū quæ in ea vitari nullo modo possunt, ad virtutem resipiscant. Vt enim ægris aliquando valitudinem restituimus cibo insalubri aut medicamento, cum remedia salutaria primum admota parum profuerint: sic fabulis aliquando animos reprimimus & in officio cōtinemus. Qui nisi rectis monitis parer, existimo nouas & inauditas pœnas esse pro-

Tertullianus de Metemphosi.

Timæi opinio.

ponendas: vt improborum animas diuersa corpora assumere, pro variis vitiis vitæ antea. Animam timidi ingredi in corpus fœmine: iniusti autem & crudelis, ferarum: libidinosi, suis: lenis & superbi, auis: otiosi & negligentis, piscis. D. Augustinus libro de genesi ad litteram, in eiusdem sententiæ interpretatione id ipsum sensisse videtur quod paulo ante ex Marsilio Ficino retulimus. De hoc, inquit, Pythagoreorum ludibrio eorum etiam posteri erubuerunt: nec eos hoc sensisse, sed non recte intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse. Veluti si quisquam de scripturis nostris hoc sentiat, vbi dictum est, homo in honore positus non intellexerit: comparatus pecoribus insensatis & similis factus est eis: aut vbi item legitur, ne tradideris domine bestiis, animam consententem tibi. In hac vero quæstione de conditione animæ ante corpus, in corpore, & cum ex hoc excesserit, Platonem cum Pythagoreis esse deceptum minus mirabitur qui rei difficultatem considerauerit & hanc ex nostrorum theologorum scriptis spectauerit. Nam quod illi aiunt animam ante corpus, omnia in cælo cognouisse, hoc Tertullianus damnat libr. 1. de anima, & hereticorum esse ait. Doleo bona fide, inquit, Platonem omnium hereticorum condimentarium factum. Illius enim est opinio in Phædone, quod animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in Timeo, quod germina Dei delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animæ in mortali, mortale ei circungelauerint corpus. Tum quod mundus hic imago alterius alicuius. Quæ omnia vt fidei commendat & animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio idearum, & inde huc transfuerit, & hic quæ retro norit de exemplaribus recensere, nouum elaborauit argumentum *μαθησις ἀνάμνησις*, id est discipulas, reminiscencias esse. Venientes enim huc inde animas, obliuisci eorum in quibus prius fuerint. Dehinc ex his visilibus recordari edoctas. De quo postea pluribus à nobis disseretur commentario in capit. 17. In quæstione verò altera de conditione eiusdem animæ cum è corpore excesserit, ne nostri quidē primi theologi errorē vitare omnino poterūt. De hac enim sic scriptum ab Origine ca. 12. li. 2. de principiis. Puto, inquit, quod sancti qui que discedentes de hac vita, permaneant in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim, in schola, vel auditorio animarum. In quo de omnibus his quæ in terra viderant, doceantur. Indicia quoque accipiant etiam de consequentibus & futuris: sicut in hac quoque vita positi, indicia quædam futurorum, licet per speculum in ænigmate, tamen aliqua ex parte conceperant: quæ manifestius & lucidius in sanctis suis & locis & temporibus reuelantur. Si quis sanè mundus corde & purior mente & exercitior sensu fuerit

fuerit, velocius proficiens, ad aëris locum ascendet & ad cælorum regna perueniet, per locorum singulorum, vt ita dicam, mansiones, quas græci sphaeras id est globos nominauerunt. In quibus singulis primo perspicitur ea quæ ibi geruntur, secundo rationem quare geruntur agnoscet: & ita per ordinem aggredietur singula: sequens eum qui transgressus est cælos, Iesum filium Dei dicentem, volo vt vbi sum ego & isti sint mecum. Cum ergo ad cælestia loca peruenerint sancti, tunc iam rationem astrorum per singula præuidebunt: & siue animantia sunt, siue quicquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei quas eis ipse reuelabit, intelligent. Iam enim tanquæ filiis rerum causas & virtutem suæ conditionis ostendet, & docebit, quare illa stella cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto spatio dirimente separatur. Verbi gratia, si propinquior fuisset, quid ex hoc esset futurum: si verò longius, quid accideret: aut si maior fuisset hæc stella quam illa, quomodo similis non seruaretur diuersitas, sed in aliam quandam formarentur. Sic decursis omnibus quæ in astrorum ratione & in iis conuersionibus quæ in cælo sunt, continentur, venient etiam ad ea quæ non videntur, vel ad ea quorum sola nomina nunc audiuius & ad inuisibilia: quæ multa quidem esse Paulus Apostolus docuit, quæ autem sint vel quam habeant differentiam, ne exiguo quidem aliquo intellectu conicere possumus. Et ita crescens per singula rationalis natura, non sicut in carne vel corpore & anima, in vita hac crescebat: sed mente & sensu aucta, ad perfectam scientiam mens iam perfecta perducitur. Nequaquam ultra istis carnalibus sensibus impedita sed intellectualibus incrementis aucta, semper ad purum & vt ita dixerim, facie ad faciem rerum causas inspiciens. Potiturque perfectione primo illa qua in id ascendit, secundo qua permanet, cibos quibus vescatur habens theoremata & intellectus rerum rationesque causarum. Atque hæc ille de anima beata. Animæ verum purgationem idem duplicem esse vult: vnam in corpore, alteram cum ab hoc erit separata. Hancque posteriorem omnem certo temporis spatio definitam, nullam omnino æternam videtur agnoscere. De qua sic scribit commentario in epistolam ad Romanos. Qui verbi dei, inquit, & doctrinæ euangelicæ purgationes spreuerit, tristibus & pœnalibus purificationibus semetipsum reseruat: vt ignis gehenne, cruciatibus purget, quem nec apostolica doctrina, nec euangelicus sermo purgavit. Secundum illud quod scriptum est. Et purificabo te igni ad purificationem. Verum hæc ipsa purgatio quæ per penam ignis adhibetur, quantis temporibus quantisque seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus ille potest scire, cui pater omne iudicium tradidit: qui ita diligit creaturam suam vt pro ea semetipsum euacuaue-





rit dei forma. Nam si angelos qui lapsi sunt, in suum statum tandem aliquādo post multa secula restitui idem Origenes existimauit (quod indicat cap. 6. lib. 1. de principiis, non omnino dissentiente D. Ambrosio cap. 3. Commentarij in epistolam ad Ephesios) in homine multo magis dei bonitati & iustitiæ consentanea esse videtur purgatio certo tempore definita, quam perpetua damnatio. Imo hoc ipsum nominatim vult eodem loco: in quo à D. Hieronimo reprehenditur in epistola Epiphanijs ad Ioannem Episcopum Ierosolimitanum. Illud etiam Pythagoræ commentum posteros variè in omnes partes affecit, nonnullosque in grauissimos errores impulit. Nam Tertullianus lib. de anima, scribit Simonem magum qui in actis apostolorum spiritum sanctum pecunia vult redimere, cum Helenam quandam Tyriam de publico libidinis loco eadem pecunia ad se reuocasset: alijs persuadere voluisse, illam esse Helenam pro qua græci ad Troiam pugnaverant: eamque ex illo tempore per multorum corpora volutam: qua iam ad hominum salutem ipsa vti vellet. Quibus similia sunt quæ nostra ætatè nescio quis persuadere conatus est de sua matre Ioanna, libro de claris mulieribus. Et Nicephorus Callistus lib. 10. historiæ ecclesiasticæ, refert Iulianum apostatam dicere solitum se habere animam Alexandri, aut esse ipsum Alexandrum in alio corpore. At Tertullianus in Apologetico contra gentes, hac Pythagorica opinionè vitur pro argumento ad confirmandum quod in religionè nostra dicitur de mortuis ad meliorem vitam excitandis, deque animæ humanæ reditu in idè corpus. Si quis Philosophus, inquit, quod Laberius ait de sententia Pythagoræ hominem fieri ex mulo, colubrū ex muliere affirmet & in eam opinionem argumenta omnia eloquij virtute detorserit, nonne confessum mouebit & fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi? Propterea persuasum quis hoc habeat, ne fortè bubulam de aliquo proauo suo obsonet & prandeat. Atenim Christianis si de homine hominè ipsumque de Caio Caiū reducere repromittat, lapidibus magis, nec saltè cedibus à populo exigetur. Si quæcūque ratio præest animarum humanarum recipiendarum in corpora, cur non in eandem sententiam redeant: cum hoc sit restitui, id esse quod fuerat? Idem facit Gregorius Nyssenus libro de anima & resurrectione, vbi de hac metempsychosi varias veterum opinioniones ita colligit. Qui à nostra philosophia alieni sunt, inquit, in diuersis opinionibus alius aliter ex parte quadam de resurrectione doctrinam attigerunt, nec plane cum nostris sentientes, nec penitus ab huiusmodi spe aberrantes. Nam nonnulli quidem rem communicando, contumelia afficiunt ac dehonestant humanū genus, eandem animam consentes inuicem tum hominis, tum ratione carentis, ac bruti

Gregorius
Nyssenus,
de Metem-
psychosi.

fieri animalis, alia post alia subindè corpora induentem & ad id quod placeat semper transeuntè, vel volatile, vel aquatile, vel terrestre animal post hominem fieri, ac rursus ab his ad humanā redire naturam. Alij vero etiam ad frutices eiusmodi deliramentum extendunt, vt etiam arborè ac ligneam illi vitam convenientem atque accommodatam esse putent. Nonnullis vero hoc solum videtur, videlicet quod ex hominè semper alium hominem inuicem sumat & per eandem omni tempore humana vita exigatur atque regatur: cum nunc quidem in his rursus item in alijs eadem in perpetuum animæ sint. Nos autem commodissimum esse censemus vt ab ecclesiasticis sententijs atque decretis exordientes iisque quasi fundamentis nixi, tantum duntaxat de opinionibus eorum qui hæc philosophico more tractauerunt, accipiamus quantum satis sit ad demonstrandum eos aliquo modo conuenire cum doctrina resurrectionis. Nam quod dicunt animam postquā à corpore disiuncta fuerit, rursus penetrare & insinuarè se in aliqua corpora, non admodum discrepat, ab ea quam speramus, resurrectione. Quoniam & nostra quoque scriptura dicit ex elementis mundi & nunc constare nostrum corpus, & in posterum constatum & constitutum iri: & idem externis philosophis placet. Non enim aliunde conflare corpus excogitare possunt quam ex concursu elementorum. Differentia autè & conuersa in eo existit, quod à nobis quidem dicitur idem rursus circa animam eandem conuoluerè corpus, quod ex eisdem elementis coeat & concinetur: illi verò putant ad alia quædam corpora tum ratione predita, tum rationis atque adeò sensus expertia, animam redigi atque transire: quæ quidem corpora quin ex partibus mundi consentur, non dubitatur: nec de ea re controuersia est: sed in eo dissensio quod illi non putant ex iisdem partibus ea conflare quæ partes ab initio in carnali vita animæ adhæserant. Et rursus eodem libro. Audiui, inquit, ex iis qui talia tradunt, quod nationes quasdam animarum esse ponant, in peculiari quadam ciuitate, antequam ad corpoream vitam deueniant, viuentes: quæ in tenui atque agili sua natura vna cum reuolutione atque conuersione vniuersitatis vagentur & oberrent. Propensione vero quadam ad vitium atque nequitiam, quasi defluentibus pennis animas intra corpora redigi, primum quidem humana, deinde eodem modo propter consuetudinem rationè carentium affectuum ac perturbationum, postquam è vita excefferint, in pecora degenerare atque deinde vsque ad hanc plantarum sensuque carentem vitam delabi: adeo vt natura tenuè atque agile, sicut anima est, primum quidem ponderosum ac deorsum vergens efficiatur, in corpora humana propter vitium atque nequitiam immigrans: deinde ratione predita

vi, extincta, in ratione carentibus vitam degere: sensuum quoque dono adempto, hanc plantarum vitam, quæ sensus expers est, inuicem suscipere ac postea rursus per eodem gradus ascendere & restitui in locum caelestem. Atque eiusmodi doctrina ab iis qui vel mediocriter exercitato iudicio fuerint, ex se ipsa facile deprehenditur nullum in sese stabile firmamentum habere. Nam si a caelesti vita propter vitium & nequitiam ad ligneam vitam anima detrahitur, ab ea verò rursus propter virtutem ad caelestem recurrit, reperitur eorum oratio dubitare quid præstabilius magisque præferendum putet ligneam ne, an caelestem vitam. Circuitus enim & quasi orbis quidam est, qui per similia peragitur atque conficitur, anima semper, ubicunque fuerit, nullum firmum certumque consistendi locum habentem. Nam si ex incorporea vita ad corpoream delabitur, & ex hac ad eam quæ sensu caret, itemque illinc rursus ad incorpoream recurrit, nihil aliud nisi indistincta atque indiscreta tum malorum, tum bonorum confusio ab iis qui hæc tradunt, fingitur & existimatur. Neque enim caelestis vita in beatitudine permanebit: siquidem vitiositas illic viuentes inuadit: neque ligna & stipites virtutis expertes erunt: si quidem hinc ad bonum recurrere, illinc vero vitiosæ vitæ initium sumere animam putant. Nam si anima quæ vna cum cælo versatur, cum vitio atque nequitia confictatur ac propter vitiositatem ad materialem ac syluestrem vitam detrusa, rursus hinc subuehitur, vt vitam degat in sublimi, res nimirum inuersa ab illis asseritur atque affirmatur: nempe quod materialis quidem vita vitiositatis expiaticem vim contineat: stellarum verò inerrantium cæloque inherentium conuersio atque reuolutio, malorum causa atque principium animabus existat: si quidem hinc per virtutem alas adeptæ, sublimes abeunt atque caelestia contemplantur: illinc verò per vitium atque nequitiam quasi alis amissis, humiles & abiectæ fiunt & ad terram depressæ cum crassitudine materialis naturæ commiscentur. D. Hieronimus in epistola ad Auitum, scribit Origenem hanc Pythagoræ opinionem probauisse ex eaque multa absurda in religionem nostram inducere voluisse: ex cuius lib. 1. de principiis idem hæc citat. In fine & consummatione mundi, inquit Origenes, quando velut de quibusdam reparationibus atque carceribus missæ fuerint à Domino animæ & rationales creaturæ, alias earum tardius incedere ob segnitiam, alias pernici volare cursu, propter industriam: cumque omnes liberum habeant arbitrium & sponte sua, vel virtutes possint capere, vel vitia: illæ multo in peiori erunt conditione quam nunc sunt, hæc ad meliorem statim peruenient. Quia diuersi motus & variæ voluntates in vtranque partem diuersum accipient statim: id est vt

Origenis epistola.

angeli, homines vel dæmones, & rursus ex his homines & angeli fiât. Quibus verbis Origenis, D. Hieronimus hæc subiicit. Cum vario sermone Origenes hæc omnia tractasset, inquit, asserens diabolus non incapax esse virtutis, & tamen necdum velle capere virtutem, ad extremum sermonem latissimè disputauit angelum, siue animam aut certè dæmonem, quos vnus asserit esse naturæ, sed diuersarum voluntatum, pro magnitudine negligentia, iumentum posse fieri & pro dolore pœnarum & ignis ardore magis eligere vt brutum animal sit & in aquis habitet & fluctibus, ac corpus assumere huius vel illius pecoris: vt non solum quadrupedum sed etiam piscium corpora sint timenda. Ex eiusdem opinionis vanitate Auicena cap. 2. lib. de Almahad, siue de conditione animæ post vitam hanc, scribit à Mahumete dictum esse animalia progredientia super terram, & aues suis alis volantes, turbam esse copiosam hominibus similem & in ipsius animæ natura cum his communicatem. Atque quod in illius Sarracenorum principis lege positum est, non prius animarum humanarum in noua corpora transitum, finem esse habiturum quam Camelus per foramen acus penetrare possit, hoc idem ait nonnullos ita interpretari vt significari velint animam hominis vitiosi non prius gratissima quiete frui posse, quam per varia corpora tactata, à Camelo transferat in eum vermen qui corporis sui tenuitate & paruitate per foramen acus possit penetrare. In quibus opinionis inconstantiam Platoni obiicit Theodoretus lib. 11. de curatione græcarum affectionum eamque sic explicat. Hæc, inquit, non modo sunt perridicula, verum his quæ Plato superius dixit, pœnitus contraria. Ibi enim puniri animas affirmat aliàs quidem in Acheruntem fluuium paludemque Acherusiam: aliàs verò in Stygem cohytūmque ac Periphlegetontem abiectas. Quæque inexpiabile quid peccauerint, fluxu Periphlegetontis coniectas in Tartarum rapi. Quæ verò ita deliquerint vt expiari possint, nihilo secius deferri per vndas fluminis: sed tamen suppliciter ab his veniã petere, quos à se olim iniuria affectos ibi in ripa fluminis adesse conspiciant. Rursusque ab vnus defluxu in paludē fontes ad illos deferri ait. Hoc autem loco eos qui voluptatibus scædè seruiuerint, asinos inquit fieri: qui verò tyrânicam vitã rapacemque adamauerint, trãsire in luporum, accipitrū miluorumque corpora. Egregia verò ac beatissimorum præmia illis decreuit qui politicã vitã virtutemque obierint: quandoquidem illos inquit euadere in vespes, apes atque formicas. Hoc enim honoris genus homo philosophus illis attribuit, qui virtutem officiumque coluerunt. Atqui hæc sunt supernè dictis contraria. Ibi enim eos ad beatorum insulas destinauit. Philosophorum

autem habitacula ne verbis quidem explicari posse asseruit: hic autem eis attribuit vesparum, auicularum ac formicarum vitam. Quisq; olim in vita neminem iniuria affecerint, primum innocentia hoc ait accipere, vt aliis quam maximè noceant. Apes enim & vesparum nata sunt stimulis aculeisque ictus inferre. Ipsa item formicæ segetes deprædantur sibiq; cum agricolis terræ fructus conpertiuunt: tamen minus in laboribus tolerandis sociæ fuerint, Vesparum autem plantarum cultoribus molestissimæ sunt. Arboreos enim fructus te-rebrant ac corrumpunt. Idem quoque & apiculæ ipse faciunt. Neque tamen horum quicquam incommodorum sapientissimo atque optimo philosopho in mentem venit: sed ad solam Pythagoræ illius, qui primus hæc animarum commigrationes commentus est, autoritatem respexit. Hæc quidem Theodoretus. Neque verò hoc loco prætermittendū est nonnullos magicis artibus (in quibus excelluisse Pythagoræ scribit Plinius ca. 17. li. 24.) etiam in viuis hoc assequi potuisse, vt humanā animam in alienas corporū formas immutare videretur. Quorum hæc exempla quodam loco commemorat Cornelius Agrippa: Plinium narrare, Demarchum quendam parasitum in sacrificio quod Arcades Ioui Lycæo humana hostia faciebant, immolati pueri extra gustasse & in lupum se conuertisse: testari D. Augustinum dum esset in Italia quædam scæminas magas, Circes instar, dato viatoribus veneficio in caelo, hos in iumenta vertisse cumque portassent quæ illa voluerat, onera, rursus in homines restituisse, idque patri cuidam Præstantio tunc accidisse. Quod, inquit ille, minus mirabitur qui in sacris literis legerit Nabuchodonosor regem mutatum in bouem, & septem annis fœno vixisse, tandem Dei misericordia in hominem rediisse. Cuius corpus post mortem filius dedit in escam vulturibus, ne resurgeret à mortuis qui iam de bestia redierat in hominem. Hæc locum dederunt variis fabulis, quæ apud Ouidium in Metamorphosi & apud Apuleium de Asino aureo. Illam verò Platoniorum opinionē variis rationibus exagitaui D. Augustinus cum aliis locismultis, tum maximè cap. 30. lib. 10. & cap. 20. lib. 12. de Dei ciuitate.

HOMINIS ORIGO EXPLICATVR. IN QVA animi cælestis principatus in cerebro constituitur: partes eiusdem siue facultates duæ inferiores, irascendi & concupiscendi, sedibus suis ab illa distinguuntur. Atque vt corporis totius conformatio intelligatur, partium in illo simplicium & simularium natura spectatur ex elementis quibus hæ constant: compositarum & dissimularium, ex officio cui subseruiunt.

C A P. 14.

1. *Dij autem imprimis hominem ex terra, igne aëre & aqua efformarunt, 2. quasdam partes quæ aliquando redderentur, ab illis mutuati: easque occultis vinculis componentes, corpus vnum ex omnibus confecerunt. Ac eius animi qui è celo demissus, principatum in capite collocarunt, 3. cerebri ei subiicientes tanquam agrum prius excultum. Atque circa faciem posuerunt instrumenta ad sensuum functiones accommodata. 4. Ex leuibus autem & sine inflexione triangulis, ex quibus elementa fuerant conformatata, medullam composuerunt, ipsius seminis futuram originem. Os verò ex medulla atq; terra irigatis 5. crebroq; in igne & aqua quasi confectis. Nervos ex osse & carne. Caro verò procreata est ex salso & acuto, quasi quodam fermento. Medulla ossa circumposuerunt, & ossibus coniunctionis gratia, 6. nervos adiecerunt: vt per hos faciles essent inflexiones & articularum coniunctiones. Quibus ipsa caro est pro velamento eaque pro corporis usu & comoditate partim alba, partim nigra. At ex his interna viscera existunt inuoluta veteraque & circa hunc intestina conuoluta. Ad superiores verò partes, ab ore arteria & gula, hæc quidem in stomachum, illa, in pulmones delata. 7. Porro cibi in ventre calore spiritūque*

conficiuntur & emolliuntur: indeque in vniuersum corpus distribuuntur, secundū proprias cuiusque mutationes.⁸ Duae autem venae iuxta spinam euntes, sibi inuicem obuia, caput contrario modo complicant, inde in multas partes finduntur.
 2 Cum igitur dii hominem effinxissent atque animum corpore, cui erat imperaturus, induissent, eius partem principē, cuius est ratio, in capite collocarunt. Hinc medulla neruorumque principia atque pro variis lesionibus, mentis ab alienationes. Capiti que circumpositis sensibus tanquam satellitibus, animi principatum vimque ratiocinandi in eo posuerunt itēque vim cōtemplandi & iudicandi. Partem verò alteram in qua motus existunt, loco inferiore: irascendi quidem in corde, concupiscendi verò circa abdomem & eas partes quae umbilico adiacent. De quibus postea differetur.

Ia. Carpentarij Commentarius in cap. 14.

1 Plato in Timæo, vniuersa naturae explicationem institutam, ita distribuit vt primo loco agat de Idæa mundi, deinde de mūdo hoc in sensum cadente, postremo de homine vt minore mūdo, in quo illius maximi imago in duobus principis anima & corpore videtur esse expressa. Eundem ordinem secutus noster Alcinoi, egit antea de mundo utroque: nunc ad hominis explicationem descendit. In qua primum considerandum est ex veterum Academicorum & Peripateticorum doctrina quae similitudo homini cum mundo intercedat: vt ex ea intelligatur quo iure hic ab illis minor mundus appelleretur. Magno corpori vniuersi ex totis quatuor elementis coagmentato, simile est humanum corpus, compositum ex quatuor humoribus qui elementis vniuersi proportionem respondent: vt bilis igni, melancholicus humor terrae, sanguis aëri, pituita aquae: quod etiam a medicis, copiosius explicari solet. Atque amplius de partibus humani corporis quaedam totius caeli, aliae stellarum in orbibus inferioribus errantium, rationem habere dicuntur. Spiritus quidem, is praesertim qui vitalis est, perenni sua agitatione caeli perpetuae conuersioni responder: semen verò & ea membra quae generationi subseruiunt, Luna & Veneri dicata creduntur: Cor, Soli: Lingua, Mercurio, Fel Marti, Hepar, Ioui, Saturno caput. Vt verò (quemadmodum Poëta ait.

Principio caelum ac terras camposque liquentes

*Lucentemque globum Luna, Titaniaque astra
 Spiritus intus alit: totamque insusa per artus
 Mens agitat molem & magno se corpore miscet:
 sic de hominibus ex eodem verè dici potest
 Igneus est ollis vigor & caelestis origo
 Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
 Terrēque hebetant artus moribundaque membra.*

Et certè Plato ipse scripsit in Timæo, animam nostram in eodem cratere cū mundi animam ex reliquiis eorundem generum esse commixtam. Vt significaret hanc cum illa eandem excellentiam in viribus esse adeptam. Nisi hoc interest, quod impurius corporis contagio facit, vt quaecunque huic insunt, deteriore sint cōditione. Quoniam vt eodem loco poëta subiicit

*Hinc metuunt cupiuntque dolent gaudētque, nec auras
 Respiciunt clausa tenebris & carcere caeco.*

Iam verò in varietate partium quibus constat corpus humanum, Alcinoi duo potissimum hoc loco persequitur, propriam cuiusque temperationem, ex quatuor elementis, & vsum cuius gratia, illae sunt à natura datae. Quae duo pertinent ad ea genera causarum quae in explicandis partibus animalium diligenter esse cōderanda Arist. docet cap. 1. lib. 1. de partibus animalium, ad materiam scilicet & formam. Ipsa enim ex elementis temperatio, materiae est: vltus verò ex fine intelligitur, in quo prima est summaque partium organicarum perfectio, quae eadem propria forma. Ideoque illae suam naturam amisisse dicuntur, cum amplius illi vsui subseruire non possunt: nec manus quae non potest apprehendere & retinere, magis manus est, quam quae picta aut lignea. Quod etiam Aristoteles scribit eodem loco & 1. polit. itēque cap. 1. lib. 2. de Anima.

2 De compositione humani corporis ex quatuor elementis igne, Aëre, Aqua & Terra, vel vt dicitur cap. 1. lib. 2. de partibus animalium, fortasse potius ex eorum virtutibus calido, frigido, humido & sicco, eadē est Aristotelis sententia lib. 2. de Ortu & lib. 4. Meteor. In ea tamen obseruandum est aliud esse agere de ipsius corporis consistentia, aliud de his quae eandem regunt, aut in hac dominatur Consistentia enim & firmitas est ab ipsa terra: quam humor aqueus formabilem reddit. Vis autem ipsa regens consistentiam vt primarium animae instrumentum, in calore igneo, pabulum suum habente in humore pingui & oleoso: quem ab aquae distinguentes, aëreum solemus nominare. Calorem verò hunc igneum & elementarem dicimus: quia sua substantia eiusmodi esse videtur, etiam si ab Arist. diuinus nonnūquam nominetur. Quia dum formae diuini in nostris corporibus, vel etiam in solo secundo semine subseruit, actionum quoque diuini causa est, quam in puro & simplici ignis elemento. Quod quia libro 4. prioris descriptionis physicae iam attigimus, & ad eam disputationem nobis alius locus est destinatus in eiusdem descriptionis posteriore parte, omittamus hoc tempore: idque tantum agamus, vt intelligatur pro hac diuersa ratione consistentiae corporis, & eorum quae illam regunt, variè quoque de eiusdem communi temperamento posse iudicari. Nam si de consistentia agitur, hoc dicitur frigidū. Quia illa in terra & aqua est posita: quorum vtrumque sua natura frigidum est. Atque idem potius siccum quam humidū, etiam si aqua confet, natura humida. Quoniam consistentia ipsa potissimum terrae debetur: aquae verò tantum prout glutinis loco est, ne terra sua summa ariditate in tenuissimas partes & quasi ramenta

HHH

quædam comminuta, loco suo non consistat. Itaque cum vnumquodque corpus ratione consistentiæ locum habeat ad requiem, naturæ suæ accommodatum, scribit Arist. ca. 4. li. 4. Meteor. cætera animalia, quibus eiusmodi consistentiæ, cū homine communis est, in terra & aqua solum quiescere: & certè in terra multo verius quam in aqua. In aëre verò & igne nullo modo. De quo etiam amplius à nobis differetur in posteriore parte descriptionis physici. Si verò in viuents hominis corpore id spectes, quod consistentiam regit: non immerito hoc calidum esse dicitur. Quoniam illius vita calore continetur, qui in humido pingui & aëreo fouetur. Quo modo etiam sanguis quandiu in viuo animali calore conseruatur, calidus potius est quam frigidus. At quia idem, sicut & reliqui tres humores, secundum speciem suæ consistentiæ aqueus est, minime calidus esse videtur, sed frigidus. Quod Hippocrates significauit libro de corde, & amplius Arist. ca. 11. lib. 4. Meteor. Quædam, inquit, cum suam naturam habent (id est, vt hoc loco interpretor, cū in animali viuo à suis causis reguntur) calida sunt, vt sanguis, semen, hominis medulla, coagulum cæteraque eiusdem generis. Cum verò intereunt à naturâ que sua discedunt, non item. Materia enim quæ terra vel aqua est, remanet. Itaque vtrumque nonnullis videtur, alique frigida, nonnulli calida hæc esse tradunt: quod ea cum in natura sua manent, calida esse, cum seiuncta sunt, cum eadem frigore concretescere animaduertant. Quam distinctionem idem reperit cap. 3. li. 2. de partibus animalium. Quod autem Alcinoi subiicit, minores Deos ad hominis procreationem, certas partes ex quatuor elementis esse mutuos, quæ aliquando eiusdem redderentur, referendum est ad hominis dissolutionem in morte. In qua pars vnaquæque redit ad idem elementum ex quo orta est: nempe ignea rursus ad ignem, aërea ad aërem, itémque aqua & terrena ad aquam & terram. Antè verò dissolutionem eiusmodi, ex illis omnibus natura differentibus atque adeo contrariis, totis per tota transfusis, vi mixtionis, maxime propriè vnum efficiebatur, cuius qualibet pars verè erat mixta. Quam summam vniõnem nulla ars omnino assequi potest, sed ea vt Galenus ait lib. 1. de Temperamentis, soli Deo & naturæ cognita. De qua pluribus differuimus ex Arist. cap. 1. lib. 3. prioris descriptionis Physicæ. Nunc quibus vinculis talis vniõ contineatur, videamus. Hæc primùm posita sunt in ea proportione, quam elementorum qualitates habent inter se, & per quam contraria cõtrariis certo quodam modo temperantur, atque, vt Empedocles dicebat, amica pace ligantur. Neo verò solum calor frigore, humor siccitate temperatur: sed calori & frigori in agendo potentissimis, ex altera parte opponuntur patibilia, quæ non facile superantur. Quod vt in magno corpore vniuersi idem Empedocles retineret, igni, quem animaduertebat efficacissimum, reliqua tria elementa opposuit: vt his cõiunctis, ad resistendum vis maior inesser: sicque quatuor elementis pro duobus visus est, quod Arist. scribit lib. 1. de Ortu. Atque hoc est naturale vinculum partium materię. Aliud verò ipsius formæ cum suâ materia: quod quidem positum est in huius qualitibus organicis, sine quibus illa non potest eas actiones edere, quarum causa est primaria. Sic enim efficitur quod alio loco diximus, vt materia appetat formam, à qua primam perfectionem capit, & forma materiam: quoniam sine hac non potest agere. Quæ Peripateticis interna causa omnia vinciens & continens esse videtur: nec fortasse in naturalibus ea superior vlla querenda. At Stoici naturæ effectum omnem extare arbitrantur externa causa continente eaque compositis rei cuiusque partes deuinciente: quæ pars naturæ cum ipsa non sit, eam tamen sua præsentia & virtute conferuet. Quam indissolubilem illi aiunt, per dissolubiles rerum naturas penetrare. Hæc verò illis vel Deus est

vel æthereus quidam calor: de quo multa sunt apud Ciceronem lib. 2. de natura deorum, vel necessitas fati, vel ipsa prouidètia. Quam fortasse hoc loco Alcinoi per occulta vincula voluit significare.

3 Sic enim in iis quæ oriuntur, materia ad formam excipiendam præparatur, cum vel qualitibus, vel partibus instruitur, quæ necessariae sunt ad subseruendū actionibus, quarum ipsa forma debet esse principium & causa. Quare in natura illa dicitur obtinere rationem finis: quod ad formam materię præparatio in rerum ortu referatur: & si in illa locum habet necessitas, hæc non in ipsa materia absolute ponenda sit, sed ex forma per quandam conditionem spectandam. Sicut Arist. contra veteres physicos docet lib. 2. physic. & cap. 1. lib. 1. de partibus animalium. Nunc, inquit, necessitatem in ortu inesse existimant, vt si quis domum necessario effectam putaret, propterea quod grauius deorsum leuia in sublime natura duce ferantur. Itaque lapides & fundamenta infimas partes, terram autem superiores, propter leuitatem occupare, summum autem locum ligna maxime obtinere: quod in eis maxima sit leuitas. Quamquã autem non sine his exitit: non tamen eorum causa, nisi vt propter materiam, sed abendi quædam conseruandique gratia. Itémque in aliis omnibus quibus finis aliquis propositus est, non sunt illa quidem sine his, quæ necessariam naturam habent: non tamen eorum causa sunt, nisi vt materia, sed alicuius gratia. Vt si queratur cur terra sit talis: respondebitur vt hoc sit & huius gratia: cum tamen finis ipse extare non possit, nisi sit ex ferro. Sit igitur ex ferro necesse est, si terra sit & munus eius extet. Quare cum Plato vellet cerebrum sedem esse rationis & intelligentiæ: dicendum fuit ex eiusdem doctrina, hoc ab ipsa natura accommodatè ad eum finem esse conformatum & quasi excultum. Id vero ex eo confirmatur, quod in illo apparent instrumenta sensuum, quod etiam Galenus docet cap. 3. lib. 8. de vsu partium: in sensibus autem principium rationis & intelligentiæ. Quodque in interioribus eius ventriculis spiritus animalis ex vitali elaboratur, qui vt idem Galenus ait, lib. 7. de decretis Hipp. & Plat. vel anima ipsa est, vel animæ primum domicilium. Aristot. autem horum omnium principium cordi attribuit, de cerebri vsu aliter loquitur cap. 7. lib. 2. de partibus animalium. Quod nonnulli, inquit, statuunt importunè animam esse ignem aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris animam in quodam eiusmodi corpore constare. Cuius rei causa est, quod ad exequenda animæ officia, calor omnium maxime administrandi vim obtinet. Cum enim animæ officium sit alere & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrareris, quia opus non nisi iunctis his efficiatur. Sed quam genus omne animalium coloris particeps esse necesse sit, apertum hinc est. Cum autem omnia momentum requirant contrarium quo medio eritatem ad medium assequatur (in hoc enim essentia ratioque consistit, non in alterutro extremo seorsum posito) idcirco aduersus cordis sedem & calorem, cerebrum natura molita est. Et ea de causa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens terræ & aquæ communem. Atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent: ex ceteris nullum fere, nisi per proportionem, vt Polypus. Parum enim caloris obtinet omne id genus, propter sanguinis priuationem. In quibus Galenus Aristotelem exagitat libro 8. de vsu partium: sicut & alio loco in quaestione de animæ sede: de qua postea differetur exactus.

4 De medula Platonis locus est amplissimus in Timæo quem nunc sequitur Alcinoi. Ossium, carnis cæterorumque eiusmodi, inquit Plato, natura ita est





composita. His nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit. Vincula enim vitæ illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis nostri constructionem. Ipsa verò medulla est ex aliis generata. Sunt quidem trianguli primi quidam & indeflexi lenesque, ad ignis, aeris, aquæ & terræ exactissimam generationem accommodatissimi. E quorum generibus singulis, Deus secerneas singulos & inuicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitèntque constituit, dum medullæ ex his substantiam procrearet. Postea verò ferens in ea, animarum genera alligauit. Figuras præterea quocumque & qualescunque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus & tales statim in prima illa distributione distinxit. Et illam quidem medullæ partem in quam velut agrum quendam, diuinum semen iaciendum erat, globosam & vndique teretem finxit: atque *ἐγκεφαλον* id est cerebrum idcirco voluit nominari: quia vnoquoque animali denique absoluto vasculum cerebri capax, *κεφάλαιον* id est caput vocandum erat. Quod autem reliquas animæ vires comprehensum erat, rotundis simul oblongisque figuris ornavit: totumque medullam voluit nominari. Atque ex his quasi quibusdam ancoris, iaciens totius animæ vincula, circa illas iam vniuersum nostrum corpus absolvit, ossiumque textura extrinsecus ea fulciuit. Hæc de medulla à Platone dicuntur, quæ nobis hoc loco attentius sunt consideranda, & cum doctrina Aristotelis atque Galeni comparanda. Medulla Platoni videtur elementum aliarum partium, vt ossis, carnis, nerui. Quia eam arbitratur sanguineam esse: quasi ortam de sanguine per coctionem albescente, sicut in semine experimur. Quod etiam Arist. scribit cap. 6. lib. 2. de partibus animalium: ex eoque illam in tenellis animalibus colore cruentam esse obseruare cap. 20. lib. 3. de animalium historia: quod in his non satis adhuc recocta sit. Similares autem partes Galeno ex sanguine ortæ sunt: etiam quæ spermaticæ nominantur. Sic enim ab eo scriptum est cap. 3. lib. 2. de naturalibus facultatibus, Os, Cartilaginem, arteriam, venam, neruum, adipem, glandulam, membranam, medullam exanguia quidem esse, ex sanguine tamen facta esse. Quod idem sic interpretatur comment. 1. in librum Hip. de natura humana. At verò, inquit, cum bifariam sanguis dicatur, tum hic quem in sanguinis missione & vultibus euacuari videmus vtiusque bilis & pituitæ participem, tum purus ille & integer cum aliis humoribus non confusus, ex sanguine priore significato conformari foetum fortasse verum sit: ex sanguine altero non item. Nunquam enim solus ille in prœgnantibus inest. Quid autem sermone illo, fortasse, adiecerim, non esse obscurum vobis arbitror. In Commentariis enim de semine, corporis plerisque partes ex semine apertum est fieri: cum solæ carnosæ ex sanguine fingantur. At quatenus seminis parua est in utero deiecta moles, nutrit autem istud & amplificat sanguis hætenus corporis partes ex sanguine propè omnes fingi dixerim. Pro eo verò quod ex sanguine semen genitum sit, qui ex sanguine foetum generari dixerit, rem ipsam dicere videbitur. At non ex mero sanguine & aliorum humorum experte: sed pro eo qui per excellentiam nomen id est sortitus. Itaque hic medullæ originem Plato retulit ad prima etiam ipsorum elementorum principia: quæ antea cap. 11. cum de vniuersi partibus ageretur, in primorum triangulorum figuris sunt posita. Quare quod apud Galenum & Arist. de sanguine diceretur, id hoc loco de medulla dictum putemus. Vtique illi in sanguine, quatuor primarum qualitarum tanquam principiorum, temperationem considerant ex huiusque varietate partes cæteras variè conformatas docent: sic hoc loco animaduertemus in medulla spectari varietatem triangulorum, quibus, vt pri-

mis omnium corporum principiis, antea utebatur: ex eaque partium reliquarum originem explicari siue per intermedias alias mutationes, siue nullis aliis omnino intercedentibus. Medulla verò Galeno triplex est, prima quidem cerebri, secunda spinæ, quæ vt idem ait lib. 7. de placitis Hipp. & Plat. ipsius cerebri quædam est propago, hoc tamen ab illa differens quod hæc sua substantia durior est & magis condensata: tertia ea quæ ossibus inest. Quæ, vt idem docet initio lib. 1. de motu musculorum, humidior est, propemodum diffuens & mollitie sua pinguedini similior. Et lib. 2. de Temperamentis, non est, inquit, eiusdem generis cum cerebro & spinali medulla ea quæ in quolibet osse habetur: sed cerebrum & spinæ medulla eiusdem generis sunt, reliquæ omnes medullæ, alterius naturæ habentur. Et tamen calidius & humidius cerebrum quàm spinalis medulla, eoque etiam mollius. Præterea ipsius cerebri priores partes tanto sunt humidiores, quanto molliores. Quibus omnibus Aristoteles lib. 2. de partibus animalium, partim assentitur, partim etiam aduersatur. De ea enim sic scribit cap. 6. Medulla, natura quædam sanguinis est: non, vt quidam volunt, vis genitura seminalis. Patet hoc in his quæ nuper in lucem prodierint. Medulla enim in ossibus quoque eorum sanguinea continetur: vt potè cum omnes corporis partes ex sanguine constent, & partui alimentum præsterit à sanguine. Sed per incrementum concoctionem que efficitur, vt quemadmodum cætera membra, sic viscera quoque immutentur colore: per copiam enim sanguinis viscera cum recentia adhuc sunt, colorem sibi sanguineum trahunt: sic etiam medulla afficitur. De cerebro verò idem Galeno aduersatur capite septimo libri eiusdem, Cerebrum, inquit, medullam esse atque originem medullæ, compluribus placuit authoribus: argumento quod dorsi medullam iunctam cum cerebro cerneant. Sed res contra se habet, omnino propè dixerim. Cerebrum enim partium omnium corporis frigidissimum est: cum medulla calida suapte natura sit. Quod autem ex Platone hoc loco Alcinoi scribit de genitalis seminis origine ex medulla, quodque idem semen appellat quendam medullæ defluxum, desumptum id videri potest ex Hippocrate lib. de genitura. Ad medullam spinæ, inquit Hippocrates, ex vniuerso corpore viæ permultæ concurrunt semineque ipsum ex cerebro in lumbos & corpus vniuersum & spinæ medullam diffunditur: ex qua etiam vasa quædam protenduntur, adeò vt facillè tum in eam humor subire possit, tum ex ea abscedere. Porro cum genitura in ipsam medullam peruenit, postea deferretur in renes, ad quos per venas via patet: quibus exulceratis, nonnunquam etiam sanguis vna delabitur. Quod quanquam Arist. quodammodo reprehendere videatur, eo loco quàm ex cap. 6. lib. 2. de partibus animalium paulo antè citauimus, vbi negat medullam esse vim genitura seminalis, idem tamen problemate 36. Sect. 10. hæc in re Hippocratem secutus est, cum causam reddat cur Spadones, calui non efficiantur. An eo, inquit, quod multum cerebri obrinent: Quod sanè his contingit quia, rem veneream non agunt. Semen enim labi per spinam è cerebro videtur. Quæ de causa boues quoque castrati, cornua gerere maiora videntur: nec non & mulieres & pueri, cur calui non sint, eadem ratio esse creditur. Cum quibus conferendum est quod idem Hipp. scribit lib. de Aere aquis & locis, homini venas esse datas post aures, quæ si alieu scendant, eum in sterilitatem incidere. Quod Scytharum enunchis eodem loco ait accidere. Ex quibus omnibus intelligi potest Sebastianum Foxium, in huius loci explicatione non esse affectum Platonis sententiam in Timæo, quando ita scribit. Cum alio modo, inquit, animal in utero ex semine formetur, aliò verò iam formatum augetur: minime quidem intelligamus illud ex medulla sic-



ri in matricè (nec enim antè est medulla quam semen) sed potius putemus perfecti iam animalis augmentum generationemque accedentem ex sanguine in medullam conuerso in dies fieri. Nisi fortè hic medullam pro semine capiamus, ita vt ex ipso non modo cerebrum, aut ossa, sed reliquum etiam corpus primo fiat. Quoniam Galeno auctore factus in vtero formatur ex semine imprimis, accessione menstrui facta. Imò verò, Foxi, quia platonis semen medullæ quidam defluxus est, antè medulla est quam ipsum semen: & primo eiusmodi partes dicuntur ex medulla per intermedium semen exoriri. Nec est necesse vt eo loco intelligamus factum, ex sua medulla conformari, nihilo credo magis quam ex suo semine, aut sanguine, sed ex parentis medulla, de qua genitale semen dicitur profluere. Ex quo etiam medulla ipsa genitalis à Platone appellatur cum de nutritione agit in Timæo. In quem locum sic scribit Galenus in fragmento Commentarij de his quæ a Platone dicta sunt medicè in Timæo, Genitalem medullam, inquit, dorsale Plato intelligit. Cum & hæc verus opinio sit: ita vt Hippocrates quoque eiusdem particeps fuisse videatur, censuisseque à dorsali medulla semen ad maris pudendum descendere.

5 Scribit Arist. cap. 6. libr. 4. Meteor. Omnia quæ concresecere possunt, eiusmodi esse, aut quia aquæ naturam imitantur, aut quia terræ & aquæ. Atque id illis, accidere vel frigoris vi, vel aridi caloris. Itaque resolui solent, inquit, à contrariis omnia, quæ vel frigore, vel calore concreta soluntur. Quæ enim aridæ rei calore concreta sunt, ea igne qui calidus est, soluntur. Quare vt Plato significaret ossa quibus corpus humanum confirmatur & sustinetur, resolui nullo modo posse, dixit ea contrariarum causarum, caloris scilicet & frigoris, alternis actionibus esse concreta. Os ipsum, inquit, ita Deus composuit. Terram atterens leuem puramque miscuit, madefecitque medulla. Id postea in ignem iecit, deinde in aquam misit, rursum in ignem, iterum in aquam. Atque ita sepè transferens in vtrunque, tale reddidit vt a neutro liquefcere possit. Caloris, non item frigoris, in conformatione ossium agentis, Galenus etiam meminit cap. 7. libr. 1. de semine. Natura vsa est, inquit, ad ossium procreationem caloris maximè facultate: qua torreret ea ac prorsus arefaceret. Id quod melius sanè ipsis fuit, tum quia dura esse debebant, tum propterea quod omnis quæcunque inerat pinguis pars, quasi effervescentium spuma quædam, effundi atque exprimi ita maximè poterat. In eandem sententiam scripsit Hipp. lib. de natura pueri, ossa durefcere à calore conglutinata, itèque lib. 1. de dieta. Ossium vero duplicem vsum Galenus explicat cap. 2. libr. 16. de vsu partium, vnum, quod in iis sedes sit aliis partibus subiecta, alterum quod pro muro ac propugnaculo. Idem etiam Aristoteli placet cap. 6. & 8. libr. 2. de partibus animalium.

6 De hoc neruorum vsu sic Plato scribit in Timæo. Arbitratus Deus ossium naturam aridiorem, rigidiorèque, quam oporteat fore, & cum ignita euaserit atque etiam frige facta, illisuram corrupturamque cito semen internum, neruorum carnisque genus effinxit. Vt neruis quidem membra reliqua vincientibus intensis remissisque circa cardines ipsos, corpus omne ad flexionem tensionem ve promptum & agile redderet: caro verò tegmen foret aduersus frigus atque calorem: & quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad calus varios munimentum: presertim quia talis erat futura, vt molliter lenitèque corporibus cederet. Quem locum quanquam Foxius interpretetur de neruis propriè dictis, qui a cerebro & spinæ medulla orti, motum & sensum per medium spiritum animale præstant: mihi tamen de ligamentis intelligendus esse videtur.

Quoniam hæc ossium vera sunt vincula: quæ non modo vulgares, sed etiam veteres philosophi neruorum nomine sunt complexi, atque etià Hippocrates ipse hos neruos colligantes aliquando appellat. De quibus sic Arist. loquitur cap. 5. libr. 3. de Animalium historia, Summæ neruorum partes, inquit, ea quidem quæ membrum ad salendum accommodatum continet, poples dicta: quæ se geminam porrigit, tendo: & quæ ad vires corporis, attendo & humerarius. Reliquæ quibus ossium nodi deligantur, nomine vaccant. Nam ossa omnia siuè foris vicissim tanguntur: siuè alterum inseritur alteri, neruis ligantur: & circiter ossa quæuis neruorum copia ducitur, capite excepto. Hoc enim non neruis, sed futuris ipsorum ossium continetur. Idèque apertius hoc ipsum confirmat. cap. 9. libr. 2. de partibus animalium. Cum corpus insecti per animalis motum necesse sit, inquit, spina dorsi ita constet vt & vna sit propter continuitatem, & multipartita, propter vertebrarum distinctionem. Hinc formorum brachiorumque ossa dependent continua, eodèque artius adnectuntur, qua flectendum est. Neruis deligantur extremæque sibi coherent alterum cauum, alterum rotundum: aut vtrunque cauum, medio talo quasi clauo complexo, vt flecti extendique possint: Aliter enim aut nullo pacto, aut non benè motus eiusmodi agi possent. Eundem vsum quem hic Alcinois neruis, Galenus ligamentis attribuit cap. 2. libr. 12. de vsu partium, & libr. 1. de Anatomicis administrationibus: cum ligamenta vocat ea quæ ex ossibus procedunt, vt nerui ex cerebro & spinali medulla. Quæ verò ratione effectum sit vt nerui nomine in ligamento veteres sint abusi, idem ostendit cap. 17. libr. 1. de vsu partium. Album, inquit, & exangue & solidum experique concauitatis cum sit ligamentum, quemadmodum & neruus, propterea plerisque imperitis neruum esse putantibus, imponit. Verum, non est natum ex cerebro vel spinali medulla, sed ex ossibus ad ossa transit, neruoque multo durius & sensus omnis experis, nec mouere quicquam potest.

7 Alimenti quod nutriturum est, in nostram substantiam conuersio, per quam illud re ipsa nutriti incipit, multis mutationibus intermediis indiget: in quibus coctio triplex à medicis obseruatur. Primum enim cibus ipse solidior, in ore dentibus a teritur: vt in tenuissimas partes comminutus & in ventriculum delatus, in hoc à calore natiuo, qui coctionis est opifex, vel certè, vt antea ex Arist. dictum, primarium instrumentum, facilius in chylum mutetur. Hoc verò qua ratione, quoque naturæ scopo perficiatur, Galenus docet lib. 6. decretis Hipp. & Plat. Constringitur venter, inquit, ad cibos, accommodatum sibi ex illis alimentum eliciens: quoad saturatus & perfectè repletus, quicquid superat in ieiunium expellat. Attrahit inde etiam iecur in ventre prius concoctum. Non ea verò de causa à ventre immutatur vt iecori suppeditetur: sed quia non datur vt cum simul duo corpora in mutuum congressum venerint, non mutuo agant & patiantur. Natura enim comparatum est vt fortius & validius, alterum quod imbecillius fuerit, vincat & immutet. Atque in eiusmodi immutatione, prima coctio perficitur: in qua explicanda non satis Galenus providentiæ naturæ attribuit. Secunda verò chylus per venas mesaraicas ab hepate attractus, in sanguinem conuertitur, hicque ab hepate in venas delatus, repurgatur & quasi recoquitur. Ideoque venæ ipsæ vim quandam sanguinis conficiendi habere dicuntur ab eodem Galeno cap. 17. libr. 4. de vsu partium. Coquitur alimentum, inquit, & in ipso per intestina transit, vt in venis etiam omnibus sanguis. Cum tamè neque intestinorum quoduis coquendi alimenti, neque venæ sanguinis gignendi gratia extiterint: sed, vt antea dictum est, natura alias quidem vnoquoque organorum in melius abutitur, alias id sequitur necessario omnia, quæ alicuius gratia



exiterunt. Quemadmodum igitur venis, cum eas distributionis instrumenta fecisset, facultatem sanguinis generatricem indidit, ne dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret: ad eundem modum & intestinis distributionis gratia in venas instituitis, facultas quædam concoctrix ciborum inest. Postrema verò coctio est, sanguinis in substantiam partis ad quam per venas delatus est, conuersio: qua quod de illa effluerat, quoad potest reparatur. Ad has verò omnes mutationes subeundas, cibus ex ore per Oesophagum in ventriculum deferitur. Via autem est altera, in artetia aspera: quæ in initio Oesophagi comes non ad ventriculum sed ad pulmones tendit: qua expiramus & inspiramus. De quarum viarum distinctione & vsu eadem est Aristotelis sententia cap. 3. lib. 3. de partibus animalium & Cornelij Celsi cap. 1. lib. 4. de medicina, itemque Ciceronis lib. 2. de natura deorum. Sed hac in parte inter Platonem & Arist. non nihil interest, quod ille in Timæo existimat potum per arteriam asperam rectà ad pulmones ferri: hoc verò Arist. eodem capite reprehendit. De quo vide multa apud Galenū ad finem lib. 8. de placitis Hipp. & Plat. Apertior verò locus hic apud Platonem in Timæo. Principio riuos occultos, inquit Plato, sub constatione cutis & carnis, duas scilicet venas in tergo diuiserunt: secundum geminam ipsius corporis figuram ad dextram & sinistram. Has vtrique ad spinam demiserunt medullamque mediam genitalem comprehenderunt: vt & hæc quam maximè vigeat pulluletque & vberior hinc & alia quasi decliuus effusio, irrigationem æquabilem præbeat. Post hæc partientes circa caput venas, easque inuicem ex opposito implicantes, partim à dextris ad sinistra, partim à sinistris ad dextra corporis dispartierunt: vt capiti ad reliquum corpus vna cum cute connexio foret: postquam neruis quidem non erat circulo quodam secundum verticem comprehensum atque distinctum: atque etiam vt sentiendi vis ab vtrisque partibus per totum corpus vndique dimanaret. In quorum explicatione interpretem sequamur, vel potius censorem Galenum in fragmento libri de his, quæ à Platone medicè dicta sunt in Timæo. Ab horum exemplo, inquit, riuorum seu canalium appellationem transtulit ad venas. Maximarum autem venarum meminit, à quibus omnesquæ in toto existunt corpore oriuntur: atque has dorsales appellauit: quod per totum dorsum ab internis nimirum ipsius regionibus extendantur. Vera igitur loquitur cum vasa quæ in dorso sunt venas appellat. Quandoquidem ita etiam arteriæ ab antiquis vocabantur. Haud vera autem dicit, cum duas idcirco esse venas ait quod geminum sit corpus. Neque enim eiusdem speciei sunt dorsis vasa, cum alterum tenuem & pulsu priuatam tunicam habeat, alterum pulsantem venæque crassitudine quincuplam vel sexcuplam, quam peculiariter arteriam vocamus. Neque etiam ex his alterum in dextris, alterum in sinistris est partibus: sed ambo in media spina sunt. Ab vtraque vero horum regione neruus vnus, alter in dextris, alter in sinistris existit. Illud quod sequitur aliam quasi decliuam effusionem irrigationem æquabilem præbere: non admodum rectè dictum est. Quippe subtiliores partes quæ circa collum & caput sunt, per venas nutriuntur. In his igitur spinæ partibus quæ infra septum transuersum sunt, tum vena caua, tum maxima arteria super vertebra iucumbit, quousque ad eiusdem spinæ finem in crura scissio facta fuerit. Eis vero partibus quæ supra septum sunt, arteria quidem longissime super vertebra exporrigitur: ipsi vero vena parua adiacet, eas duntaxat infernas thoracis partes quæ in octo northis costis primæ thoracis vertebra, tum super spinæ pars superior, in qua tum quatuor primæ thoracis vertebra, tum supra has etiam ad caput vsque, vniuersæ colli vertebra sitæ sunt, nec venam nec arteriam sibi incumbentem habet. Sed nihil mirum, inquit Galenus, ea quæ ex

anatomie

anatomie conspiciuntur ignorasse Platonem, quemadmodum & Homerum qui ita cecinit.

totam venam abscidit ense

Perpetuo, quæ ad cervicem per dorsa recurrit.

In quo quod venæ nomine arterias etiam complectitur, commune illi est cum veteribus non modò philosophis, sed etiam medicis. Sic enim Hippocrates frequentissimè loquutus est & eam quæ propriè vena dicitur distinguendi causa venam iecorariam appellauit, arteriam verò venam pulsantem, cum in hunc modum scribit lib. 2. Epid. Cum nascitur infans, inquit, cui vena quæ in cubito est pulsauerit, furiosus ille & iracundus euadere: cui sensim mota fuerit, lentus. Atque eodem modo Plato dixit in Timæo, cor principium esse venarum & fontem eius sanguinis qui magno impetu fertur per vniuersum corpus. Quod Galenus lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis, obseruat de arteriis esse intelligendum. Quia in his sanguis concitator est, quàm in ea quæ propriè vena dicitur. Et tamen idem Hippocrates venas ab arteriis nonnunquam distinguit, vt libro de alimento. Radicatio venarum, inquit, hepar: radicatio arteriarum cor. Ex his aberrant in omnia sanguis & spiritus: & calor per hæc permeat. Quanquam illo priore modo venæ nomine pro arteria veteres latini frequenter vsi sunt, vt Cicero libro de Fato. Si cui venæ sic mouetur, inquit, is habet febrem. Vnde venam tangere apud Ouidium, tangit salientem pollice venam: & apud Celsum, cap. 4. lib. 3. venæ, inquit, credimus, rei fallacissimæ.



DE SEDE PARTIS VEL FACULTATIS ANIMAE PRIN- cipis disgressiuncula, quæ sexta est.

SINAE medulam, esse quandam cerebri propa-
ginem, ex Platone & Galeno antea dictum est.
Vtrum verò etiã cerebrum neruorum sit ori-
go & animæ sentientis prima sedes, non perinde
videtur apud ipsum Platonem definitum. Cer-
tum quidem est hanc esse Galeni sententiam,
quam Hippocrati & Platoni ascribit: sicut &
contrariam Aristotelis & Chrysippi, conatur euerrere libris de decre-
tis Hippocratis & Platonis. Sed qui diligenter ipsius Platonis verba
considerauerit, is de vtroque meritò dubitabit. Atque si, vt videtur,
apud ipsum Platonem in cerebro non est facultatis sentiendi sedes
primaria, neque ab illo nerui exoriri dicentur: si modò verum est
quod in hac quæstione Galenus libris de decretis frequenter vsurpat,
motui & sensui neruos primo subseruire, prima autem cuiusque fa-
cultatis instrumēta ex ea parte oriri oportere, in qua facultatis ipsius
primaria sedes est. Atqui ille sentiendi principium in cerebro non
videtur ponere, sed (quod fortasse nouum erit plerisque) potius in
corde. Imò neque sentiendi prima instrumenta in neruis, per quos
differentiæ rerum sensilium ad animum tanquam ad iudicem deferri
dicantur, sed potius in venis, quarum appellatione etiam arterias cõ-
plectitur. Tēduntur à lingua, inquit ille in Timæo, venæ ad cordis se-
dē, saporū nuncię. In quas si quę ita inciderint vt humidā carnis mol-
litiem penetrantia, terrestri sua natura modicè liquefacta, venas ipsas
contrahant atefaciantque, saporis eiusmodi pariunt. Et de odoratu
eodem loco, duæ, inquit, in odoribus varietates absque nomine sunt,
nec ex pluribus, nec ex simplicibus speciebus: sed duo ibi nomina tã-
tùm manifesta sunt, suaue scilicet & molestum. Hoc quidem distur-
bat violatque omnem eam capacitatem, quæ à summo capitis vertice
ad umbilicum protenditur: illud verò eandem demulcet, & amico
quodam ingressu naturalem eius seruat habitum. Itēque de auditu.

*Plato vide-
tur sensus se-
dē ponere in
corde.*

Tertiam, inquit, sentiendi vim, auditum scilicet, ita considerare debe-
mus, vt quibus ex causis passiones eius proueniant, exponamus. Om-
nino igitur vocem ponamus pulsationem quandam ab aere per au-
res cerebrumque & sanguinem vsque ad animam penetrantem. Na-
tam quoque ex ea motionem à capite & in sedem iecoris definētem,
auditum vocemus. Adde quòd idē in Thæteteto, apertissimè signifi-
care videtur memoriam & recordationem, quæ interiori sensui ad-
iuncta sunt, nec ab eo re separata, in corde sedem habere. Cùm alicuius
in animo, inquit, cærea effigies illa profunda & multa, lenisque &
probè subacta est, quæ per sensus influunt in hoc insculpta quod Ho-
merus animæ cor vocauit, cærea hanc similitudinem intelligens, vt
pote pura signacula & funditus insidentia diuturna sunt. Ac primò
quidem homines sic instituti, dociles sunt & acuti: deinde etiam me-
mores: postremò sensuum simulachra non commutant, vnde vera ni-
mirum opinantur. Nam cùm sint ea perlucida & ampla in regione,
velociter distribuunt diuiduntque in propriam effigiem singula, quæ
quidem existentia veraque vocantur, virisque tales sapientes esse di-
cuntur. τ η. Mirum in modum. s o. Quando igitur densum alicuius
est cor, quod sapientissimus poëta laudauit, vel cùm lutulentum, nec
ex defecata cærea, vel molle nimis, vel durum, non rectè omnino se
habet. Nam mollis nimium cera, celeres ad percipiendum efficit: sed
eosdem obliuiosos. Dura vero contrà, diu memores, sed ineptos tar-
dòsque ad percipiendum: & qui densam & asperam lapideamque, vel
terream, vel fæculentam habent, obscura simulachra continent: ob-
scura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura præ-
terea qui molliorem: nam ex confusione facile euanescent. Sed si
præter hæc, inuicem quoque cõgesta sint, ob sedis ipsius angustiam,
si quidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulachra
fient. Quo loco Plato sedem memoriæ, quæ coniuncta est cum inte-
riore sensu, in corde videtur ponere: & ex huius diuersa temperatio-
ne, facultatis memorandi differentias repetere. Aristoteles verò con-
trà, quanquam locis penè infinitis animam re vnã in corde velit
habitare, nisi tamen rectè intelligatur, sedem eiusdem memoriæ &
sensus in cerebro videbitur agnoscere, cùm ad finem libri de memo-
ria & recordatione scribit eos qui superiores capitis partes maiores
habent atque pomiliones sunt, obliuiosiores esse his qui contrario
modo affecti. Propterea, inquit, quòd magno pondere depressa sit illa
eorum pars in qua sensus sedes est: nec possit ab initio motus animi
in eis consistere, sed dissipentur, nec facile in recordando recto ordi-
ne progredi. Quæ omnia mihi attentè consideranti longè tutius esse
videtur in hac quæstione tantum indicare quod dubitandi iustam oc-

*Aristotelis
vtrum sedes
primi sensus
in corde.*



caſionem affert, quam cum Sebaſtiano Foxio lib. 4. de conſenſione Platonis & Ariſtotelis, temerè affirmare, Platonem, Ariſtotelem Galenum omnèſque Philoſophos in capite non modo omnium ſenſuum vires, ſed rationè ac mentem poſuiſſe. Nam de Galeno id quidem indubitatum eſt. Quem etiam memini cum aliis locis multis, tum maximè cap. 14. lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis, eandem ſententiam Platoni attribuerè: ſed, quemadmodum antea dixi, hoc ob illo non ſatis eſſe videtur huius teſtimoniis, ſicut decuit, confirmatum. De Ariſtotele verò atque etiam de ipſo Hippocrate (quem cum Platone in hac quæſtione conſentire Galenus arbitratur) nemo facilè idem mihi perſuaſerit: præſertim cum in eorum doctrina pleraque extent quæ apertè cõfirmant his aliud placuiſſe. Nam vt ab Hippocrate incipiam, ſi is quidem author eſt libri de inſania, cuius fragmentum ſub eiufdem nomine inter epiſtolas extat, videri poterit merito à Galeno dictum animæ ſentientis & intelligentis ſedem ab illo in cerebro tanquam in arce eſſe poſitam. Quoniam de hoc eo loco ſic loquitur. Inſanienti neceſſe eſt præ humiditate cerebrum, in quo animæ opera ſunt, moueri: vbi videlicet humidius quàm pro natura fuerit. Eo verò commoto neque viſum, neque auditum quieteſcere: ſed alias alia & videre & audire & linguam talia loqui qualia ſingulis vicibus viderit ac audierit. Quandiu hoc cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo ſapit. Quæ etiam fuerat Democriti ſententia in epiſtola de natura humana, ad Hippocratem. Cerebrum, inquit Democritus, ſupremam corporis partem cuſtodit & ſecuritatatis tutelam ſibi commiſſam habet, intra membranas neruoſas cohabitâs. Super quod duplicatorum oſſium naturæ neceſſariæ firmatæ, dominum mentis cuſtodem, ipſum cerebrum regunt. At libro de Corde (quem Hippocratis eſſe mihi veriſimilius eſt, quàm illum de inſania) nominatim ſcriptum eſt mentem habitare in ſiniſtro cordis ventriculo, eamque reliquæ animæ imperare: nutriri autem neque cibus, neque potibus à ventre, ſed pura & illuſtri ſubſtantia ex ſanguinis diſcretionem nata. Et initio libri de morbis virginum, delirij in illis cauſam idem ita explicat, vt velle videatur ſenſus, imaginationis & rationis ſedem in eodem corde exiſtere. A falſis rerum imaginibus, inquit, multi iam ſe ſtrangulauerunt: plures autem mulieres quàm viri. Eſt enim mulieris natura animi magis deiecti & imminuti. Cæterùm virgines nubileſ & maturæ viro hoc magis patiuntur, vnà cum menſum deſcenſu: antea non valde hinc afflicte. Poſtea enim in vteris ſanguis conſluit, velut affluxurus. Cùm igitur oſculum exitus nõ fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit, propter cibos & corporis augmentum, tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudinem reſilit ad

*Hippocrates
ſedem men-
tis poſit in
corde.*

cor & ad ſeptum tranſuerſum. Cùm igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit: deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit. Libro verò de oſſium natura, motus cauſam venis ſicut & Plato, non neruis attribuit, earumque originem non ſatis ſibi perſpectam fateatur. Venæ per corpus diſfuſæ, inquit, ſpiritum & fluxum ac motum exhibent, ab vna multæ germinantes. Atque hæc vna vnde oriatur & vbi deſinat, neſcio. Circulo enim factò principium non inuenitur. Multo verò minus eidem Foxio quiſquæ cõcedet ſedem ſenſus in cerebro ab Ariſtotele eſſe poſitam: ſi modò meminerit ab hoc contra Platonem diſputatum cap. 10. lib. 3. de anima, cap. 1. & 10. lib. 2. de partibus animalium, itemque cap. 4. lib. 3. & lib. de animalium motu, animam re vnã ſubſtantiæque ſimplicem, facultate triplicem, in corde tanquam in centro reſidere. Ex eodemque, vt ſua ſubſtantia neruoſo, neruorum originem repetitam cap. 5. li. 3. de animalium hiſtoria. Quanquam hæc fortæſſe in eam opinionem Foxium impulerunt, quòd Ariſtoteles problemate 15. Sectione 33. ſenſus omnes capite contineri ſcribit & cap. 10. lib. 4. de partibus animalium idem, ait naturam ſenſus nonnullos in capite collocauiſſe, rationemque ſubiicit, quòd ſanguis eius membri modicè temperatus fit & idoneus tum ad cerebrum tepefaciendum, tum ad ſenſuum tranquillitatem atque integritatem. Quod etiam repetit extrema pagina libri de memoria & recordatione. Adde quòd idem ſcribit cap. 10. lib. 2. de partibus animalium, malè affecto cerebro deliria ſolere contingere. Quæ omnia vt eam Foxij opinionem probabilem videntur efficere: ſic hoc amplius querendi cauſam illi afferre debuit, quòd idem dixit cap. 2. lib. de ſenſu, ſedem ſenſus odoratus propriam in loco eſſe qui cerebro vicinus. Quoniam, inquit, rei frigidæ materia, caloris vim habet. Eam verò partem in qua ineſt tangendi principatus, terrenam eſſe, ſicut & eam qua guſtamus: quoniam guſtatus quædam ſpecies tactus eſt. Ob eamque cauſam vtrumque & tangendi & guſtandi ſenſum, cordi adiunctum & annexum eſſe. Nam in illis omnibus, quæ prima ſpecie inter ſe non omnino conſentire videntur, querenda erat aliqua conciliatio eaque ex eiufdem Ariſtotelis doctrina petenda. Pro qua dici poſſe videtur primam facultatis ſentiendi ſedem ex huius ſententia in corde eſſe, neque quicquam prius reipſa ſentiri, id eſt ab anima per eiufmodi facultatem primã diiudicare, quàm eius imago ad cor peruenerit: inſtrumenta autem quinque ſenſuum qui externi appellantur, in quibus rerum obiectarum imagines primùm recipiuntur, indeque ad animam quæ ſola indicandi vim habet, deferuntur, in nonnullis ſita eſſe in capite, vt in aspectu & auditu: in aliis, vt in guſtatu & tactu, omnino in corde. Vel potius in aspectu & auditu



vias per quas rerum sensilium imagines deferuntur, primum ad cerebrum tendere, hinc rursus ad cor descendere: in gustatu & tactu vias quoque eiusmodi esse aliquas, sed has ab instrumentis ad cor rectè ferri. Sic enim Aristoteles ipse mentem suam explicare videtur cap. 2. lib. 5. de animalium ortu, & cap. 10. lib. 2. de partibus animalium. Nec audiendi sunt, inquit, qui si caput hominis carnosum esset, viuacius futurum hominum genus censent: sed ut melius sentiret carnem ademptam existimant. Vim enim sentiendi sitam in cerebro: sensum autem per partes nimium carnosas nequaquam admitti posse arbitrantur. Neutra enim eorum ratio vera est. Sed si cerebrum à carnis copia circumdaretur, contra efficeret quàm institutum exigeret, cuius gratia adiunctum est animalibus. Nec enim refrigerare posset, cum valde ipsum temperet. Nec sensus vllius causam cerebrum obtinet: quandoquidem expers omnino sensus, non aliter quam quoduis excrementum. Verùm cum intelligere causam quamobrem sensus nonnulli in capite habentur, nequeant, quòd eam partem esse cæteris peculiariorem animaduertent, ideo sensum cum cerebro coniungendum ratiocinantur. Sed enim principium sensuum esse cordis locum, definitum iam est cum de sensu ageremus, & quam ob causam duo, id est tangendi & gustandi sensus ex corde apertè dependent, vnus ex reliquis tribus, id est olfaciendi, medium tenet: duo, id est audiendi & videndi, maximè in capite positi sunt, propter sensoriorum naturam. Vllusque omnibus in capite est. Auditus autem & olfactus piscium & reliquorum eiusdem generis, declarant quod dicimus. Audiunt enim atque olfaciunt, cum nullum sensorium eorum sensuum in capite habeant manifestum. Qui Aristotelis locum aperte confirmat eam distinctionem quam paulo ante exposuimus. Porro de eadem questione varias veterum philosophorum opiniones sic colligit Theodoretus Cyrensis lib. 5. de curatione Græcarum affectionum, ut communem de illis opinionem sequi potius videatur, quàm eorum sententias accuratè expendere. Hippocrates, Democritus & Plato, inquit, principem animæ vim in cerebro sitam esse affirmant. Strato, in medio sincipitio. Erasistratus autem medicus, iuxta membranam cerebri quam Epicranidem vocat. Herophilus in ventre cerebri. Parmenides & Epicurus in toto hominis thorace. Empedocles & Aristoteles vniuersaque Stoicorum societas, cor animæ sedem dicunt. Horumque rursus alij eam in cordis ventre constituunt: alij verò in sanguine: alij in cartilagine quæ cor obsepit: alij autem in ipso diaphragmate. Atque hæc quidem isto loco satis abundè de sede facultatis principis. De reliquarum autem facultatum distinctione, deque earum propriis sedibus amplius differetur cap. 17. Vbi etiam illa qua-

sio Platonicis & Peripateticis nobilis tractabitur, an animam tota sit in toto corpore & tota in qualibet huius parte.

Quinque sensuum, qui externi nominantur, propria ratio & eorum quæ singulis obiecta sunt, varietas explicatur. Ac in ipso aspectu somni & vigiliarum insomniorumque inter dormiendum & imaginum in speculis apparentium causæ queruntur. Ad extremum verò tactilium qualitatum differentia ex figuris geometricis petuntur, ut ex primis apud Platonem rerum omnium principiis.

C A P. 15.



*V*M autem luciferos oculos circa faciem collocassent, in iis lucidum ignem incluserrunt. Qui quia leuis est & crassus, eundem diurni luminis germanum esse oportere existimauerunt. ² Atque hic sane cum per rotum quidem oculum, tum maximè per pupillam erumpit, qui est omnium purissimus & valde syncerus. Qui cum externo consentiens, similis cum simili, videndi sensum præstat. Quare cum lumine noctu euanescit vel obscuratur, interior ignis non amplius à nobis cum proximo aere coniungitur, sed ad interiora receptus, eos motus qui in nobis sunt, adequat atque diffundit, somni irritamentum inducens: unde & palpebrae clauduntur. At in maxima requie, somni ferè insomniorum sunt expertes. ⁴ Relictis autem quibusdam motionibus, visis frequentibus exercemur. Atque has quidem visiones siue verè siue falsò, directè natas sic constitui. ⁵ Quæ verò sequuntur in speculis aliisque corporibus pellucidis ac leuibus imaginum figurationes, eas non aliter quàm per reflexionem existere. Pro varia enim figura extremitatis concaua vel conuexa, in speculo diuersæ imagines

apparebunt ex diuersa reflexione luminum ad alias atque
 alias partes: quæ in conuexis quidem resiliunt, in concavis
 autem coeunt. Sic enim in quibusdam dextra atque sinistra
 contrario modo apparent: similiter autem in aliis, quæ sunt
 inferiora, ea superiora, & contrà. ⁶ Auditus vero ad vo-
 cis perceptionem datus est. Exoriens enim ab ea agitatione
 quæ circa caput contingit, ad hepatis sedem desinit. Vox
 autem ea, quæ per aures influens perque cerebrum & san-
 guinem, in animum percussum transfunditur: acuta quidem
 quæ mouetur celeriter, grauis quæ tardè: magna quæ multa,
 parua quæ pauca. His autem est consequens narium facul-
 tas, ad odorum sensum constituta. ⁷ Odor verò est affectio
 è narium venulis vsque ad ea loca quæ circa umbilicum
 sunt, defluens. Cuius species suis nominibus expressæ non
 sunt, præter duas maximè communes, fragrantis odoris &
 graueolentis: quæ suavis & fætidæ appellationem habent.
 Omnem verò odorem aëre crassiore esse, aqua tenuiorem.
 Quoniam genus odoris in iis merito dicitur existere, quæ
 nondum perfectam mutationem susceperunt: sed cum aëre
 & aqua communionem quædam habent. Talia verò sunt
 quæ ad fumum & caliginem accedunt. His in seinuicem
 transeuntibus, sensus odoratus perficitur. ⁸ Gustatum ve-
 rò variorum admodum saporum iudicem, Diæ constituerunt
 ab illo ad cordis sedem productis venulis quæ probatrices
 essent saporum & diiudicatrices. Hæ enim dum colligun-
 tur & distrahuntur, prout saporum occurrunt, definiunt eam
 quæ in his est varietatem. Sunt autem saporum differentiæ
 septem. Dulcis, Acutus, Acerbus, Austerus, Salsus, Acer,
Amarus.

Amarus. In quibus dulcis reliquis omnibus contrariam ha-
 bet naturam, humorem circa linguam familiariter diffun-
 dentem: reliquis partim perturbantibus atque proritanti-
 bus, quales acuti: aliis calefacientibus, & ad superiora e-
 uolantibus, quales acres: aliis valde abstergentibus, abster-
 gendoque liquefacientibus, quales amari: aliis sensim pur-
 gantibus & abstergentibus, quales falsi. Ex aliis verò me-
 tus obstruentibus, qui id asperius faciunt, acerbi: qui leuius,
 austeri esse dicuntur. ⁹ Tangendi verò facultatem à diis
 constitutam ad suscipiendas & diiudicandas calidorum ac
 frigidorum, mollium & durorum, leuium & grauium, po-
 litorum & asperorum differentias, & eas quæ illis insunt.
 Cedentia quidem dicimus quæ tactum recipiunt: reniten-
 tia, quæ illi minimè cedunt. Hoc autem secundum corporum
 ipsorum bases contingit. Quæ enim illas amplas habent,
 hæc stabilia sunt & firma: quæ his angustis innituntur,
 cedentia sunt & mollia, eademque facile mutationem sub-
 euntia. ¹⁰ Asperum autem sit quod cum duritie coniunctam
 habet inæqualitatem: politum, quod æquabile est & den-
 sum. Cum verò caloris & frigoris affectiones sint maxi-
 mè contraria, hæc ex contrariis causis oriuntur. Nam quod
 acumine partium & asperitate discindit, id calidam gi-
 gnit affectionem: frigus autem quod ingressu densius. Dum
 tenuia expelluntur, & in illorum locum alia coguntur,
 tunc sanè concussio quædam & tremor exoritur: indèque
 in corporibus qui nascitur affectus, rigor existit. ¹¹ Graue
 autem ac leue, ratione superioris & inferioris loci nequa-
 quam definienda sunt. Quoniam nihil est sursum aut deor-





sum. Nam cum celum omnino rotundum sit & accurate in extremitate sua conuexa equabile, non aptè quosdam in illo hoc superius, illud inferius nominare. Verum id quidem graue esse quod non nisi magna vi in locum à sua natura alienū trahitur: leue verò, quod facile. Ad hæc, graue quidem quod ex pluribus partibus concretum est, leue quod ex paucissimis.

IAC. CARPENTARII COMMENTARIVS IN Caput 15.

In quo prima est disputatio de modo videndi, & de natura oculorum, qua digressio est septima.



HUNC locum pluribus explicat Plato in 2. Timæi parte. Ex omnibus faciei partibus, inquit, primi luciferi oculorum orbis coruscant, hac causa dati. Ignis certè illius qui non vrit quidem, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbis dii fecerunt. Intimum si quidem nostri corporis ignem, huius ignis germanum synceramque per oculos emanare voluerunt: in quibus leuis congestusque vbique ignis huiusmodi sit, sed per eorum duntaxat solidiorem angustamque medietatè, ignis purior euolet, crassior verò cohibeatur. Itaque cum diurnum Lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi iam in vnius domestici corporis coherent speciem: vbicunque videlicet tam intimi quàm externi luminis fit concursus. In quibus obseruanda sunt de aspectu duo decreta. Primum enim oculis inesse vult naturam igneam: deinde rationem videndi potius consistere in emissionem radij in obiectam rem, quam in receptione imaginis de illa excitatæ. De quibus, quia inter Platonem & Aristotelem nobilis est controuersia, differendum hoc loco plu-

ribus: vt in hac opinionum dissidentiū varietate deligamus quod sequamur, & in quo contrarijs aliorum rationibus possimus resistere. Atque primùm de aspectus natura dicamus. Quemadmodum antea obseruatum est astris naturam igneam à Platone tribui, non quamuis, sed lucentem, minimè verò adurentem (tres enim ille ignis species facit in Timæo) sic existimandum oculos, vel potius oculorum radios, ab eodem igneos appellari. Quia, vt ait, participes sunt eius ignis qui non vrit, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo. Cuius opinionem sequutus Galenus cap. 10. libr. 3. de Vsu partium, scribit, quam rationem habet Sol in vniuerso, eandem oculum obtinere in homine, vt minore mundo. Quia est, inquit, organum lucidissimum eoque Soli quàm simillimum. Istius verò luminis in oculorum radijs, hæc argumenta pro Platone colligi solent. Quod quorundam animalium oculi noctu in tenebris videant: videre autem non possent nisi oculorum radio natura sua lucido, partem aliquam medij illustrarent: quòdque etiam in nonnullis præsertim iracundioribus, oculi noctu quasi ardeant, vel certè coruscant. Quibus hoc Aristoteles addit cap. 2. libr. de Sensu, oculum cum mouetur ac torquetur, tum ignis speciem elucere ac prodire, quod in tenebris vel cum palpebræ obductæ sunt, solet contingere. In quo hic Platonem eodem loco, exagitat. Galenus libr. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis, existimat ab animæ sede, per neruos spiritum lucidum ad oculos permeare, idque hac coniectura confirmat. Noui ego quendam, inquit, qui cum suffusionem in oculo passus esset, narrabat nobis se priùs quàm in eam calamitatem incidisset, in somnis, perfectis repente palpebris, magnam ante oculos lucem solitum videre (quod scilicet & mihi & alijs multis euenit) quæ tamen lux subinde diminuta fuerit, vt nihil ampliùs appareret: atque ita videndi sensum sibi obscuratum simili modo penitus interijssè. Ad id etiam pertinet (sicut & ad opinionem alteram de modo videndi per emissionem) quod eodem libro Galenus adijcit, iterùmque repetit cap. 5. libr. 10. de Vsu partium, in suffusis saluam adhuc videndi vim existimari si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius appareat, quòd à lucido spiritu ex oculo prodeunte, dilatatio eiusmodi efficiatur: in Leonibus etiam & Pardis alijsque animalibus quibus oculi lucidi admodum splendidique sunt, noctu circa pupillam splendidum orbem apparere, vbi eum ad nares contorserint. Vt colligere possimus, inquit, tantum à pupilla in medio spatio auctum visorium conum, quantus pro rata interualli portione ipsius orbis extiterit. Qui quidem conus quibus maior est natura, in ijs maior etiam splendoris orbis conspicitur: quibus minor, in ijs pro ratione paruitatis tan-

Aspectus natura igneæ an aquea.

Platonis rationes de natura oculorum ignea.



to minor etiam orbis apparet. Neque verò dissimile est quod eodem libro de sensu, Aristoteles scribit, nonnullis qui in bello circa tempora vulnus acceperant, quo viæ & itinera oculorum essent excisa, tenebras offundi visas, quasi lucerna extincta: quòd parte ea quæ perlucida est & pupilla excisa, quasi splendor quidam adeptus esse videretur. Quibus etiam adde cetera quæ de C. Mario, & T. Cesare à nobis obseruata sunt cap. 5. libr. 4. prioris descriptionis Physicæ. Idem verò ex Prisciani Lydi commentario in libr. Theophrasti de Anima, cum aliqua probabilitate sic confirmari posse videtur. Quod cum sentire sit quodammodo agere, itè que pati, in aspectu siue oculis agat, siue color (neque enim adhuc de eo querimus) eo certè facilius futura est actio, quo maior inter oculum & colorem naturæ communitio intercedet. At colores natura sua quodammodo sunt lucidi, & vt Aristoteles ait cap. 7. libr. 2. de Anima, lumen est quasi color naturæ translucida, vel vt Plato scribit in Timæo, color est veluti flammula quadam fulgoreque à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas. Quibus effici videtur oculis flammulam quandam, vel fulgorem inesse: non tamen in his, sicut neque in coloribus, adurentem: sed vel suapte natura, vel certè concurrente medijs lumine, tantum splendoris fundentem quantum ad huius sensus functionem est necessarium. Sic enim huic sensui, quia reliquis diuiniore est, lumine opus est, vt qualitate omnium maximè diuina: sed hæc aliquando est & in oculo, & in medio, & in obiecto: aliquando medio deest, reliquis verò duobus inest, non tamen æquabiliter, sed nonnunquam oculo magis, rei aspectabili minus: vt in his animalibus quæ noctu vident ea quæ in tenebris sita sunt: aliàs verò contrà, vt in his quæ in tenebris tantum flamma videntur, quia splendorem quandam ex se emittunt. Qualia ab Aristotele enumerantur, Cornu, fungus, capita piscium & squamæ. Nunc contrariam Aristotelis sententiã audiamus. Quòd Democritus aspectum aquæ naturæ vult imitari (inquit ille libr. de Sensu) rectè sentit: quòd autem aspectum emphasim ipsam, hoc est imaginis veluti apparitionem esse ait, non rectè. Et eodem loco, Ac illud quidem verum est, inquit, aspectum aquæ naturam imitari: sed tamen non cernimus quia aqua est, sed quia perlucibus est oculus, quod etiam cum aere commune habet: sed facilius & diuturnius aqua quàm aer seruari & retineri potest. In quo suam sententiã his rationibus confirmat. Nam & quod defluit ex oculis cum lesi sunt, aqua planè videtur: & in his qui admodum pueri infantisque, splendore ac fulgore præstant: & albugo oculorum in iis quidem animantibus quæ sanguinem habent, pinguis est. Quod eo à natura effectum est, vt humor ipse concretionis expertus permaneat.

Aristotelis opinio de natura oculorum.

neat. Ob eamque causam pars nulla est corporis quæ tardiùs ac minus quàm oculus, frigoris incommoda sentiat. Neque enim adhuc ea pars quam palpebre obducunt, frigore obrigit. Platonis verò opinionem eodem loco his argumentis exagitat. Si oculus ignis esset, inquit, quemadmodum Empedocli placet & in Timæo scriptum est, aspectusque exeunte quasi è lucerna lumine eueniret, cur etiam in tenebris oculi non cernerent? nam aspectum extinguere dicere in tenebris cum exit, id quod Timæus confirmat, prorsus nihil est. Quæ enim luminis extinctio est? Omne enim quod calidum & siccum est, vel humore, vel frigore extinguitur: vt ignis qui in prunis est & flamma: quorum neutrum lumini contingit. Quod si foris contingit, sed propter paruitatem id nos fugit: profectò & interdiu & in aqua extinguere lumen oporteret, & cum gelu omnia obrigescent, maximè tenebras existere. Flammæ enim hoc hisque naturis & corporibus quæ deflagrant, contingit. In quibus facile est videre ab Aristotele satis quidem probari in aspectu non dominari elementarem ignem patibilibus qualitatibus præditum, sed hoc parum pertinere ad mentem Platonis, cuius minimè obscura est sententiã de igne tertiæ speciei, cœlesti scilicet lucente non adurente: Qui non à frigore sed à tenebris restingui dicitur: non vt à contrariã qualitatis habitu patiendo, sed priuationi in eodem subiecto cadendo. Sic enim tenebras ad lumen se habere ipse etiam Aristoteles nos alio loco docuit. Quo etiam modo Hipp. lib. de structura hominis, visum ait esse ex æthere, olfactum ex aere: auditum ex igne: gustatum ex humido: tactum ex terra. Sed hoc mihi in hac quæstione mirum est quòd animaduerto Galenum in philosophando Platoni & in re medica Hippocrati non minus addictum, quàm in Aristotele exagitando plerumque nimium acrem, libris de Decretis Hipp. & Plat. cum in aspectu spiritum facultatis videndi quasi vehiculum considerat, assentiri Platoni volenti sensum hunc constare natura ignea, id est lucida & ætherea: qualem ipsius spiritus ille esse vult: eundemque nulla prorsus adhibita distinctione, lib. 10. de vsu partium, cum Aristotele docere, oculorum naturam esse aqueam, sedque confirmare ex iis humoribus quibus oculi substantia constat. Cum tamen eiusmodi distinctio facilis esse videatur & ad Platonem cum Aristot. hac in parte sine errore comparandum sit necessaria. Dicamus itaque ad prioris quæstionis explicationem in oculo duo spectari posse, spiritum lucidum ab anime sede influentem, & ipsius oculi corpus huiusque temperationem ex suis humoribus & tunicis, accommodatam ad eam functionem ad quam oculus ipse est comparatus & cuius primaria causa, vel potius primarium instrumentum in spiritu consistit. Atque intelligamus Platonem il-



lius spiritus rationem habentem, dixisse aspectum igneum, non adurentem. sed æthereum & lucidum: Aristotelem autem propter eos humores qui in oculi corpore variis tunicis inuoluuntur, eundem dixisse aqueum. In qua varietate opinionum non tam fortasse dissidentium quàm vulgo videntur, si in alteram partem omnino descendendum sit, Aristoteli certè potius quàm Platoni hac in re assentiar. Si quidem hoc loco quaeritur de distinctis instrumentis quinque sensuum externorum, de eorundem cum quatuor elementis comparatione. Non igitur in ipso aspectu ad spiritum in oculum influentem confugiendum est: sed de crystallino humore in oculo spiritum per medium neruum excipiente agendum. Aut si eius spiritus ratio in hoc sensu erat habenda: eodem argumento dicendum videbatur sensus omnes igneos esse, id est æthereos & lucidos. Quoniã ad omnia instrumenta, pro quorum varietate potissimum sensus externos distinguimus, portio quædam huius spiritus eandem originem habentis, influit. Cuius virtute rei obiectæ imago in instrumento excepta cum adhuc corporea sit, repurgatur & diuino quodam modo in incorpoream commutatur, talisque ad animum tanquam ad iudicem, ab ipso spiritu sua origine communi & quinque sensuum externorum quasi internuncio, defertur. Cur igitur non eodem iure auditum igneum quoque, id est æthereum esse dicemus? An quia aspectus diuinitas maior est quàm sensuum reliquorum? Equidem facile concedam aspectum sensum esse auditu longe puriorem, hosque duos reliquis longè præstantiores, quod etiam à Platone dictum est in Hippia maiore: in his tamen omnibus spiritum æthereum primarium instrumentum esse existimo: sed qui intentione remissionisque naturæ suæ distinguatur, prout in diuersis sensibus magis minùsve cum nostro corpore cõmunicat. Quemadmodum apud Aristo. omnia quæ sunt supra regionem elementarem, naturam habent ætheream, sed in hac puritate quadam maiore & minore differre dicuntur. Sic enim ille scribit cap. 4. lib. 1. Meteor. Corpus quidem diuersum distinctumque & ab igni & ab aère censemus esse id quod supra est & ad Lunã vsque pertinet. Ita tamen vt iidem eius partem vnã per se puriorem esse, alteram minùs synceram putemus gradùsque ac dissimilitudines habere, maximèque qua parte cum aère ac inferiore mundo copulatur. Sed de priore quaestione satis: nunc ad alteram de modo videndi, veniamus. In qua quæ sit Platonis sententia antea dictum est: hanc verò quibus rationibus Aristoteles exagitare soleat, inquiramus. Hoc planè absurdum est, inquit cap. 2. lib. de sensu, quod aiunt nonnulli aspectum emissã ex se quadam natura cernere, permanereque vsque ad astra: aut ad aliquem vsque terminum egrediendo, cum aliena lu-

ce coniungi atque confundi, vt quibusdã visum est. Hoc enim præstat dicere ipsum lumen initio cum oculo coniungi. Quamquam hoc etiam stultum est putare. Quid est enim lumen cum lumine coniungi: aut qui tandem hoc fieri potest? Neque enim quouis res cum quouis coniungitur, & res quæ intus est cū externa quo tandem modo, cum membrana interiecta sit? Est etiam in Topicis hæc ratio eidem familiaris, nos cernere aliqua re in oculo recepta, non inde emissã: quoniam eodem modo audimus, gustamus, & odores rerumque tactilium differentias percipimus. Omnium verò sensuum in obeundis propriis functionibus vna communis ratio esse videtur. De quo contra Aristo. rationibus multis pro Platone disputat Galenus lib. 7. de Decretis Hippo. & Plato. Corpus quod videtur, inquit, duorum alterum, vel ex se ipso ad nos aliquid mittit, quo cū propriam etiam sui dignotionem nobis ostendit, vel si nihil mittit, vim aliquam sensuam à nobis ad se vsque peruenire expectat. Vtrum verius sit ita iudicabimus. Per pupillã exiguum foramen inspicimus. Quod si expectaret vt partem aliquam, aut facultatem, aut simulachram, aut qualitatem ex corporibus extrinsecus obiectis ad se accederet, rerum magnitudinem nullo modo perciperemus, verbi causa, vasti alicuius montis. Tam magnum siquidem spectrum quantus ipse est, in oculos nostros ingredi oporteret. Quod penitus est absurdum. Vt omittam interim quod vel vno eodemque tẽporis momento, etiam si innumerabiles essent qui viderent, ad singulos eadẽ imagines ferrentur. Si contra spiritus visiuus exiret, nulla ratione posset tanta diffusionem dilatarum vt omnes visui expositas res circumfusis complecteretur. Nam quid aliud esset quam illa commentitia Stoicorum gutta, quæ cum toto mari cõmifcetur? Restat igitur adhuc vt aër circumfusus tale instrumentum nobis sit, quale est semper neruus in corpore. Si quidem eodẽ pacto aër nos ambiens à spiritus visui occursum, quo à Solis fulgore, affici videtur. Nam & ille supremo aëris termino cõtacto, statim vim suam fulgidam in totum dispergit, & nostra per visorios neruos acies progressa, spiritali substantia prædita, cum in aërem incidit, primo appulsu in eum alterationem inducit: quæ longe latèque in continuum scilicet nos ambiens corpus, sparsa, repente in totum diffunditur. Id quod etiam liquido in vi Solis inesse conspiciamus. In hac etiam quaestione Aristotelem eodem loco inconstantia arguit. Quamquam mihi, inquit, Aristoteles videtur vbi de refractione loquitur quæ à sensilibus ad nos peruenit, animaduertisse hanc absurditatem: atque ideo minimè audere ea alicubi vti: sed eam semper quasi omni carentem probabilitate eludendo euadere. Nam cum differit quo modo Iris efficiatur, quomodo item vel circa Solem vel

Galenus rationes contra Aristo.



Lunam, qui obsolani vel antefolani nominantur, existant: tum quomodo in speculis visiones fiant, omnia hæc in refractionem visionis refert: nihil interesse affirmans siue intuitum ipsum, siue æris ambientis ex rebus quæ videntur, alterationes refringi ac reflecti existimemus. Atqui ita meritissimè ipsum argueret quispiam: si nihil refert hoc an illo modo dicere, quid tu relicta tua vera opinione, aliena falsa vteris? In contrarium enim in præsentia tua tibi cædet cauillatio: cum nullam causam tam absurdæ decretorum mutationis adduxeris. In quibus quoniam ille grauius Aristotelem exagitare videtur, & cum aliqua probabilitate ei inconstantiam obiicere, quo vix quisquam in proposito retinendo fuit constantior: pro eo pauca hoc loco dicenda sunt, prius quàm rei huius explicationem tentemus. Ac primùm quod ait per exiguum pupillæ foramen cum rei magnitudo penetrare non possit, vix vnquam futurum vt aspectus de magnitudine iudicet, si recipiendo in oculo, non emittendo videmus: ad id pro Aristot. facilis est responsio. Non enim hic vult rem ipsam aspectabilem in oculo excipi, sed eius imaginem beneficio luminis excitatam. Per quam sensus interior de re non aliter iudicat, quàm intellectus vel ratio per vniuersam notionem, de cõmuni natura quæ verè est in singulis. Quare vt oculus de montis magnitudine iudicet, minimè hanc reuera per pupillam ferri necesse est: sed illius tantum imaginem. Cur autem in diuino sensu oculorū imago minima, imò si propriè loquimur, quantitatis experta, ingentem montis magnitudinem non poterit animo representare, cum idem penè pictorum ars per imitationem assequatur? Amplius etiam hoc mihi verè videor posse dicere, Galenum ipsum quod in ratione hac affert incommodi contra Aristotelem, ne in sua quidem sententia de modo videndi per emissionem vitare vlllo modo potuisse. Nam cum hoc illi datum fuerit vt aspectu magnitudo montis alicuius sentiat, ab oculo aliquid ad ipsum montem ferri oportere: si sensus non est sola sentientis corporis alteratio, vt ille docet penè extrema pagina lib. 7. de Decretis Hipp. & Plato, sed de ea siue in medio, siue in instrumento facta, animi iudicium: de magnitudine eius montis ad quem radius aspectus delatus est, sentiendo iudicari oportebit. Minimè verò iudicium hoc perficietur in ipso monte, in quo radius sistitur (quis enim hoc dicere audeat, nisi idem velit simul cum spiritu & radio animum quasi peregrinari & ad montem deferri?) Quare erit hoc iudicium interioris animi: ex eoque dictum ab Aristot. capit. 2. libr. de Sensu, id quod videt, id est vt interpretor (quanquam repugnantibus nonnullis, qui de Crystallino humore vt primo & interiore aspectus instrumento hoc intelligi volunt) quod de re aspectabili iudicat, non esse in extre-

tremo

tremo oculo, sed interius quiddam. Quomodo verò animus de montis magnitudine iudicabit cum ad montem radium aspectus emiserit, nisi hic etiam referatur, atque secum per pupillam quantumuis angustam, magnitudinis imaginem deferat? Vt verò hac in parte etiam suspitione inconstantia Aristotelem liberemus, non videtur valde laborandum. Siquidem cum ille de iride disputans cap. 5. lib. 3. Meteor. scribit nihil interesse hoc ne an illo modo aspectum fieri dicamus: id non ita accipiendum est quasi vtriusque sententia parem probabilitatem esse velit, aut eam probabiliorem quàm ex opticis eo loco repetit. Sed cum illa de modo videndi per emissionem, recepta esset communi Opticorum consensu & Platonis autoritate firmata, neque in hac euerenda vellet laborare eo tempore, ne instituta disputationis ordo perturbaretur: dixit nihil interesse hoc ne an illo modo nos videre dicamus. Vt significaret tam commodè causas iridis explicari ab his posse qui affirmant nos videre per emissionem: quàm ab aliis qui hoc ipsum in receptione imaginis positum esse arbitrantur. Quod genus loquendi his familiare est qui in philosophando non omnia vno loco docere volunt: aut de re eadem nonnumquam ex cõmuni opinione aliter loquuntur quàm cum ad eius eersionem, id agunt vt propriam sententiam confirmet. Neque fortassè in re proposita verum est radium aspectus à nube soli opposita ad solem reflecti, indèque accidere vt colorum varietas in iride appareat: sed potiùs dum Solis radius partim in oppositam nubem, partim in terram huic subiectam, ac plerùmque virescentem emittitur, in illis triplicis coloris speciem excitat, quæ deinde ad oculum eius qui nubem intuetur, ita defertur, vt in huius pupilla aliquid simile iridi possis intueri. Sed istud alterius loci est: Nunc verò hoc magis me mouet quòd capit. 2. libr. de Sensu, eo ipso loco quo de modo videndi contra Plato. ex professo disputat, radij aspectus relationem à corporibus specularibus videtur admittere: quæ tamen nisi eundem radium prius ex oculo in id quod pro speculo est, emissum fateamur, non potest retineri. Quòd Democritus (inquit) aspectum emphasim ipsam, hoc est imaginis veluti apparitionem esse ait, non rectè sentit. Hoc enim contingit propterea quòd oculus leuis & planus est: nec in ipso oculo est, sed in alio oculum vidente. Relatione enim id efficitur. An etiam ex hypothesi tantum hæc disputatione contra Democritum est intelligenda? Nempe vt significet etiam si relatio radij aspectus à speculis admittenda sit: minimè tamen per eam explicari potuisse causam propter quam pupilla, in qua velut in speculo rerum obiectarum imagines apparent, vim videndi habeat. Quandoquidem hoc ipsi pupillæ accidit non quia videt, sed quia ab

LLL

alio ipsa videtur. Quæ omnia quoniam sic in partes contrarias cum aliqua probabilitate disputantur: media quædam ratio tenenda est, in qua partim recipiendo, partim emittendo, aspectum in nobis fieri dicamus. Eaque, vt mihi videtur, neque ab ipso Galeno neque à veterum Academicorum vel Peripateticorum sententia aliena. Nam vt à Galeno incipiam, hic emittendo nos videre sic confirmat libr. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis. Spiritum quendam, inquit, per meatus neruorum opticorum ad oculos transfuehi, cum fabrica ipsa docere te potest, tum hoc argumento percipies. Videbis enim si claudatur alter oculus, alterius pupillam dilatari: si aperiat, in naturalem suam magnitudinem redire. Neque illud dubium tam velocem exinanitionem & repletionem, non ab humore aliquo, sed à spiritali sola influente substantia effici. Nam quia vtrique hi meatus in vnum concurrunt (quod ex dissectione euidenter patet) verisimile est communem eum locum vbi vtrorumque coitio est, susceptum spiritum, dum alter oculus conuiet, ad alterum totum transmittere.

Cui rei id vel maximè attestatur quod in suffulis videmus. Quibus si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius apparet, indicat saluam adhuc inspiciendi facultatem esse: si nihil eiusmodi contingit, penitus interiisse. Oculum verò ex eiusdem doctrina splendoris aliquid in se recipere à lumine & à rebus obiectis, indicant quæ commemorat capit. 4. libro 10. de vsu partium, de Dionysio Sicilia tyranno: à quo qui ex densa caligine carceris, in clarissimam lucem educebantur, huius aspectu ocecabantur. Itémque de his qui cum per niuem iter faciunt, huius candore grauiter offenduntur.

Quæ certè contingere nullo modo possent, si oculus videndo emitteret tantum, nihil omnino reciperet. Idem videtur de Aristotelis sententia colligi posse ex capit. 2. libr. de Somniis. Simul, inquit, illud perfici licet, aspectum vt pati & accipere, sic etiam aliquid efficere. In speculis enim valde nitidis & splendidis si mulieres cum menstruas fluxiones patiuntur, speculum intueantur: in summo speculo quasi nebula quædam cruorem imitans, nascitur. Quòd si nouum sit speculum, non facilè ea macula detergitur: sin vetus, facilius.

Idque fit propterea quòd aspectus non solum ab aère afficitur, sed etiam aliquid facit & mouet: quemadmodum res illustres & magno splendore nitentes. Siquidem pupilla in iis rebus est quæ micant coloréque infectæ sunt. Apertius hoc ipsum declarat Priscianus Lydus capit. 15. Comment. in librum Theophrasti de Anima. Multa in visu, inquit, varietas accidit. Videtur enim extra prodire, propterea quòd circa sensibile agit. Quinetiam aliquid à re videnda suscipere: quia videlicet illinc aliquid patiat. Et amplius Marsilius

Ficinus in explicatione loci huius. Tres sunt, inquit, præcipuæ regulæ ab Iamblichio traditæ in omni sensu firmiter tenendæ. Prima, aliquid fieri à sensibili in instrumentum sensus, quod necesse est illinc quodammodo affici. Quæ affectio tum passio est ab externis illata, quia instrumentum hoc, est corpus. Tum actio in instrumento resultat: quia viuum. Eiusmodi quidem actio quodammodo rei sentiendæ fit similis. Secunda regula, post hanc affectionem instrumenti quoquomodo viuientis, fit species quædam admodum spiritalior in ipsa animalis vita, accomodatior iam ad sensum, etiam sensibili similis. Tertia, ad speciei huius præsentiam expergiscitur ratio quædam rei sentiendæ prius in anima latens: quæ experrecta congruit speciei & per hanc affectioni & per affectionem sensibili foris posito. Hæc quidem expergefactio atque congruitas, communiter est sentire. Neque verò ista omnia à Platonis sententia sunt aliena. Si quidem in Timæo indicat motum eum qui in sensu fit, constare emissionem quadam per spiritum in rem obiectam: deinde relatione per medium corpus ad animum. Diurnum lumen, inquit, se applicat visus radio. Tunc ea duo inter se similia & concurrentia atque commixta quo oculorum acies diriguntur, ibi in vnus domesticæ corporis speciem coherent, vbiunque videlicet tam intimi quàm externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem, passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit vel ipsum ab aliò tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne perque id ad animam vsque diffundens, sensum efficit qui visus vocatur.

Nec in eandem sententiam minùs apertum est quod eodem libro scribit de natura & varietate colorum. Est color, inquit, velut flammula quædam fulgôrque à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas. Causas verò ex quibus visus gignitur, supra tractauimus. Nunc de coloribus potissimum hoc pacto probabilia dicenda videntur. Quæ ab aliis delata partibus in aspectum cadunt, partim minora, partim maiora, partim visus ipsius partibus æqualia sunt. Æqualia quidem sentiri non possunt, quæ diaphana id est vtrinque perspicua nominantur. Minora verò aut maiora partim discernere, partim contrahere visum dicimus, instar eorum quæ acrimonia vel acuminè caliditateue linguam contrahunt vel discernunt. Atque ea quæ visum sic afficiunt, alba nigraue vocamus: quæ quidem passionem eorum sunt quæ modò narrabam, & illorum quidem germana eademque quodammodo, sed in genere alio, diuersa tamen propter has causas esse videntur. Sic vtiq; appellanda sunt ista. Quod visum disgregat, album: nigrum verò, quod congregat. Motionem profectò acutiorem alteriusque ge-





neris ignis, incidentem dispergentemque visum vsque ad oculos orbisque ipsos oculorum meatuque vi diuerberantem liquefacientemque ignem esse dicimus ex opposito obuiantem, cuius occursum lachryma, corpus ex igni & aqua mixtum effunditur. Et vno qui de igne velut è coruscatione quadam exiliente, altero verò penetrante, & ab humore extincto, varij creantur ex huiusmodi mixtione colores: atque ipsam passionem fulgorem coruscationemque vocamus: quòd re id facit, splendidam atque coruscum. Horum medium ignis genus ad oculorum humorem perueniens illique se miscens, minimèque quidem coruscum, sed ex ipsa ignei radij ad humorem admixtione sanguineum creantem colorem, rubeum nominauimus. Ex quibus manifestum esse videtur Platonem quoque voluisse de coloribus & corporibus coloratis aliquid ad oculum perferri in eoque, quando videmus, recipi. Quare constituendum esse videtur in oculorum sensu aliquid in animo recipi, nempe rei obiectæ speciem per quam de ipsa re iudicet: idque habere sensum hunc cum reliquis commune. Et ab eodem radios spiritus animalis salutem in oculos emitti, vt in his imaginem obiecti corporis excipiant. Vtrum verò etiam ab oculo per pupillam eosdem radios ad obiectum peruenire oporteat, an ad pupillam rei aspectabilis speciem beneficio externi luminis deferri, indeque ab interno spiritu lucido ad animam transmitti, hoc est, meo iudicio, in quo Plato & Aristoteles reuera dissentiant, nec facile conciliari se patiuntur. Cardanus libr. de animorum immortalitate pro Platonis opinione contra Aristotelem duo potissimum argumenta colligit: quòd si oculus patiendo solum videret, nulla, inquit, causa esset propter quam qui acutè propè vident, longius videre non possunt. Nam in patiendo quelibet virtus sufficit, modò instrumentum non sit corruptum. At quòd acutissimè prope videant, hoc arguit instrumentum quidem opportunum, verum spiritum exilem & imbecillum. Alterum petitum est ex perspicillorum (sic enim ille nominat id quod aliis specillum est) auxilio. Quod quidem tam euident, inquit, non possent apparere, si videremus radijs ad oculum delatis. Nam iam facti debiles, tam breui interuallo non possent fortiores effici: sed potiùs iuxta rem ipsam apponi deberent perspicilla, quippe quæ radium ex initio à re prodeuntem validiorem efficerent. Cum tamen contra eueniat. Nam proximi oculis validos suscipientes radios ob propinquitatem quadam ratione adaugent, vt virtus illorum diu possit perdurare. Quorum prius non incommodè fortasse explicabitur si intelligamus apud Aristotelem oculum similem esse speculo, rerum obiectarum imagines in se recipienti: hoc tamen

*Rationes
Cardani contra
Arist.*

ab illo differre, quòd in speculo nulla vis est animæ quæ speciem receptam ad aliud transmittat, tanquam ad iudicem, quam oculo inesse, & spiritu contineri antea dictum est. Itaque vt species corporum speculis obiectorum, ad certum vsque terminum diffunditur, intra quem omnia quæ existunt, ipso speculo representari possunt, non tamen ex æquo: sed prout in illo toto interuallo gradus sunt distincti, quæ verò illum terminum excedunt, in speculo non apparer: sic de oculo rerum obiectarum species in se recipiente dici potest. Præterea vt de speculis prout ex diuersa materia constant, variæque arte sunt composita, quædam per maius interuallum, alia per minus rerum species recipiunt, easque ad viuum representant: idem quoque de ipso oculo debet intelligi. Posterius autem de perspicillis nihilo plus ponderis habere viderur. Quoniam apud Aristotelem eodè modo dici potest species rerum aspectabilium quæ ad oculum feruntur, in illis colligi cõiunctisque præstare, vt meliùs videamus: quo apud Platonem radij manantes ex oculis, in eisdem vniuntur, atque videndi facilitatem præstant. Iam verò de illo spiritu quam naturam habeat: & si corporeus, per quas vias & quomodo deferatur, magna inter Medicos contentio est, de qua sic Galenus lib. 7. de Decretis Hippocr. & Plat. Vtrum perinde vt in cauis cerebri spiritus continetur, quo euacuato totum animal stupidum redditur: ita quoque in singulis nervis spiritum quendam esse existimandum sit: vtrum item spiritus is innatus insitumque maneat, atque illo qui à fonte promanat, tanquam nuncio quodam pulsatus excitetur: an insitus quidem minimè sit, sed illo tempore quo membrum mouere, aut parte aliqua corporis sentire volumus, de cerebro denuo influat, ego non possum absolute ita pronunciare. Sed in medium discutienda hæc proponantur. Quinetiam & illud, quomodo scilicet alteratio qualitatis in continuo corpore efficiatur: quam innuere videntur illi qui quandam sine substantia vim influere dicunt: à quibus qualitarum per alterationem in continua corpora, facultatis & virtutis influxus appellantur. Quæadmodum cum à Solis splendore in ambientem aërem profecta quædam qualitas in totum huius corpus, Solis substantia immota permanente, diffunditur. Non igitur fieri potest, vt absolute, sineque vlla probatione pronunciemus, vtrum è cerebro ita vis quædam per nervos influat ad membra, an spiritus substantia, vel vsque ad partes eas quæ sentiunt & mouentur, perueniat, vt vehementer illam immutationem in eos perducatur, quæ postea ad ipsius vsque quæ mouentur partes, diffundatur. De quo subtiliùs philosophatur Marsilius Ficinus Comment. in Sympol. Plat. Sicut cor mundi Sol, inquit, suo circuitu lumen, perque lumè virtutes suas ad inferiora demittit: sic cor-

*Spiritus in a
speculo quam
naturam ha
beat.*



poris nostri cor motu suo quodam perpetuò, proximum sibi sanguinem agitans, ex eo spiritus in totum corpus, perque illos luminum scintillas per membra diffundit quidem singula, sed per oculos maximè. Ad altissimas quippe corporis partes, spiritus maximè cum sit leuissimus, euolat: eiusque lumen per oculos cum ipsi perspicui sint, atque omnium partium nitidissimi, vberius emicat. Quare etiam nonnulli fascinandi vim ipsis oculis inesse crediderunt. Influat quidem spiritus hic ab animæ sede ad omnes animales actiones motus & sensus, est necesse, idque per nervos, præsertim si hac in parte Galeno credimus: sed copiosior influit ad aspectum, quàm ad reliquos sensus. Ideoque idem Galenus obseruat lib. 7. de Decretis Hippocr. & Platon. non omnibus nervis manifestam cavitatem esse datam, sed opticis tantum. Quanquam de hoc non satis definitam videtur habere sententiam. Nam eodem libro primùm scribit omnium neruorum naturam triplici substantia constare, media quadam & intima, arborum medullæ simillima, per quam è cerebro haud dubiè ortū habentem, spiritum deferri vult: exterioribus præterea duabus, prima quidem quam è tenui membrana, altera quam è crassa & dura exoriri compertum est. Deinde verò cum incidit in comparationem aspectus cum reliquis sensibus, in ambiguo hæere videtur. Quid igitur, inquit, nunquid sicut per nervos visuos spiritus hic transmeat, ita in reliquis omnibus fieri sentiendum est? An id in tenuissimis neruorum fibris concedi non potest? Necesse enim erit meaturui illi circumiectum quoddam nerui, vel aranearū telis tenuius corpus excogitemus, adeò vt & ipsum quàm facillimè discerpi, & meatus in singulis, penè dixerim, momentis obturari queat. His de causis ego non omnibus meatus esse dados crediderim. Sed diceret fortasse quispiam, si datur vt vnus omnino neruus sine vlllo foramine, facultates inferioribus membris ab origine traducat, dabitur etiam vt omnes. Quid igitur dicendum? cum in exortu spinalis medullæ adeò sensui patens meatus, sicut etiã in visoriis neruis existat? Quid aliud, nisi ideò factum esse, quoniã imbecilla cum sit virtutum facultatumque traductio ad continua, præcipuè cum vel maiora paulò fuerint, vel duriora, vel vehementiori aliqua alteratione indigeant, si subtilioris substantiæ quodatenus cum violentia & ictu immisio fieret, augeri alteratio ita posse videbatur. Dictum enim est, eam quæ à plerisque virtutis facultatisque diffusio nūcupatur, alterationis esse traductionem. Atque hæc quidem de duabus propositis quæstionibus satis multa dicta sunt.

2 Sensus oculorum, quia maximè diuinus est, hac qualitate vt maximè diuina indiget, ad exercendam functionem suam, sicut ait Pri-

Substantia
neruorum o-
pticorū qua-
lū.

scianus Lydus cap. 14. Comment. in lib. Theophrasti de Anima. Est verò ipsum lumen quodammodo in eo à quo manat, vt in Sole, & in medio, vt in aëre vel aqua, atque etiam in obiecto, vt in colore, ratione quidem diuersa: sed ea tamen quæ ad communem vnum finem, nempe ad huius sensus functionem refertur. Quanquam in Sole magis propriè Lux quàm lumen appellatur: in quo affectio est vel proprietas essentiæ, in eo ipso cui inest, per se aspectabilis eadè que luminis causa: lumen verò quasi lucis species vel representatio: quæ in medio est, & in obiecto corpore colorato, vt causa cuius vi per media quæ interminata sunt corpora, reipsa videre possumus colores qui obiectis corporibus terminatis insunt. Sine eo verò neque oculus videre, neque color per medium aërem, vel aquam videri vlllo modo potest. Sed hoc aliquando manat à vidente (sicut antea dictum est de his animalibus quæ noctu in tenebris vident) aliquando ab eo quod videtur: frequentius autem à quarto quodam corpore, secundum naturam vel in se lucente, sua verò præsentia, vel substantiæ suæ radiis medium, quod Diaphanum, siue perlucidum appellant, illustrante. Quare actus & perfectio tam medij huius interminati, quàm coloris in corpore terminato, lumen esse dicitur. Sic enim hoc vt cum medio interminato comparatur, Aristoteles definiuit cap. 7. lib. 2. de Anima. Lumen, inquit, actus est & perfectio rei perlucidæ, qua ex parte perlucida est. Nam perlucida ex vi, modo & facultate sunt: in quibus modò ipsum lumen, modò tenebræ inesse conspiciuntur. Lumen autem quasi color est naturæ translucidæ, cum eam ignis reipsa talem fecit, aut aliquid eiusdem generis. Id quod naturis cælestibus contingit: in quibus aliquid vnum atque idè inest. Vt verò refertur ad corpora colorata, quæ terminata sunt, ab eodem cap. 5. lib. 3. de Anima, dicitur facere, vt colores qui esse poterant, reipsa sint. Non quòd omnino color non sit nisi præsentè lumine (quanquam ea quorundam fuit sententia, ex qua dictum à Poëta,

- rebus nax abstulit atra colorem.) Sed quia hic reipsa videri non potest, nisi beneficio luminis. Esse autem hoc in medio aëre vel aqua suapte natura incorporeum, idem Aristoteles confirmat cap. 7. lib. 2. de Anima. Quid sit translucidum, inquit, quid lumen ita diximus, vt nec ignis huius natura esse intelligatur, nec omnino corpus, nec vllius corporis fluxio (sic enim etiam quoddam corpus esset) sed ignis, aut alicuius corporis eiusdem generis, præsentia in re perlucida. Quare neque motus luminis alius est, quàm eius corporis ex cuius præsentia enascitur: neque quavis ratione dici potest, totum medium temporis puncto lumine illustrari. Nam quoniam circum terram Sol in temporis puncto non mouetur, sed eius conuersio diutur-

nitare aliqua indiget: neque certe lumen Solis in temporis puncto totius terræ ambitum illustrat. Quis enim dixerit illud simul diffundi in eam terræ partem quam incolimus, & in alteram quæ nobis est aduersa? Sed ille supra nos, vbi suo motu excitatus est, certe eodem temporis puncto, atque omnino indistincto nos illustrat, & partem aëris supra nos cælo viciniorem. In quo magna apparet inter ipsum lumen, & cæteras corporeas qualitates in agendo dissimilitudo. Nam si ab igne per medium aërem calor ad nos deferatur, affici primum oportebit partem aëris igni proximam: neque calor ad nos perueniet, nisi intermedia aëris partes omnes continuato motu ab illo afficiantur. At luminis ratio est alia, ideoque cum rerum aspectabilium imagines ab illo excitantur, & ad oculum (si cum Peripateticis recipiendo videmus) per medium aërem vel aquam deferuntur: nihil est necesse illas gradatim medium percurrere. Ex quo aliud quoque accidit quod huic sensui est proprium, nempe vt obiecta quæ maxima inæqualitate ab oculo distant, eodem momento, si volumus, facile videamus: non item simul audite incipiamus sonos eos qui eodem tempore excitati sunt de corporibus, quæ inæquali interuallo ab auribus sunt seiuncta. Quod ad disputationem de modo videndi contra Aristotelem traducit Plotinus cap. 3. lib. de Visione. Magnum argumentum est, inquit, non propterea cerni sensibilem formas, quia iam aër illorum species per continuatam translationem patiendi suscepit: quod subobscura nocte ignis & sydera horumque formæ cernuntur. Neque afferet quisquam in aëre tenebroso impressas species sic ad oculum vsque continuari: alioqui non essent tenebræ, vbi ignis illuminando suam speciem traderet. Quando etiam sub profundis tenebris occultentibus stellas & ignem, horumque lumen prorsus impediens, interim ex specula facibusque prospicitur ignis, atque ex turribus quæ signa nauibus exhibent. Ex quibus idem concludit cap. 4. si natura pati posset medium inter oculum & rem obiectam, corporis omnino expers esse, soloque lumine hoc illustrari, tum futurum vt acutiùs multò cerneremus. Quoniam aspectus solo lumine indiget: hoc verò corporibus quibus accidit, vt inter oculum & rem obiectam interponantur (cuiusmodi sunt aër & aqua) impediri videtur potius quam adiuuari. Idque Plotinus ex Democriti sententia, quam Aristoteles sic exagitat cap. 7. libr. 2. de Anima. Color naturam pellucidam, inquit, vt aëra mouet: à qua cum continuatur, sensus sedes mouetur. Neque enim præclare hoc Democritus censuit, si inanis esset, & vacaret corporibus locus inter nos & cælum interiectus, cerni posse etiam formicam quæ esset in cælo: hoc enim fieri non potest. Aspectus enim tū denique efficitur, cum oculos res quæpiā mouet atque impel-

pellit: quod cum ab ipso colore qui cernitur, fieri non possit, relinquitur, vt ab eo spatio afficiatur, quod est interiectum. Ex quo perspicuum oportere aliquid in medio esse locatum. Quod si inane sit, non dico acriter, sed nullo modo quicquam cerni possit. Quod verò sequitur de sensu atque cōiunctione luminis ex oculo manantis cū externo, pertinet ad intelligendum quod antea diximus, de tertia ignis specie lucet tantum, non etiā adurente, quodque monuimus pro Platone opponi posse, ei quod Arist. disputat lib. de Sensu, futurum, vt si ex oculis radij ignei in aëre frigidum, aut in aquam incidant, in his à cōtrariis extincti non videant. Sed mirabitur fortasse quis, quod Alcinoi adiicit de necessario concursu duorum luminum ad videndi actum, cum Platonici disputent luminum permixtionem aut confusionem omnino nullam esse, ex eoque huius qualitatis excellentiam colligant. De qua sic Marsilius Ficinus in lib. Plotini de Visione. Lumen non fit, inquit, propria diaphani qualitate, quia neque suscipitur paulatim, neque etiam retinetur: neque simul cum hoc inficitur, vel mouetur: neque confunditur inter se lumina, neque cū cæteris commiscuntur. Non confundi apparet ex eo, quod si tribus luminibus corpus vnicum opponatur, tres in oppositum vmbra resultant: quoniam ibidem tria lumina sunt distincta. Præterea si tribus candelis opponatur ingens tabula, in cuius medio sit foramen, tria lumina in oppositum inde reflunt, aliud quidem in rectum, alia duo è trāuerso se inuicem interfecant, non cōfusa. Qualis igitur hæc erit apud Alcinoi duorum luminum coniunctio? vt scilicet quauis eorum species omnino distinctæ permaneant, concurrant tamen in vnam cōmunem actionem, eam scilicet qua imago de obiecto excitatur, & per mediū ad ipsum oculū defertur. Quod neque lumen medij per se, neque solus radius aspectus, vt Plato ipse arbitrat, potest perficere. Quare coniunctis, vel etiam vnitis quodammodo virtutibus opus est: per quas lumen medij excitat de obiecto speciem aspectabilem, & radius aspectus de medio hanc amplectitur, atque ad oculum perfert. Sic enim antea obseruauimus etiam in Platonis sententia videre, nos partim emitendo, partim recipiendo.

3 Ideo noctu quam interdiu, & in tenebris potius quam media luce, solemus esse ad somnum propensiores: quod etiam Arist. obseruat Probl. 7. Sect. 6. Quam enim somnus affectio sit, quæ (vt hic docet lib. de Somno) in interiorē, siue communem sensum primò cadit, deinde in externos: tamē quia media luce sensus externi habent præsentia multa obiecta, quibus ad suam actionem inuitantur, interno quiescere omnino non est facile. Adde quod noctes diebus frigidiores esse solent & humidiores: his autē qualitatibus somnus cōciliatur. Priorem rationem idē Aristot. sic explicat Probl. 15. Sect. 33. Quinetiam, inquit, cur dormiamus hæc eadē ratio. Cum enim vigilia motus sit, qui mēbra sentiendi officio accommodata, magis cum vigiliamus, exercet: constat somnum posse accidere cum eadē illa mēbra quiescunt. Cum verò vis ignea sit quæ membra corporis nostri mouere potest, &



hæc intus se contrahat, circumstet in somnis, caput relinquens, quod sensus omnes continet: tunc maxime sensuum sedes quiescere possunt. Quæ quidem res causam affert dormiendi. Sed in sententia quam Alcinous hoc loco Platoni ascribit, id dubitationem aliquam habet: quod cum ex oculis fluentes radij non modo lucidi sint, sed etiam calidi, (hoc enim Plato facile concederet: etiam si eos neger adurere) illis ad cerebrum noctu collectis, & in interiora receptis, hoc magis videbitur incallescere. Quoniam solet esse maior vis cuiusque qualitatis in agendo unita, quam eiusdem diuisa: eaque ratione ventres hyeme natura calidiores ab Hippocrate esse dicuntur in Aphorismis. Quomodo igitur noctu quam interdum maior erit ad somnum propensio, si ut Galenus arbitratur, naturalis somnus est à refrigeratione spirituum animalium in cerebro? An istiusmodi refrigeratio non tam in interioris sensus sede est intelligenda, quam in viis per quas spiritus ab illa influens se externis sensibus communicat? Has autem ille primum deserit in somno, nonnunquam adhuc vigentibus his, quæ ad interiorum sensum pertinent. Quamquam verò Aristoteles sedem primi sensus in corde ponens, non possit fortasse de causis naturalis somni dicere omnino vera: at certe ea dicit quæ maxime inter se consentanea. Siquidem vult libro de Somno & Vigilia, vaporem eum qui refrigeratus somnum parit, de cibo qui in ventriculo coquitur, ad cerebrum excitari, sed non prius somnum facere quam Euripi more, ut ait, vltro citroque commearit, & in illo refrigeratus suo pondere ad cor, ut caloris fontem, descenderit, descendendoque à superis partibus calorem reuocauerit. Quod cum acciderit, tum has spiritu (in eo enim est caloris substantia) quo sustinebantur, desinitas, suo pondere premi: ut quæ animalia somni cupiditate tentantur, ea nec caput erigere possint, nec palpebras attollere. Hæcque eodem loco ille illustrat tam populari similitudine ex pluuia causis repetita, ut vix vlla Physiologia parte dixisse videatur magis consentanea suæ sententiæ de animæ substantia vna, huiusque sede in corde. Er tamen in quæst. de Somno, Gal. lib. 4. de caus. Sympt. negat hunc, non solum consentanea, sed etiam probabilia dicere potuisse. Quamquam Aristoteles, inquit ille, ad ratiocinandum sit vehementissimus, & ad disputationem quocumque velit probabiliter perducendam maxime potens, tamen cur capite repleto primus sensus, si is, sicuti ipse existimat, in corde sedem habet, quiescat, nihil probabile potuit reperire.

4 De somno & insomniis in hoc contingentibus, sic Plato in Timæo. Si profundus ob multam quietem motuum, nos occupet sopor, exigua sequuntur insomnia. Sin vehementiores aliqui motus quasi vigiliarum reliquæ, relicti sint, quales quidem & qualibus ex locis haustæ reliquæ sunt, talia somniorum simulachra nascuntur, eorumque nobis expergefactis restat memoria. Quam sententiam pluribus explicat Aristoteles, cap. 3. libr. de somniis. Ex quibus illud perspicui licet, inquit, non solum vigilantibus motus eos, qui ab iis sensibus, qui extrinsecus obiecta sentiunt, quique in externis corporis partibus insunt, gignantur, incidere, sed etiam tum cum affectio illa, quam somniū vocamus, existit, imò vtrò tum maxime se offerre. Interdum enim cum sensus intenti sunt & occupati vna cum mente, expelluntur obruanturque, ut paruus ignis à magno, & à magnis parui dolores ac voluptates. Cum autem nihil agunt & quiescunt, tum exigua videntur. Noctu verò quia otiosi sunt illi sensus, qui per singulas corporis partes sunt dispersi, nec ipsi quicquam agere possunt, quod calor ex summis membris in intimas se regerit, ad sensus fontem & principium delabuntur, tumque euidentiores fiunt, omni perturbatione sedata. Sic autem quemque motum in animo gigni continenter existimare debemus, ut vertigines illæ quæ per summa a-

quarum currere solent: quæ sæpe sui similes permanent, interdum ab aqua cursum alium accipiente mutantur. Itaque post cibum & admodum pueris, ut infantibus, somnia non incidunt: quia multa sit tum agitatio vehementisque motus, propter eum calorem quem cibus gignit. Quocirca quemadmodum aquam aut alium humorem si quis vehementer bacillo commoueat, interdum nullum simulachrum videtur, interdum videtur quidem, sed omnino inflexum & deforme, ut aliud atque aliud esse videatur, sedata autem & tranquilla aqua, purum & illustre videtur: sic in somno visa & motuum reliquæ quæ à sensibus eueniunt, nonnunquam à maiore quodam motu quem dixi, omnino obruantur, interdum verò turbulenta quædam visa & prodigiosa & ingrata somnia videntur, ut furentibus, febre laborantibus & ebriis. Hæc enim perturbationes cum spiritus plena sint, magnum & motum & tumultum afferunt. Cum verò tranquillus est & secretus sanguis in iis animantibus quæ sanguinem habent, motiones sensorum, quæ integræ seruaturæ sunt à quoquâ sensuum, quæta & sedata somnia ita efficiunt, ut aliquid nobis appareat, videamurque ab iis quidem quæ aspectu delabuntur, videre, ex iis autem quæ ab auditu, audire. Quod fit etiam in ceteris sensibus eodem modo. Quod vero Plato superiore loco scripsit vigiliarum reliquias quales & quibus ex locis haustæ sunt, talia somniorum simulachra parere, non solum ex eo intelligendum est quod Cicero ait in Somnio Scipionis, se te contingere, ut cogitationes sermonesque nostri, pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sapientissime vigilans solebat cogitare & loqui: sed de eo potius quod in somniorum varietate naturalis quandam significationem habemus, vel antecedentis perturbationis, vel cibi atque porus, vel humoris in nobis dominantis. Quæ omnia pro varietate temporum, in quæ nox est diuisa, ita distinguit Cardanus cap. 44. lib. 8. de rerum varietate. Aut enim somnia, inquit, initio noctis & cum sanitate contingunt, mutanturque pro mutatione ciborum, & tunc à cibis proueniunt. Bonum igitur est in his perseverare, quæ iucunda pariunt somnia & absque perturbationibus, ab iis autem abstinere, quæ tristia & terribilia, & cum grauitate ac impedimento. Si verò iuxta mediam noctem & cum perturbatione, perseverantque diu, nec tamen eiusdem sunt argumenti, tunc humores significant. Si igitur iucunda sunt & cum leuitate, non oportet mutare corpus: si cum timore, tristitia & grauitate, cibum minuere nutriente, purgare corpus. Si verò iuxta diluculum, longa, clara, nec tum diu perseverant, sed vel vna vel altera die, à cæli imaginibus fiunt imminentiæque portendunt. Atque hæc postrema ut veritatis significationem habeant, hominē decet esse ab animi perturbationibus vacuum, bona mente, tum verò cibo mediocri, ac simplici utentem, in veritatis cognitione intentum, nullo animi affectu superatum. De altera verò interpretatione somniorum ab humoribus, qui in nostris corporibus abundant, manantium, sic Gal. lib. de præfagiis sumendis ex insomniis. Si quis incendium per somnum videat, inquit, eum quidem staua bile infestari significatur. Si verò fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, atra bile grauatur: rursus si imbres somniat, ex eo frigidam abundare humiditatem in tali corpore intelligitur: sicut qui niuem, qui glaciem, qui grandinam, hic phlegmatis humidi plenus est. Si quid etiã diuinitatis inest postremo somniorum generi, quod extrinsecus ut à Deo, vel ab ipso cælo, celestibusque virtutibus immittatur, id quamquam etiã vigilantibus possit apparere, in dormientibus tamē efficacius esse solet. Quia interior animus in iis abstractior est à sensibus, ideoque paratior ad recipiendas imagines, quæ influunt, vel ab intelligētibus, vel à corporibus celestibus. In vigilantibus autem, quia animus agitur impressionibus rerum sensuū, illas cælestes non facile excipit.



Ex quo etiã accidit, vt plus diuinitatis inesse credatur iis somniis, in quibus visa non respondent rerum antea sensu perceptarum imaginibus, aut humoribus in corpore dominantibus. Quoniam horum causæ magis naturales esse videntur. De quibus si placet Theologos nostros audire, nobilis locus est apud Greg. Nyssenum cap. 14. lib. de Hominis creatione. Quemadmodum circa ignem, inquit, hæc fieri naturale est, vt cum paleis vndique tegitur, nullòque spiraculo suscitatur, nec circumfusa depascatur, nec penitus extinguatur, sed pro flamma quidem fumus exurgat: quòd si paululum commotus fuerit, illico fumus excitatur in flammam: similiter & mens ocio sensuum, tempore soporis oblecta, nec elucere per eos potest, nec profus intercipi, sed instar fumi videtur operari, in aliquo quidem egens, in aliquo verò præualens. Et sicut quispiam Musicus resolutis lyra nexibus, si plectrum cordis iniiciat, non ei modulatio competenter occurrit, (nec enim exterrum quod non est, aptè resonabit) sed plerumque manus artificiosè mouetur, ducens plectrum ad locales positiones accentuum, sonus autem non efficitur, nisi inordinatus ex modo cordarum: ita per somnum naturalibus sensuum mēbris resolutis, aut omnino quiescit artifex animus, si corpus nimia plenitudine prægruetur, aut certè languidius & obscurius operabitur, cum hoc organū sensuale diligentius arte nequit excipere. Quapropter in somnis memoria quidē confusa, præscientia verò quibusdā velaminibus obruta, præter votum ac studiū, quasdā speculatur imagines, & aliquid eorum nonnunquã, quæ sunt verura prænuñciat. Nã per subtilitatē naturæ plus aliquid habet, quam corporis crassitudo ad contēplanda ea quæ videntur accedere, sed non potest recto ordine futura referre: quia nec perspicua & manifesta doctrina proponitur eorū, quæ in somniis digesta cernuntur. Sed quicquid illud est, ambigua futuri sit denunciatio, quod anigma vocant, qui videntur ista discere, quod scilicet aliud ostentet in verbis, aliud in intellectibus asserat. Sic pincerna Pharaonis botrum præmit in patera, sic panes in camino ferre pistor imaginatur, vterque enim iuxta studium quod exercuit, se in somnis esse peruidet. Quòd autē Daniel & Ioseph, eorūque consimiles diuina virtute, nullis turbatis sensibus ad futurorū informantur scientiam, nihil hoc ad præsentem pertinet questionem: quia non hæc quisque sapiens somniorum generibus imputare debet, alioquin & illas visiones quæ diuinitus vigilantibus accidunt, non superna visitatione, sed naturæ consequentia sponte sua id operante, putabit posse contingere. Sicut ergo cunctis hominibus iuxta suum sese moderantibus animum, quidam sunt qui diuina illustrari confabulatione mereantur, ita communiter secundam naturam, nobis ac similiter somniorum phantasias accidentibus, nonnulli per soporem diuinæ cuiusdam reuelationis participes existunt. Si verò Aegyptius ille vel Assyrius tyrannus ad scientiam futurorum per somnia diuinitus instruatur, aliud quiddam est, quod per eos miranda dispensatione peragitur.

§ De speculis horūque varietate in representandis rerū obiectarū formis, sic Platō in Tim. Simulachrorū, quæ vel in speculis oboriuntur, vel in perspicua leuique superficie cernuntur, facilis assecutio est. Nam ex vtriusque ignis tam intimi, quam extrā positi, communionē eiusque concursu & congruentia, qui passim terfo leuique corpori accommodatus est, necessariò hæc omnia oriuntur: eum ignis oculorum, cū eo igne qui est è conspectu effusus, circa leue nitidūque corpus se confundit. Dextera verò videatur quæ leua sunt: quia contrariis partibus oculorum insolito more contrarias partes attingimus. Respondent autem dextra dextris, leua leuis, quando commixtum lumen cum eo, cui permisceatur, transillit. Id eum speculorum leuitas hinc illincque altitudinē assumpsit, & ita dextram

oculorum partem in leuam speculi, leuamque in dextram detorsit. Quòd si speculum ad vultus longitudo sinem conuertatur, vultum reddit resupinum: cū superior luminis pars ad inferiora, inferior verò ad superiora vertitur. In quibus hoc iã pro raro Plato usurpat, quod ex illo antea posuimus, videre nos per emissionem radij aspectus in rem obiectam: ex eoque docet accidere, vt radius eiusmodi pro varietate eorum, quibus excipitur, variè etiam afficiatur. Siquidem hic per ea corpora quæ interminata sunt (talia verò sunt quæ diaphana nominantur) penetrat: sed non per omnia pari facilitate. In terminatis autem se habet duobus modis. Nam si aspera sunt & inæquabilia, vt saxa, lateres, & similia, sistitur quidem, sed propter inæqualitatem dissipatur. Si autem omni ex parte æquabilia sunt & tersa, propter horum duritiem cum opacitate & densitate coniunctam, sistitur in superficie: ac propter æqualitatem & leuitatem seruat. Sed quia in hac æqualitate non potest consistere, ad oculū reflectitur: eoque fit vt in tali corpore speculi rationem habeante, nos videre videamur. Quamquã non omnes hanc rationem eorū quæ in speculis apparent, admittunt: sed vt ait Seneca cap. 5. lib. 1. naturalium Quæstionū, omnino de illis duæ opiniones sunt. Alij enim in iis simulachra cerni putant, id est corporū nostrorum figuras à nostris corporibus per ærem sparsas & in illis exceptas. Alij cū Platone aiunt nullas reuera imagines in speculo esse, quemadmodū neq; in iride colores, sed ipsa aspici corpora, oculorū acie retorta & in se rursus reflexa. Quam sententiam sequitur Alexander problemate 129. lib. 1. Quam ob causam, inquit, in speculis & aquis dilucidis nostrā speciem conspiciere valemus? Quoniam oculorum radij profecti in corpora quæ nobis splendida obiecta sunt, refranguntur ac suam repetunt sedem. Speciem enim nostrā iam habent obiectam, postquã refracti sunt: itaq; illam cōspiciunt. At, inquit aliquis, quo modò reflectitur radius, si corpus non est? Reflexio enim affectio corporis est, aut dimensionis, quæ non est nisi in corpore. An ær qui radium excipit reflectitur: secumq; radium à speculo ad oculum refert? Ipse certè radius est qui reflectitur à speculo: quoniam hic, non ær, in speculū ad oculum ferri dicitur. Per rationis autem similitudinem reflecti dicitur, quemadmodum & moneri, cū ab oculo in obiectum fluit: non aliter quã radij qui à Sole in terram manant. Ex quo accidit vt quo ille imbecillior est, eo facilius ab obiectis quæ minus resistunt aut etiã suapte natura interminata sunt, reflectatur. Quòd in quodā ab Arist. confirmatum est cap. 4. lib. 3. Meteor. Cui iter facienti, quia aspectū imbecillioem habebat, imago quæ aduersum intuebatur, præire videbatur: idq; accidebat quòd aspectus in eū referretur. Sic enim, inquit, Arist. imbecillis & omnino tenuis præ infirmitate erat, vt ei speculi locū etiam ær proximus, sicut is qui remotus & crassus erat, præberet, nec repelli posset. Quòd verò attinet ad locū alterum de variis speculorū imaginibus, in eo artus vis maximè est admittāda. Quædā enim corporis obiecti magnitudinem exactè æquare videntur, nonnulla maiorem referre quàm reuera sit, alia maiorem. Quædam etiam reuera corporis figurā representant, alia inuersam. In plerisque magna oris distortio apparet, in aliis verò nulla. Cuius varietatis causam ex Platone referre licet primū ad ipsius speculi figuram, deinde ad eiusdem situm & oculi iuentis, morum. Aliter enim res representantur in speculo plano, scilicet ferè sub imagine pari eademq; recta: aliter in concauo, plerumq; maiores & inuersæ: in conuexo verò & quasi tumente, ferè minores. In situ autem quamquã non sit facile in plerisque speculis partem superiorem ab inferiore discernere, quædam tamen intueri licet quæ modò elegantè imaginem representant, eadè verò si postea paululum inuertantur, figurā aliam referent, vel ipso aspectu horrendā.



Sed horū omnium potissima causa est in varietate eorū, ex quibus illa componūtur, & in certo cōpositionis modo. De quo sic Agrippa ca. 6. lib. 1. de Occulta Philosophia, Speculorū quorundā artificio, inquit, quas volumus imagines in aëre etiam remotæ, extra specula producantur. Quæ tunc imperiti homines videtes, dæmonum aut animarum vmbra se videre putant: cū tamen non sint, nisi simula chra quædam sibi ipsis cognata ac vitæ omnis expertia. Eadem cōpositione hoc etiam ars assequitur, vt quædam decrepitos senes sine vllis rugis quasi ætate adhuc florentes representent: alia cōtra iuuenum faciē rugosiorē. De qua re inter recētiore scriptores Io. Baptista Portanus, multa collegit lib. 4. Magiæ naturalis. 6. Cur sonorū differentia auditu percepta, nō modò ex Platone, sed etiā ex Timæo Locrō lib. de Anima mūdi & natura, vsq; ad iecur deferri hoc loco dicūt? An quod in eo sedes sit animæ sentientis? Foxius cōmentario in Timæo Platonis hoc approbare videtur quod ex iis quæ ex Platone commemorata sunt capite superiore, veri speciem quandam habet. At verò hoc minimè concedet, qui ex eodem Platone in Timæo & 4. de Rep. recordabitur, in iecore eā tantū animæ partem habitare, qua concupiscimus quæ ad cibum, potum & res veneras pertinent. An igitur significat sonorum suauitatem, quæ auribus percipitur, afficere in vtrāque partem non solum ea quæ rationalis sunt facultatis & irascibilis, sed extendi vsque ad iecur, id est, magnam vim etiam habere ad excitandas vel reprimendas naturales cupiditates, quarum sedes est in illa corporis parte? Hoc enim idem Plato probare videtur cū agit de vtilitate duorum primorum sensuum. Nobis, inquit, asserendum est ob hanc potissimum rationem, deum oculos genuisse, vt mentis circuitus qui in celo peraguntur intuiti, in vsum redigamus nostræ mentis, cogitationisq; nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem reuocemus, & cū illos agnouerimus, & recta ratione secundū naturam præditi singulorum ordinem perceperimus, conuersiones Dei quæ sine errore aguntur, imitemur: atque ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis vagas & erraticas componamus. Vocem quoque auditūque eiusdem rei gratia Deos nobis dedisse existimo. Nam ad hæc ipsa, sermo pertinet plurimūque conducit, omnisque musicæ vocis vsus harmoniæ gratia est tributus. Atqui & harmonia, quæ motiones habet discursionibus animæ nostræ congruas atque cognatas, homini prudenter musicis vtenti, non ad voluptatem rationis expertem, vt nunc videtur, est vtilis sed à musicis ideo data est, vt per eam dissonantem, circuitum animæ componamus & ad concentum sibi congruum redigamus. Rhythmus quoque ad hoc videtur esse tributus, vt habitum in nobis immoderatum gratiæque carentem, aptissimè temperemus. Quod Cicero secutus videtur lib. 2. de Legibus. Assentior magistro Platoni, inquit, nihil tam facilè in animos teneros ac molles infundere, quam varios canendi sonos. Quorum dici vix potest, quanta sit vis in vtrāque partem. Namque & incitat languentes & languere facit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Atque fortasse eodem modo accipiendum est quod de duabus primis odorū differentiis ille scribit in Timæo. Duæ, inquit, in his varietates absque nomine sunt, suauis scilicet & molestum. Hoc quidem disturbat violatque omnem eam capacitatem, quæ à summo capitis vertice ad vmbilicum protenditur: illud verò eandem mulcet & amico quodam ingressu naturalem eius ambitum seruat. Amplius etiam poetæ dixerunt suauitate sonorum vsque ad res inanimatas pertingere, hæcque occulto quodammodo afficere. Ex quo dictus Amphion saxa mouere sono restudinis. Quod autem in auditu hoc loco ab Alcino dicitur de sono, qui per cerebrum & sanguinem ad animum transfunditur,

ditur, & in odoratu, de odore per narium venulas ad ea quæ circa vmbilicum sunt defluente, id ita accipiendum est, vt ex veterum consuetudine arterias venas appellet & sanguinem eum intelligat, cum quo in illis spiritus est coniunctus. Quamquam enim apud Galenum spiritus in arteriis vitalis sit, in nervis animalis, hicque posterior solus pro primo sentiendi instrumento: tamen non sine aliqua ratione Plato voluisse videtur, spiritum hunc animalelem à corde per arterias cum tenuissimo sanguine, eoque feruescente, ad cerebrum elatum & huius frigore temperatiorem factum, rursus in omnes corporis partes per easdem vias refluere, & adiuantibus nervis motum & sensum corpori dare. Vt his non dicatur inesse prima vis efficiendi motum & sensum, sine his tamen illa consistere non possit. Nam in sententia Galeni duo sunt, quibus non facilè se potest explicare: nempe quo modò per neruos natura sua manifesteque solidos (si modo opticos exceperis qui nonnihil videntur habere, concauitatis ratione mediæ substantiæ mollioris) spiritus corporeus & cerebri frigore fortasse concretior factus, tanta celeritate ad motum & sensum feratur: & qua ratione ex arteriis ad cerebrum ascendentibus, plexu retiformi exceptus, à sanguine cum quo erat in illis permixtus, separetur: & per quas vias ab eiusmodi plexu, cū origine neruorum de cerebro descendentiū, communicetur. De quo nos pluribus aliquando differemus commentario in posteriorem partem nostræ descriptionis physica.

7 De odoris natura, deque odoratus imbecillitate in nobis, sic Plato in Timæo. Circa narium vim, inquit, species non sunt. Semigenia enim odorū natura: Speciei verò nulli competit odorem habere: sed nostræ circa hæc venæ ad terræ & aquæ genera angustiores sunt, ad ignis verò aerisque genera, latiores. Quocirca nemo vnquam istorum aliquem sensit odorem: sed in madefactione quorundam, vel putredine, vel liquefactione, vel euaporatione gignuntur odores. Cū enim in aërem aqua, vel aër in aquam transit, in medio istorum odores fiunt: omnisque odor aut fumus est, aut caligo. Sed horum quod ex aëre mutatur in aquam, caligo: quod ex aqua in aërem, fumus. De huius sensus imbecillitate in nobis, idem scribit Aristo. cap. 9. lib. 2. de Anima. De odore, inquit, eaque re quæ odoratum mouet, differere difficilior est quàm de superioribus. Neque enim perinde perspicuum quid sit odor, vt quid sonus, quid lumen, quid color. Idque eo fit quòd non inest in nobis acer hic sensus: sed eo à multis animantibus vincimur. Remissè enim homo olfacit, nec quicquam eorum, quæ odorem effiant, percipit sine dolore aut voluptate: quòd non sit in eo subtilis hic sensus. Imbecillitatis autem causa ex eodem hæc reddi potest. Quod cū homo cerebri copia vincat reliqua animantia (præsertim si hæc ex totius corporis comparatione spectetur, sicut Aristo. docet cap. 7. lib. 2. de partibus animalium, & cap. 5. lib. de Sensu) cūque cerebrum omni quidem animali sua temperatione frigidum sit & humidum, sed in homine præsertim, sicut excrementorū frequentia & copia in hoc arguit: ei adiacens, vel etiam in illo situm odoratus instrumentum, quod moderatè calidum & siccum esse debet, tali constitutione larditur, & ad percipiendas odorū differentias, ineptius redditur. Ex quo contingit quod alio loco obseruauimus, vt quibus hominibus cerebri temperies paulò calidior est & siccior, hi sensus huius præstantia reliquos vincant, iidemque ferè minus acutè cernant & reliquis sint ingeniosiores. Quòd talis cerebri constitutio, rerum imagines vi caloris celerrimè excipiat & eadem ratione siccitatis, constantissimè retineat: calor autem & siccitas oculis natura aqueis aduersentur. Cū verò præstantia sensuum in duobus sit posita, vel in eo quòd perma-



ius interuallum res obiectas percipiant, vel quod perfectius subtiliusque per vñ & idem medium rerum differentias discernant: priore modo homo ab aliis per multis animalibus in odoratu vincitur, posteriore eisdem superior est, vt colligi potest ex cap. 2. lib. 5. de Animalium ortu, & ex eo quod idem docet cap. 5. lib. de sensu, homini esse proprium vt recreetur odoribus, qui per se ac vi sua voluntate afficiunt: quales sunt qui effantur è floribus, quique ab alimentis sunt separati. De odoris verò natura idem Aristot. contra Platonem ita disputat eodem loco, omnes, inquit, cum de odore dicunt, ita sentiunt, vt alij vaporem, alij expirationem, quidam vtrumque esse ponant, quorum vapor humor quidam est: expirationis fumi speciem gerens, aëris & terræ communis est: & ex illo aqua conglobatur & cogitur, ex hac quoddam terræ genus. Sed fieri non potest vt odor horum alterutrum sit: cum præsertim vapor ad aquam pertineat, & exhalatio fumi speciem præbens in aqua non possit existere: cum tamen odorati in aqua locus relinquatur. Præterea cum exhalatio eodē modo quo fluxio dicatur, profectò si odor fluxio non est, neque exhalatio rectè esse diceretur. Tandemque concludit odorem nõ esse fumidam exhalationem igneam, vel aëream, sicut de illo vulgo existimari solet. Quoniam non in aëre modo is percipitur, sed etiam in aqua, sicut pisces aperte declarant, qui ad pastum odore allecti accurrunt, in aqua autem nullus aer est, inquit ille, sed cum inest statim eminent: ignis verò multo minus. Sed quia aër & aqua humida sunt elementa, odòrque omnis caloris vim habet, idcirco in humore siccitatis affectionem esse quandam, quæ prius quàm odoratum re ipsa moueat, per aërem diffunditur & per aquam, propter naturæ similitudinem, quasi diluitur.

8 Saporum differentias ex agendi facultate & modo, sic Plato distinguit in Timæo. Tenduntur, inquit, à lingua venæ ad cordis sedem saporum nunciæ. In quas si quæ ita inciderint, vt humidam carnis molliem penetrantia, terrestri sua natura modicè liquefacta, venas ipsas contrahant arefaciantque, sapores eiusmodi pariunt. Videlicet si asperiora sunt, acerbos acrisque, sin aspera minus, austeros & ponticos. Quæ & illas purgant & si quæ, linguæ inherefcunt, abluunt: si vltra modum id faciant naturæq; illius nonnihil liquefaciant, qualis est in nitro potentia, amara nominantur. Sin autem vim nitro temperatorem habent leuiusque abstergunt, salia sine amaritudinis asperitate, magisque amica nobis apparent. Quæ applicata oris caliditati, ab eoque mollita & feruefacta, vicissim feruefaciunt suãque leuitate sursum ad sensus capitis eleuantur, suòque attractu singula diuidunt, propter huiusmodi vires acuta vocatur. Quòd autem dulcem saporem reliquis omnibus contrarium Alcinous esse ait, id ex eo intelligendum est, quod apud Platonem, sicut & apud Galenum, hic in varietate saporum pro medio est. At in omni contrarietate medium cum vtrius extremo comparatū, alterius contrarij rationem obtinet: vt etiam Aristot. docuit in physicis. De quo sic Plato in Timæo. Omnibus quæ de his dicta sunt contraria passio, à causa contraria proficiscitur. Quando verò ingredientium qualitas humida est, linguæ qualitati naturaliter concors & cõsentanea, ac lenit mollitque eam, contractamque demulcet asperitatem, & quæ præter naturam contracta vel sparsa fuerunt, relaxat vel colligit, ac summam naturalem singulis restituit habitum: suaue huiusmodi omne amicumque est omnibus, violentarum quoque passionum medicina atque remedium, dulcèque vocatur. Apud Aristot. autem de dulci idem dici non potest. Quoniam in saporum differentiis eo non tanquam medio, sed vt extremo altero vitur: cui amarum opponit. Ideoque in eorū diuisione hoc inter Platonem, quem Galenus sequitur, & Aristotelem interesse alio loco obseruauimus.

seruauimus, quod hic in extremis differentiis ponit dulce & amarum, rationem habens vel sensus, quem duo hæc extremo quodam modo afficiunt, in eoque longissimo interuallo à seinuicem seiuncta sunt, vel nutritionis: in qua quod dulce est maximè nutrit, quod amarum omnium minimè. Galenus autem hæc referens ad temperamenta corporum, quibus insunt & quorum signa sunt, acre & acerbū pro extremis, dulce pro medio esse vult: quia hoc naturæ maximè temperate indicium est, acre calida, acerbum frigida. Sed ad Platonem redeamus. Hic quantum in rebus omnibus explicandis figuris, quas à Pythagoreis acceperat, valde sit delectatus, saporum tamen differentias ex sensuum affectionibus, quàm ex illis maluit distinguere. Democritus autem cõtrà, singulis saporibus propriam figuram attribuit, saporèque dulcem appellauit, qui rotundus ampliusque est: acerbum, qui figura magna perficitur: asperum, qui multis angulis distinguitur minimèque orbiculatus est: acutum qui mole constat acuta & nucis pineæ speciem gerit, & incuruus, tenuis, nullòque orbe conglobatus est: acrem qui orbiculatus, tenuis, angulatus & incuruus est: salsum qui angulatus, magnus distortusque est & cruribus paribus constat: amarum qui rotundus, leuis atque distortus, parua cum magnitudine: pinguem qui tenuis, rotundus paruusque. Quod obseruat Theophrastus cap. 2. lib. 6. de causis plantarum: & in eodem Democritū Aristot. exagitat. cap. 4. lib. de sensu. De saporum autem differentiis sic Theophrastus cap. 4. lib. eiusdem, Saporum genera, inquit, septem esse putantur, sicut & odorum atque colorum. Hoc ita tamen verum erit, si salsum non alium quàm amarum posueris: quemadmodum & si fuscum, non alium quàm nigrum. At si fecernas, octauum hunc esse necesse est. Quippe dulcis, pinguis, amarus, austerus, acris, acutus, acerbūque numerantur, salsumque octauum subiungitur. Sunt qui vinosum quoque adiciendum putant. Fructibus enim compluribus inest & in terra nonnunquam talis comprehenditur sapor. Ad hæc lactis sapor redigendus ad dulcem, minus apparet. Hic enim interdum tanquam species dulcis obici potest. Nec verò vini saporem tribuere alicui facile est: sed sui generis is quoque esse videtur, qui & dulcem & acerbum & austerum possit recipere. Verum hoc nihil forsitan refert ad ceterorum contemplationem. Numerus autem septenarius præcipuus est & naturæ familiarissimus. Galenus Platonis locum, quem nunc sequitur Alcinous, interpretatur cap. 28. lib. 2. de facultatibus simplicium medicamentorum, cum eodēque Theophrasti diuisionem sic comparat. Plato duos sapores, inquit, memorat eiusdem speciei, sed in ratione maioris ac minoris differentes. Eorum vnum austerum, alterum acerbum nominat. Porro acerbū illius intentione prouenit, sicut & ipse Plato significauit. Atque hos pro vna specie numerabimus. Altera species est eorum, qui illis oppositi sunt, nitrosorum videlicet, salsum & amarum: in quibus etiam amarus ex nitroso prouenit intentione. Salsum verò aut nitroso imbecillior, aut astringentis quoque aliquid assumens. Deinde à Platone aeris expositus est, mox acidus, postremò dulcis. At à Theophrasto additus est vinctuosus siue pinguis: à Platone quidem in sermone de propriis linguæ sensorijs præteritus, verum paulò ante plantarum succis ascriptus: vbi vinosum ab oleoso & melleo discernebat. Vbi autem ad sensus gustoria transit, protinus dulcem memorauit. Nihil enim retulerit dulcem an melleum dicas: velut nec pinguem an oleosum. Omisit autem pinguem, vt qui ad gustum nihil attineret. De natura autem corporum, quæ his saporum differentiis sunt prædita, sic idem scribit cap. 7. li. 4. de facultatibus simplicium medicamentorū, Astringens, terrenū esse & crassum corporis consistentia, qualitate verò frigida, priorèq; differre ab acido, quoniam hoc tenuitate partium præditū est, sed per



inde atque astringens refrigerat. Acido frigidius esse, quod ecerbum appellatur. Quoniam ut ex Theophrasto eodem cap. commemorat, fructus arborum initio acerbi sunt, verum affluentis humoris copia, progrediente tempore acidi efficiuntur. Deinde ad perfectam maturitatem perducti, ab ipso calore moderato dulcedinem accipiunt. Quare rectè dictum est à Platone quaecumque partes eiusmodi in succis deferuntur terrestres, his liquefactas contrahi atque exsiccare humidam linguæ sensibiles partes: ac si exasperant, acerbam, sin minus id faciant, austeras apparere. Atque eiusmodi saporibus qui infra dulcedinem sunt, quia substantiam à calore non satis coctam significant, frigoris sunt indices: sed in eo intentione & remissione differunt. Caloris autem immoderatio alios saporibus parit superioribus contrarios, amarum, falsum & acrem. Amara enim & falsa immoderatum calorem habere, idem Galenus docet cap. 9. & 21. lib. eiusdem, acrisque saporibus omnium esse calidissimos cap. 18.

9 De varietate eorum, quæ sensu tactus à nobis percipi possunt dictum est ab undè cap. 9. lib. 4. nostræ prioris descriptionis physica: atque eo loco quesitum, vtrum hic sensus vnus ex eo deberet censeretur, quod obiecta omnia instrumento vnus modi & eadem ratione affecto, percipiatur: an verò multiplex, quod obiecti differentia non possint, sicut in aliis sensibus, ad vnâ primam contrarietatem reuocari. Nunc obseruandum est in illis qualitibus, de quibus hic sensus iudicat, qualesdam esse primas, vt calorem, frigus, humorem & siccitatem, alias ex illarum actione atque passione natas. Quales sunt quæ ex Platone hic enumerantur: de quibus sic ille scribit in Timæo, Durum, inquit, dicimus illud cui nostra caro cedit, molle, quod carni: resque ipsas inuicem duras & molles eadem ratione vocamus. Cedit autem quicquid paruo nititur. Harumque affectionum causam eodem loco ad suas figuras sic reuocat. Quod ex triangularibus basibus firmamentisque est, inquit, vt pote plano vehementer innixum, renititur maximè atque resistit: quod vè summopere densum est, contra venientia vehementer repercutit. Arist. cap. 4. lib. 4. Meteor. hæc refert ad humidam & sicci variam mixtionem. Affectionum quæ ad corpus pertinent, inquit, durities vel mollicies in eo quod terminatum est, primæ inesse debent. Quod enim ex re sicca & humida constat, id vel durum sit, vel mollè necesse est. Est autem durum id quod in se per extremitates non cedit: molle quod cedit, nec vndique per oras prementis corporis transfertur. Aqua enim mollis non est: quod extremæ eius partes intrò cum prementur, non cedant, sed opprimentis oras vndique cadendo amplectantur. Atque id quidem quod planè absolutèque durum vel molle est, omnino planèque tale est: ad aliud autem, id quod tale est ad illud. Hæcque inter se indefinita sunt: quod magis ac minus & dura sint & mollia. Proprius accedit ad Platonis sententiam quod eodem capite ita concludit. Itaque id quod tactum superat, inquit, durum: quod ei cedit, molle esse dicimus. Idem probl. 10. Sect. 22. scribit omnia corpora mixta quæ sicca sunt, eadem quoque dura esse: & quo magis exsiccantur, eo duriora reddi. Quia verò exsiccantur per se à calore humorem absumente, aduentitia autem tantum vi, à frigore eundem comprimente & constringente, ex eo concludit cap. 3. lib. 5. de animalium ortu, calorem per se in corporibus mixtis causam esse efficientem huius affectionis: frigus autem aduentitia tantum vi.

10 De Leui & aspero sic Plato in Timæo, Leuis & asperæ passionis causam, inquit, quilibet intuitus, aperire aliis poterit: durities enim hanc inæqualitatem permixta: illam verò æqualitas exhibet densitati. Esse autem ipsam asperitatem ex primarum qualitatum actione ortam, potest ex eo intelligi, quod sicus

calor agēs in mixta humida, quæ consistentiam habent terrenam, absument in eorum extremitate humidam aqueam, quod glutinis erat loco. Hoc verò absumptum, ipsa extremitas ita hiare incipit, vt simul cum duritie vna pars attollatur, altera deprimatur. Ex quo asperitas enascitur. De igne verò eiusque calore itémque de rigore & tremore quæ à frigore proficiuntur, sic idem Plato scribit in Timæo. Imprimis, inquit, qua ratione ignis calidus dicitur, videamus. Quod ita demum perspiciemus si discretionem diuisionemque ab eo in nostro corpore factam consideremus. Quod enim acumen quoddam ea passio est, ferme est omnibus manifestum. Tenuitatem verò angulorum laterumque subtilitatem, paruitatem, particularum motus velocitatem, quibus omnibus vehemens & penetrans est, velociterque quod occurrit, diuidit semper & dissipat considerare debemus, figuræ ipsius generationem memoria reperentes. Ea quippe, non alia natura, nostra corpora diuidēs & in partes exiguas partiēs, merito passionem illam quæ calor dicitur, inducit. Contraria verò huic passio licet cuique manifesta, sua tamen explanatione non careat. Humidæ namque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores, cum in corpus influunt nostrum, humorem autem nostrum coagulatumque faciunt inæquali & agitato, immobilem propter æqualitatem coagulatumque faciunt inque angustum cogunt. Quod autem præter naturam coactum est, secundum naturam renititur seque reuocat in contrarium. In hac reluctatione quassationeque tremor rigorque consistit: omnisque huiusmodi passio frigus, quod vè eam infert, frigidum nominatur. In quibus licet animaduertere illum caloris causam in igne querere eamque ad figuræ proprietatem reuocare. In eoque Galenus lib. 8. de decretis Hipp. & Plat. obseruat quid inter hunc & Hippocratem intersit in questione de elementis. Hippocrates elementa non nominauit, inquit Galenus, sed tantum ex eorum concursu & confusione naturalia corpora constare asserit: nihilque vltra hæc, cum nulla id actiua postulare necessitas, sibi progrediendum putauit, quippe qui speculatiuam artem minimè tractaret. Plato verò qui contemplatiuam philosophiam nobiliorem existimabat, solus, quæ in elementis extant facultates considerare satis non habuit, sed causam quoque generationis eorum inquisiuit, inutilem nimirum medico speculationem secutus. Nam scire cur humectet aqua, vrat ignis, & cur suat aqua, sursum feratur ignis, stabilissimaque & grauissima elementorum terra consistit, ad morborum curationes nihil confert. Illud enim tantum ad sanitatis conseruationem morborumque medelam sufficit, vt cognoscamus ex calidi & frigidum humidi & sicci temperatura sanitatem effici: ex horum contra intemperaturis morbos accidere. Indagare autem an ex pyramidis partibus ignis constet, an alia aliqua causa sit, cur occurrentia corpora incidat ac diuidat, speculatiuæ philosophiæ opus est. Nec verò Aristoteles quantumuis acutus in naturæ speculatione, primarum qualitatum in elementis causas quæsiuit, quoniam eas pro formis in illis incognitis vsurpauit. Nec sic querere voluisset, eas ad figuræ proprietatem retulisset. Hæc enim (vt disputat cap. 8. lib. 3. de celo & cap. 6. lib. 4.) elementi actionem adiuuare quidem potest: primaria eius causa esse nullo modo potest. Ergo ignis non quia pyramidis figuram habet, calefaciendi vi à natura præditus est, sed fortasse vt celeriter penetrando, promptius calefaceret, hæc figura ab aliis elementis est distinctus. In eo autem quod postremo loco ex Platone commemoratum est, hunc Galenus reprehendit libro de Tremore & rigore, quod tremorem cum rigore eundem esse existimauerit. Vnius membri affectus, inquit, tremor est, corporis verò vniuersi rigor. Eo magis admiratio Platonis me subit, qui tremorem idem cum rigore censet. Si namque falsi sunt qui rigore



rem frigus cum tremore dicunt, quo modo cum tremore rigorem idem esse credens vera dicat. Præter absurda enim quæ monstrauimus, id quoque pugnat, quod sunt qui procul ab omni frigiditate tremant, & fieri nequeat ut qui rigeat, alioqui non frigere videantur. Eapropter neq; à vero longè hi mihi visi sunt, qui rigorem esse frigoris sensum affirmarunt. Enimuero non idem friguisse & sentire frigus dicat. Resoluta namque stupida, malè sentientia, quæque sensum penitus amiserint, frigida sunt omnia. Tremula etiam, attonita, comitialia, ventosa, aquosa, inflata, tumida, frigida sunt omnia. Nec qua laborant, corporis frigiditatem sentiunt: propterea nec rigent. Si namque sentirent, utique & illico rigerent. Vnde affirmem malè censuisse Platonem, qui rem eandem tremorem & rigorem esse voluit. Non enim membri vnus rigor ac tremor est: neque tremētibus, ut iis qui rigent, est sensus frigoris. Est & rigentium motus penitus inuoluntarius, trementibus autem, sine voluntate nunquam. Sed Platoni fortè in arduis medicinæ id genus veniam erroris dabit: cum aliorum corporis affectuum omnium ferè exactissimè ortum explicuerit.

II Hoc loco duo sunt inter Platonem & Arist. controuersa. Vnum de natura grauium & leuium, alterum de distinctione differentiarum situs, ad quas hæc suapte natura dicuntur moueri. Priore loco de posteriore disseramus: quoniam ex eo alterius explicatio facilius intelligitur. Illud (inquit Plato in Timæo) absurdum est, esse duo quædam loca natura à seinuicem longo interuallo distincta, & vnum quidem deorsum vocari, alterum verò sursum, ad quem vi omnia moueantur. Cum enim cælum omne rotundum sit, quæcumque à medio æquè distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. Medium quoque æqualibus lineis ab extremis vndique distans, è regione æquè omnia respicit. Quoniam igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorum quicquàm sursum esse dixerit, vel deorsum, non iniuria errare videbitur. Medius enim locus in ipso, neque sursum, neq; deorsum dici debet, sed medijs. Quod rursus vndique circuit, neque medium est, neq; partem in se habet aliam ab alia differente, quoad ipsum medium, & omnino quicquid sit è regione locatum. Ei verò quod suis ipsius simillimū est, cōtraria nomina nullus iure attribuet. Si quid enim solidum æquilibratūq; in medio vniuersi sit, ad nullam extremorum partem propter perfectam ipsorum similitudinem declinabit. At si quis circa illud obambulet, sæpè sibi met plantis stabit oppositis, eandemque illius partem tum sursum, tum deorsum vocabit. Itaque vniuersum cum sit rotundum, locum habere superiorem aut inferiorem vir prudens minimè affirmabit. Aristoteles autem non solum in ipsa vniuersitate terram, quia est in centro, natura inferiorem esse vult, & ad illam graua omnia, quod plurimum terræ habeant, suo pondere moueri: sed in vniuersitatis parte suprema, id est in ipso cælo, quia, ut ait, animarum est, non ex nobis tantum, sed ex ipsa natura distinctas ponit sex situs differentias, de hisque ita disputat contra Pythagoreos capit. 2. libr. 2. de Cælo, ut in illo statuatur dextram partem in oriente. Quoniam ab ea cælum moueri cepisset si incepisset: & in animalibus ea secundum naturam dextra pars esse dicitur, à qua sit motus. Sursum item & deorsum in eadem ita spectat ex duobus verticibus, ut eum qui supra nos est ad inferiorem cali partem pertinere velit: ad superiorem autem alterum qui nobis non apparet. Hoc enim eo loco ita concludit. Perspicuum igitur est, inquit, verticem eum qui oblitescit, superiorem cali esse partem, eosque qui illic habitant in superiore hemispherio esse, & in dextris partibus: nos verò inferiorem & sinistra loca incolere, contra ac Pythagorei sentiunt. Nos enim illi in superiore & in dextra parte esse faciunt, eos verò

qui illa loca incolunt, in inferiore atque sinistra. Quod contrà sit. Sed in superioribus secundæ circumuersionis, id est, eius orbis in quo stelle errantes sunt, partibus, in superioribus & in dextris habitamus: illi autem in inferioribus & sinistris. Et capit. 1. lib. 4. absurdum est, inquit, non existimare aliquid esse in cælo superum & inferum: quemadmodum nonnullis placet. Negant enim esse in cælo superum locum vnum, alterum inferiorem, si vndique simile est, & omni ex parte aduersis vestigijs suis quisque qui iter facit, insistere possit. Nos autem extremam & summam vniuersi partem, summum locum dicimus: qui & sicut ipso summus est, & primus naturæ ordine. Quoniamque est aliquid cæli extremum & medium, profectò eiusdem erit & pars superior & inferior. In quibus mirum profectò mihi videri solet, natura dextrum in cælo statui ab Aristotele in ea parte, à qua Sol nobis oritur, & ab eodem concedi nos esse in mundi parte inferiore, alios nobis oppositos, in superiore. Nam cum his suum sit orientis punctum, aliud à nostro, sciendum esse videbatur aut dextrum in toto cælo non esse vnicum, neque natura definitum (quod tamen eo loco Aristoteles vult) aut illud in Oriente partis superioris mundi, potius quàm inferioris, propter illius dignitatem spectandum. De causis autem grauitatis & leuitatis (qui locus est alter comparationis huius) sic Plato in Timæo. Si quis in ea mundi regione, quam ut plurimum sortitus est ignis, & ad quam vndique fertur, insideat, vimque aliquam nanciscatur, per quam ignis partes arripiat, librèque, aut vbi in statere iancibus collocauit, ut deorsum in dissimilem detorqueat aërem, constat planè minorem ignis portionem maiori facilius coactum iri. Vbi enim duo simul vno robore suspenduntur, minus quidem magis, plus autem minus vim inferenti cedit: & vnum quidem graue, deorsumque ferri dicitur, alterum sursum ac leue. Idem nobis terram habitantibus accidit. Nam terræ innixi, per eamque gradientes, terrena genera inuicem separamus ac distinguimus, & sæpè terram in dissimilem aërem iacimus, violenter præterque naturam, sæpè partes vtrasque cognatæ naturæ participes. Hic portio minor facilius, quàm maior ad dissimilem locum iacta, prius violentiæ cedit, eamque leuem cognominauimus, & locum ad quem cōpellimus, sursum. Contrariâ his affectionem, graue quiddam ac deorsum. Hæc itaque differre inuicem necessariū est, propterea quod generū multitudines locum alijs contrarium obtinent. Quod enim alio loco leue est, leui quod in loco est contrario, & graue similiter graui: & ei quod deorsum dicitur, id quod deorsum: eisque quod sursum, id quod dicitur sursum. Omnia enim hæc transuersa inuicem, & contraria, ac penitus differentia esse, fierique reperientur. Vnum tamen de iis omnibus iudicandum, quod via gressioque singulorum ad simile, atque cognatum ferens, graue facit id quod fertur, locum verò in quem tale quid fertur, deorsum. Quæ aliter se habent, aliter efficit. In quo quanquã Sebastianus Foxius Platonem & Aristotel. verbis tantum differre existimet: mihi tamen eandem affectionem rebus iisdem minimè videntur attribuere, nec eius in illis eandem causam reddere. Si quidè Aristoteli ignis absolutè, & secundū quamuis cōparatione leuis est, sicut & terra grauis. At Platoni cum ignis ad suum locū fertur, leuis esse videtur: cum ab eo in quamuis partē descendit, grauis. Atque apud Arist. quod plus ignis, eò leuitas inest maior, & quod plus terræ, eò grauitas quoque maior. At quia quod plus ignis est, eò difficilius à suo loco in alienū trāsferitur, eò Platoni videretur esse grauior. Quod Arist. ipse sic exagitat ca. 2. libr. 4. de Cælo. Cū ignis semper leuis sit, inquit, & supera petat: terra verò, terrenaq; omnia deorsum & ad mediū moueantur, non propter paruitatē triangulorū, ex quibus quodque eorum constare dicunt, ignis superiora capessit. Tum enim maior ignis, minus

& tardius ferretur, idemque grauior esset. Quia ex pluribus triangulis constat. Nunc autem contrà videtur. Quò enim maior est, eò & leuior est, & celerius in sublime fertur: & ex superiore loco deorsum paruus ignis celerius fertur, & maior tardius. Præterea quoniam quod pauciores habet partes, eorum quæ sunt eiusdem generis id leuius esse dicunt, & quod plures grauius: aëra verò, & ignem & aquam ex eisdem triangulis constare, sed paucitate & multitudine distingui, ob eamque causam eorum vnum, leuius esse, grauius alterum, erit aliqua aëris copia quæ aquam pondere superabit. Sed omnia contrà eueniunt. Semper enim maior vis aëris, superiora magis ac celerius petit: omninoque aëris quæuis pars sursum ex aqua euolat. Idem cap. 4. lib. eiusdem, definit graue id esse absolute quod omnibus subternitur, leue autem quod ex omnibus extat & eminet. Quæ autem pro diuersa comparatione modò graua, modò leuia esse dicantur, eodè loco ita concludit. Fit, inquit, vt non vbique eadem graua & leuia esse videantur, propter primarum naturarum dissimilitudinem. Vt in aëre grauius erit lignum quod talenti vnus pondus habebit, quàm libra plumbi: in aqua autem leuius. Id causæ est quòd in omnibus naturis, præterquam in igne, pondus inest, & leuitas, præterquam in terra. Ac terra quidem, omniaque quæ maximè terrena sunt, vbique necessariò pondus habent: aqua autem vbique præterquam in terra: aër verò, nisi in aqua & terra. In suo enim quicque loco præter ignem, pondus habet, etiam aër. Idque hinc intelligi licet, quòd vesicæ inflatæ plus habent ponderis, quàm inanes. Ita si quid aëra magis, quàm terram & aquam imitatur, in aqua alio leuius esse potest, in aëre autem grauius: quòd aëri non eminet, nec innatat, in aqua autem innatat. De figuris autem, ad quas horum motuum in primis corporibus causam Plato retulit, hoc ille statuit cap. vltimo libri eiusdem, illas non efficere omnino, vt quicquam sursum aut deorsum feratur: sed vt celerius, aut tardius. Sic enim fit, vt ea quæ lata sunt, & laxitatis plurimùm habent, quia multum amplectuntur, diutius sustineantur: quia nõ facile id quod subiectum est, dirumpitur. Quæ autem contrariis figuris concluduntur, ea quia paululum cõprehendunt, in fundum ac deorsum feruntur: propterea quòd facile diuidant, & in aëre multò etiam magis, quo facilius quàm aqua rumpitur. Timæus Locrus, libr. de Anima mundi, & Natura, ab Aristotelis sententia non videtur alienus. Graue & leue, inquit, præiudicat tactus, ratio definit ex inclinatione, aut ad medium, aut à medio. Deorsum autem & medium idem censent, nam globi centrum, id est, deorsum: quod autem extra centrum est, ad extrremum ambitum, sursum.

Respirationis modus & vsus in homine explicatur: deinde morborum causæ, potissimùm febrium, petuntur ex elementis, quibus nostra corpora constant, & ex humoribus qui illis proportioner respondent.

CAPVT 16.

¹ Respiramus verò hoc modo. Ambit nos quidem externus aër multus. Hic autem per os & nares, aliòsque corporis meatus ratione cognitos, in interiores partes influit. In quibus calefactus, ad externum cognatumque refluere nititur. Qua verò ex parte effluerit, externum aërem rursus in interiora coërcet. Atque eiusmodi circulo sine intermissione, inspiratio & expiratio perficitur. ² Morborum autem causas multas esse docuit. ³ Primum quidem elementorum defectum & excessum, ⁴ eorumque transmutationem in ea loca quæ naturæ minimè conuenientia: deinde præposteram cognatorum originem, ⁵ vt si ex carne fieret sanguis, aut bilis, aut pituita. Hæc enim omnia nihil aliud esse quàm colliquationem. Pituitam quidem recentem carnis colliquationem. Sudorem verò & lachrymas, quasi serum ex pituita. ⁶ Pituitam autem in externis partibus interceptam, inducere vitiliginem. ⁷ At in interioribus, cum atra bile permixtam sacri morbi causam esse. ⁸ Eandem acutam & falsam, eos affectus gignere qui in rigore contingunt. ⁹ Omnia autem ardentia corpora à bile hoc patiuntur. Innumerabiles enim affectus & multiformes, bilis & pituita pariunt. ¹⁰ Febrem quidem continuam, igne suum modum exuperante: quotidianam, aëre: tertianam, aqua, quartanam terra. Sequitur vt de animo differamus, oratione



hinc repetita. Etsi in eundem sermonem relapsi, superiora fortasse repetere videamur.

IAC. CARPENTA-

RII COMMENTARIVS IN

Caput 16.

In quo prima est disputatio de respiratione, an insit piscibus, & cuius facultatis sit actio. Quae digressio est octaua.



De respiratione, quoniam controuersia est Philosophis & Medicis nobilis, de ea hoc loco quaerendum, in quem usum comparata sit, cuius facultatis actio, & quae corporis partes organicae ad eam necessariae: ut ex his intelligatur, quibus animalibus eadem data sit, & utrum piscibus in aquis denegata. De quibus non modò Platonis & Aristotelis opiniones examinandae sunt: sed cum Medicis sedulo conferendae. Quoniam in quaestione eiusmodi hi utroque Philosopho accuratiores & exactiores esse debuerunt. Ut totius corporis perspiratione per meatus occultos, calor in omnes partes diffusus recreatur, & fuliginosis excrementis humoris in quo fouetur, dum repurgatur, arceat eam putredinem, quae facile accidit tali perspiratione impedita: sic idem calor vitae opifex, in corde sedem habens, manifesta respiratione indiget, ut alterna expiratione & inspiratione, spiritum qui iam plus satis incaluit, expellat, in cuiusque locum nouum attrahat: sine quo subita suffocatio animalibus facile accideret. Quod quidem in sanguineis in aere viventibus manifestum est: in quibus pulmones manifesta dilatatione & contractione, expirationi & inspirationi subseruiunt. Ut verò pro corde sede caloris vitalis, quaedam animalia partem habent aliam, quae huic proportionem responderet, cuius non in omnibus facilis est observatio: sic pro pulmonibus quaedam brachias habere dicuntur, alia fistulas, nonnulla foramina, aut valvulas, per quae ea etiam munera obire videntur, quae manifesta

expira-

expirationi & inspirationi proportionem respondent. Quoniam ubi actionum & facultatum proportio quaedam est, ibi quoque proportionem adesse oportet partium organicarum, quae illis subseruiunt. Ad do etiam illud, quemadmodum assumptum alimentum non solum reparat quod de nostri corporis solidiore & carnosa substantia effluxit, sed etiam si in ea interperies quaedam sit, illud idem contraria sua qualitate hanc immutat & corrigit: sic aërem per occultam perspirationem & manifestam respirationem, non modò in novos spiritus conuertit, in locum eorum qui dissipati sunt, sed eos qui insunt, suis fuliginosis excrementis repurgatos, temperare prohibereque, ne inflammentur. In quo eius de quo quaeritur, finis, & in relatione ad suum finem usus est positus. De expiratione autem, & inspiratione, sic Plato scribit in Timæo. Cum discursiones duae sint, inquit, una per corpus extrahit, altera rursus per os ac nares, cum anhelitus ad alia impetum facit detrudatque, alia contra retrahit atque repercutit. Quod autem retractum est, in ignem incurrens, calefcit: quod exhalauit, friger. Dum ergo caliditas permutatur, & quae alio transitu vtuntur, calefcunt, ac rursus quod feruer, ad naturam suam emigrat, & hanc emigratione sua in aliud iter repercutit, rursusque haec idem perpetiuntur, aguntque semper, certè anhelitus hic circulo quodam hinc & illinc iugiter fluctuans, expirationem & inspirationem continet. De pulmonum verò usu in eadem respiratione, eodem loco sic scribit. Cum Dij cognoscerent, inquit, cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira saepius flagaturum, idque opus omne per ignem fore, aestus eiusmodi temperandi gratia, pulmonum tegmen cordi adhibuerunt, molle primum atque exanguine, deinde cauis extrinsecus fistulis spongiae instar distinctum: ut spiritu potius hausto, cordis ardorem, huiusmodi respiratione & refrigerio, tepesciat. In quo à Galeno reprehenditur lib. 8. de Decret. Hipp. & Plat. quod non satis acutè respirationem à perspiratione distinxerit. Errauit Plato, inquit Galenus, cum noluerit Hippocratem sequi, haec in libello de natura hominis dicentem, Et haec omnia tibi faciet omnibus diebus & noctibus, hyeme & aestate, donec idoneus ad attrahendum in se spiritum, & rursus emittendum fuerit. Attrahit verò in se homo exteriorem aërem per os in pulmonem, per cutem in arterias: ac rursus per eosdem meatus, per quos accepit, remittit. Altera igitur ex his operationibus respiratione, altera quae per cutem fit, perspiratio seu diffusio appellatur. Quas tamen utraque neque inter se connexas, neque ab una facultate profectas confundens Plato, ut ex his quae modò dixi, demonstratum est, de respiratione in Timæo disserit, his verbis. Videamus praeterea, inquit, quibus causis respirationis affectio in hunc modum qualis nunc est, facta fuerit. Quod ita liquebit. Cum nihil vacuum sit, in quod ex his quae se-

ooo



runtur, aliquid possit irrumperere, & spiritus è nobis foras exiliat, omnibus perspicuum est, eum non in vacuum ferri, sed vicinum aëre è propria sede depellere. Depulsum verò illum, proximum atque hūc item alium subinde impellere, eaque necessitate fieri, vt circumagitatatus compellatur in eum locum, vnde exierit spiritus: ingressusque illuc ac repleta sede, halitum ipsum subsequatur, atque hoc totū quasi rota circumuoluatur. Ita fit propterea, quia vacuum nullum reperitur. Quamobrè cum è pectore & pulmone foras exierit spiritus, ab aëre qui corpus ambit, intròque per raritatem carnis penetrat, ac circumuoluitur, locus eius repletur. Qui aër deinde rursus regrediens, & foras per corpus exhalans, intrò respirationem per oris & narium tramitem introducit. Quibus omnibus Galenus partim eodē loco, partim in fragmento Cōmentarij, de iis que medicè à Platone dicta sunt in Timæo, hoc potissimum reprahendit, quòd dilatationem contractionemque arteriatū, in qua totius corporis perspiratio est, à motu pulmonum, in quo propriè libera respiratio, non distinguat: quòdque non animaduertit, horum motum voluntarium esse, illarum verò minimè, & quòd in hac ipsa manifesta respiratione, attractionem aëris, quæ à pulmonibus fit, tollat, pro illaque nescio quam ipsius circumuolutionem comminiscatur, vt obseruatum est cap. 14. lib. 8. de Placitis. Idem verò quanquam de Aristotele persuadere conetur, hic tamè occultam totius corporis perspirationem videtur agnouisse, & à manifesta liberaque respiratione distinxisse, cum ita scripsit in libello de respiratione. Quoniam animantium, inquit, alia aquatiles sunt, alia terrena, his quæ admodum parua sunt & exangues, refrigeratio ex circumfuso aëre, vel aqua, satis eas ab interitu vindicare potest. Exiguo enim calore prædita, exiguo egent præsidio. Et cap. 6. lib. 3. de partibus animalium, Pulmo, inquit, animalibus iis quibus inest, datus est, quia calorem refrigerari necesse est. Quod in iis quæ sanguine carēt, natio spiritus perficitur, & in piscibus etiam extrinsecus per ipsam aquam. Libro etiam de Somno & vigilia, in eisdem animalibus exanguibus satis apertè agnoscit in cordis motu, aut in ea parte quæ cordi respōdet, spiritus insiti, dilatationem atque contractionem, que non ad respirationem manifestam pertinet, sed ad perspirationem, quam Galenus *διασπονή* nominat. In iis quæ sanguinis expertia sunt, inquit, & quæ incisuris quibusdam constant, quæque spiritum non ducunt, principium est in parte, quæ cordis locum obtinet. Spiritus enim in iis insitus dilatari & cōtrahi perspicitur: id quod animaduerti licet in iis quæ pennas perpetuas continuatasque habent, cuiusmodi sunt, vespa, & apes, & musca, aliaque eiusdem generis, Superiorem verò Platonis locum idem Aristoteles cap. 2. libr. de Respiratione, sic exa-

gitat. Quæ in Timæo scripta est, inquit, in orbem acta impulsio, nihil de cæteris animantibus statuit, quemadmodum in eis calor cōseruetur, vtrum ab eadem, an ab alia aliqua causa. Si enim his solis animalibus quæ gradiuntur, respiratio concessa est, eius quod ait, solis, affecta fuit causa. Sin aliis quoque data est, sed alius est modus, de eo explicandū fuit, siquidè omnia respirare possint. Præterea modus cause commētitus est. Cum enim per os calor foras excurrit, circumfusum aëra pulsu agitari, eundemque in locū illabi dicit per carnes que rare sint, vnde calor insitus exierit: quòd nihil sit inane, ita sibi vicissim per quandam antiperistasin succedentibus corporibus. Concalescete verò rursus per eundē locum foras excurrere, tumque eum qui extra mittitur, in corpus vicissim per os aëra calidum, qui expulsus fuerat, impellere, idque semper respirando & expirando facere animalia. Hi autem qui in ea sunt sententia, primū coguntur expirationē, priusquam inspirationē concedere. Quod hinc sciri potest, quia hæc mutua quadā vicissitudine inter se consequuntur. At morientes edūt spiritum, ita necesse est principium esse inspirationē. Præterea cur animantibus respiratio & expiratio data sit, non exposuerunt qui hoc defendunt: sed vt de re fortuita aliqua solum de eis mentem suam explicauerunt. Quibus exagitat, ipse de eiusmodi affectione hæc ex sua sententia eodem loco statuit. Respirationē in eum vsum esse datā, vt fuliginoso spiritu per expirationē pulso, & frigidiorē aëre per inspirationem attracto, cordis calor temperetur: eius verò gratia pulmones in animalibus sanguinem habentibus esse conformatos, & ipsi cordi vtilissimè circumpositos: qui in ipsa expiratione ad pellendū contrahantur, in inspiratione ad recipiendum dilatentur. Ex quibus concludit, piscibus respirandi facultatem non inesse: quia neque hac indigēt, cum sint proprietate loci in quo degunt, contra caloris æstum satis temperati: neque ad eam habeant instrumēta conformata ab ipsa natura. Quæ vt nihil frustra facit, sic nec vllā indigentia laborat: neque quicquam facit tale, qualem æriarij fabri gladium Delphicum, ad duos vsus propter inopiam, vt idem scribit libro 1. Politicor. Hoc verò nobilem aliam quæstionem continet, quæ nobis etiam hoc loco pluribus explicanda. Propriè dictam respirationem, qua externus aër per arteriam asperam manifestè attrahitur, & in pulmonibus susceptus, ad cor defertur, piscibus non inesse, cum Aristotele sentire videtur Galenus cap. 2. lib. 6. de Vsu partium, & apertius capite 9. libri eiusdem, sed de branchiis, an pulmonis loco esse possint, ab eodem dissidere. Vtilitas vocis, inquit Galenus, piscibus certè nulla est, vt qui in aqua degant: sed ne respirare quidem ipsis licet per pharynga, quomodo ne nobis quidem ipsis, quando in eam merfi fuerimus.



Non igitur quemadmodum volucris, ac gressilibus animalibus, ita etiam illis est re fuit, maximum vnum respirationis ac vocis ortum esse meatum: sed earum quas branchias nuncupamus, constructio ipsis vice pulmonis est. Cum enim crebris ac tenuibus foraminibus sint branchiæ hæ interceptæ, aëri quidem & vaporibus peruis, subtilioribus tamen quam pro mole aquæ, hanc quidem extrâ pellunt, illum autem promptè intromittunt. Deinde subiicit eandem omnino causam cum Aristotele: quod natura pisces frigidiores sint, quam ut ipsorum cor magna indigeat refrigeratione. Indicant autem, inquit, eorum temperamentum cum alia multa, tum maximè sanguinis penuria. Aut enim carent omnino, aut paucum planè habent sanguinem. Quocirca quæ aquatilia multo sanguine sunt prædita, ac calida, ut Delphinus, Vitulus, Balena, hæc omnia ex aëre respirant, incredibile quodam respirationis modo. De Delphino & Balena, idem scribit Aristoteles cap. 13. lib. 4. de Partibus animalium, itémque cap. 9. lib. 4. de Historia. De branchiis quoque quod pro pulmonibus datae sint, eadè est huius sententia, non solum his locis, qui modò citati sunt, sed & apertius libro de Respiratione. Nisi fortè hoc interest, quod per branchias aquæ tantum haustu, non aeris attractione, pisces refrigerari Aristoteles arbitratur: Galenus autè per tenuissimos branchiarum meatus, aërem cum vapore penetrare vult, aquam verò crassiorem repellit. Sic enim hic de vsu brachiarum & pulmonum in refrigerandis animalibus loquitur cap. 4. lib. de Respiratione. Nullum animal, inquit, adhuc visum est, quod pulmonem & branchias habeat. Idque factum est propterea quod pulmo refrigerationis, quæ spiritu affertur, gratia comparatus est: branchiæ verò, propter eam refrigerationem, quæ ab aqua proficiscitur. Atqui instrumentum vnum vni muneri visum est, & refrigeratio satis est omnibus. Quapropter cum naturam nihil frustra, & sine causa facere videamus, & cum duo sint, alterum frustra & superuacaneum esset, sit ut aliis branchiæ datae sint, aliis pulmo, utrumque nulli. Hoc verò Aristoteli proprium est, quod neque in aqua aërem purat esse posse (hoc enim contra Democritum disputat initio libri eiusdem) neque si insit, illo cum aqua per branchias attracto, fieri istam secretionem, quam Galenus loco superiore comminisci videbatur. In quo assentior Iulio Scaligero in disputatione contra Cardanum, & Commentatio in librum primum Aristotelis, de Plantis. Aërem è sua sphaera descendere, inquit, atque in fundo maris fluuiorumve misceri, monstrum est in Philosophia. Aër etiam si descendat, non potest aquam findere atque diducere, ut subeat ad fundum vsque. Aër aut est aquæ commixtus, ita ut vnum ex utroque mixtum sit: quod & nos fatemur, & addimus, & terram, &

aquam & etiam ignem. Aut est admixtus aquæ sicut aqua in cauis spongiæ. Quod si ita esset, exiliret ad locum suum. Quod si maris aqua & flauiorum est, ut aiunt, elementata, non potest aër in piscium faucibus ab aqua separari, ab hacque exprimi. Nulla est machina quæ illum percolet. Spiritus cum calore caelesti, quem Arist. scribit lib. 2. de animalium ortu, per omnia esse fusum, sicut & Cicero ex Stoicis lib. 2. de natura deorum, aquæ quidem inest, sine quo pisces in ea non possent viuere: sed hic aër non est: sed aëre quiddam diuinius. In quo minime eadè est ratio terræ & aquæ. Quoniam in terra certum est meatus interpositos esse, per quos aër deferri potest ad ea animalia, quæ in ea viuunt, sicut in talpa experimur. Hoc verò de aqua dici non potest. Quia hæc si eiusmodi meatus interpositos haberet, compressa in se posset cedere: quemadmodum in terra accidere deprehendimus. Quæ omnia valere possunt ad resistendum his, quæ de eadem questione contra Aristotelem Plinius disputat cap. 7. lib. 9. naturalis historiae. Spirant, inquit, confessione omnium, & paucissima animalia in mari, quæ internorum viscerum pulmonem habent: quoniam sine eo nullum animal putatur spirare, nec pisces branchias habentes anhelitum reddere ac per vices recipere existimant, quorum hæc opinio est: nec multa alia genera etiam branchiis carentia. In qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrinæ imaginibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo. Quoniam & pulmonum vice, aliis possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura, sicut & pro sanguine inest multis alius humor. In aquas autem penetrare vitalem hunc halitum quis miretur, qui etiam reddi ab his cum cernat? & in terras quoque tantò spissiore naturæ partem penetrare, argumento animalium quæ semper defossa viuunt, ceu Talpæ? Accedunt apud me certè efficacia, ut credam omnia etiam in aquis spirare naturæ suæ sorte: primum sepe adnotata piscium æstiuo calore quædam anhelatio, & alia tranquillo celo velut oscitatio: ipsorum quoque qui sunt in aduersa opinione, de somno piscium confessio. Quis enim sine respiratione somno locus est? Hæc quidem contra Aristotelem Plinius colligit, quibus non est difficile ex superioribus respondere. Quamquam verò non facile sit cogitatione complecti aërem per aquam eodem modo quo per ipsam terram esse fusum: mihi tamen multò magis mirum esse videtur, quid sit in piscibus in media aqua respirantibus, quod aërem ab aqua separet. Neque enim in brachiis tanta meatuum angustia esse videtur, ut solum aërem possint admittere, aquam omnino respuere, quod vult Gal. cap. 9. lib. 6. de vsu partium. & lib. de vtilitate respirationis, si modò hic eius est: neque magis probabile, quod quibusdam recetioribus placet, pisces aërem cum aqua

ore haurire: sed postea per branchiarum rimulas aqua reicere, ne ab hac vitalis spiritus suffocetur, aërem retinere, vt hoc interiora refrigerentur, & ipse spiritus vitalis recreetur. Quomodo, aiunt, homines in aqua spirare & viuere possent, si his in thorace datum esset foramen aliquod ad aqua exitum: sed muti essent, quoniam vocis materia, nimirum aër in pulmonibus collectus, per eiusmodi meatum periret. Atqui nulla in piscibus eiusmodi pars interior apparet quæ hanc aëris ab aqua separationem molliatur. Adde quod in eo ipso in quo hi pro Galeno aduersus Aristo. decertant, Galeni sententiam deserunt. Nam hic cap. 9. lib. 6. de vsu partium, scribit, pisces per tenues branchiarum rimulas aërem attrahere, aquam cum qua aër permixtus, repellere (& certè hoc esset per branchias respirare) Hi verò aiunt à piscibus aërem cum aqua ore attrahi, deinde aërem in interioribus horum partibus retineri, aquam per branchias reici, sicque suffocationem impediri. Quod etiam si illi concederemus, non tamen per branchias, sed potius per os pisces respirare diceretur. Quoniam ore spiritum cū aqua ducerent, retentq; spiritu aquam per branchias expellerent. Et certè illi hoc facile cōcessuri videntur si modò quis attente consideret quæ ab eisdē scribuntur cap. 12. li. 3. de piscibus. Quod verò commemorant sine aere & aura vitali nūquam aquam esse posse: ac quoniā perpetuò & sine vlla intermissione cælestes orbis mouentur & vires suas in hunc inferiorem orbem demittunt, aërem cū vitali spiritu, quoquomodo omnibus commiscere indeque aërem & aquam perpetuò agitari etiam si placidum ventis staret mare: in eo errare videntur quod in hoc vitalem spiritum & cælestem ab aere nō distinguunt. Sicut neque in eo quod ab ipsa experientia contra eundem Aristotelem repetunt, si in vase oris angustū & aqua pleno concludantur pisces, illic viuere & natate, non in dies aut menses, sed in annos aliquot: At si vel manu vel aliquo operculo ita os vasis obtures, vt omnis aeri aditus intercludatur, subito suffocari. Cuius rei aiunt se sapius periculum fecisse. Quod sanè, inquit, non fieret si sola aqua ad refrigerationem satis esset. Hæc enim confirmant animalia imò verò animata omnia, cælesti quodam spiritu perfuso semper indigere, sine quo ne plantæ quidē possunt viuere. Quoniam vt Sol & homo hominem, Sol & Planta plantam gignūt: sic Sol horum vitam conseruat. At nihil pertinent ad manifestam respirationem de qua hoc loco in piscibus quærimus. In quibus si est aliqua, hæc certè tam obscura eiusque modus tam reconditus est, vt à candido lectore Aristoteles, si in ea non nihil peccauit, veniam facile possit obtinere. Vnum nobis est in huius doctrina explicandum, quomodo aër in respiratione dicatur interiora refrigerare cū suapte natura sit calidus.

Quod certè ex cōparatione tantum est intelligendum. Calidus enim aër est si cum aqua conferatur: frigidus, si cum calore vitali, qui in corde residens, respiratione temperandus est. Adde quod inspiratione & expiratione aër in pulmonibus sapius renouatur & agitatur. Hoc verò in illo refrigerationis causa est: sicut in ventis experimur & à nobis obseruatum est lib. 2. prioris nostræ descriptionis physica. Hoc verò etiam amplius intelligendum, in manifesta respiratione cū spiritus vel aër per os & nares attrahitur, non esse necesse, etiam in animalibus quæ pulmones habent, omnem eum qui per nares attrahitur, ad pulmones deferri: sed huius quandam portionem ad anteriores cerebri vetriculos excitari, sicut in fumida odorum exhalatione experimur. Nam vt à Galeno scriptum est libro de instrumento odoratus, cū euentissimum sit, eum quem grauedo capitis ob repletum crassis humoribus cerebrum opprimat, sternutamento iuari & ipsum cerebrum retentione spiritus impleri atque incallescere: æquum est cerebrum nunc spiritum trahere vt refrigeretur, nunc eundem reddere vt cum illo noxia à se expellat. Id verò fit per illius contractionem & dilatationem. Sed aliter quàm in ipsis pulmonibus. Illi enim cū excipiunt, dilatantur: cū expellunt, contrahuntur. In cerebro autem contrà accidit. Ex quo idem Galenus concludit, quod etiam Aristoteli placet cap. 9. lib. 2. de anima, nos non percipere odores nisi spiritum ducendo. Quoniam, vt ait, cū cerebrum in se colligitur atque contrahitur, tunc extrinsecus aër ratione continui sequitur & secum odorem defert. Reliqua nunc nobis est vna quæstio de facultate ad quam respiratione pertinet, & cuius hæc actio esse dicitur. De qua hoc primum expediamus, in totius corporis nostri perspiratione, refrigerationem per meatus occultos ab aere ambiente sua tenuitate substantiæ facile permeante nullius facultatis nostrum corpus regentis actionē esse, sed potius huius passionem, aeris vero ambientis actionem. Quod quidem facile concedetur ab omnibus qui in philosophia & medicina vel leuiter tantum erunt versati. Cordis verò diastolem & systolem, quæ hanc occultā perspirationem quodammodo habent adiunctam, facultatis cordi insitæ proprias actiones esse: quæ quanquam vt ab ea quæ hepatis insita nomine separatur, vitalis soleat appellari, quia in hoc cordis motu vitæ in animalibus cor habentibus, principium est & causa, tamen hoc ipso naturalis dici potest, quod eius actio in nostra voluntate non est: quoniam cū volumus neque hanc inchoare possumus, neque sistere. De manifesta respiratione, quæ in pulmonum dilatatione & contractione consistit, non eodem modo videtur esse statuendum. Nam quia hæc perficitur dilatatione & cōtractione thoracis ab huius musculis, quorum





motus liber est, & ab animali facultate per neruos libera quoque esse videtur. Siquidem author est Galenus initio libri. i. de motu musculorum, motus qui ex arteria & vena procedunt, naturales esse & voluntatis expertes: qui autem à masculis, animales & voluntarios. Ac idem lib. 2. vult voluntariarum actionum hæc esse signa, si sedare eas possumus cum volumus, sique eadem modò crebriores, modò rariore, itémque citiores & tardiores edere. Tale autem esse respirationis opus, inquit, declarauit seruus quidam barbarus, qui cum vehemēti ira concitatus mortem sibi consciscere decreuisset, prostratus humi respirationeque cohibita, longo quidem tempore immobilis extitit, postea verò paululum volutus, hoc pacto mortuus est. Modò tamen in hac quæstione teneamus, quod hic quoque admonet initio lib. 1. voluntatis nomine, siue hæc *προαιρέσις* siue *βούλησις* nominetur, animalem etiam impetum esse intelligendum: qui eius facultatis est quæ *ἔρμη* dicitur. Quoniam priora duo si propriè usurpentur, non possunt ad ea omnia animalia pertinere, cum quibus nobis est communis respiratio. Quibus omnibus illud etiam ex eodem lib. 2. de motu musculorum, addamus non esse existimandum actiones omnes, quæ sunt in dormientibus & profundiore somno oppressis, naturales esse. Quoniam, inquit, dormientes variè membra mouent & pleraque loquuntur: quorum neutrum in naturæ operibus potest numerari. Quæ omnia etiam si Galeno concedamus, non tamen erit facile ea quæ in contrariam partem afferri possunt, explicare. Quibus idem nonnunquam commotus hanc mediam actionem esse fatetur & facultatis naturalis atque animalis quodammodò participem: si modò eius liber est qui introductio, siue medicus inscribitur. Contra priorem opinionem multa commemorat Auerroes cap. 19. Sectionis. 1. collectaneorum de his quæ ad medicinam pertinent. Tandemque cõcludit probabilius videri respirationem compositam esse actionem, partim ad animalem, partim ad naturalem facultatem pertinentem, quàm animalem dici tantùm: & fortasse omnium optimè eos sentire qui illam naturalem potius quàm animalem esse dicunt. Atque in hac disputatione, logicarum artium ignoracionem Galeno obiicit: quod de propriis motus voluntarij instrumentis vitiosè cõcludere videretur. Quibus hoc non leue adiici potest, quamcunque animalis facultatis partem, ad actionē suam ab aliquo obiecto prius excitari: quod quidem sub speciem boni apprehensum moueat vel voluntatem propriè dictam, quæ hominum tantùm est, vel appetitionem animalem, quæ nobis communis cum belluis: deinde hanc per calorem & spiritum mouere ea instrumenta, quæ ad facultatis actionem sunt destinata. Sic enim animalem progressionis motum excitari

excitari Aristoteles docuit cap. 10. lib. 3. de Anima, & libro de animalium motu. Quare si respiratio animalis est actio libera, ea nunquā edetur nisi ab appetitione (sub qua etiam voluntatem cõplector) propositum finem habente. Hoc enim Aristo. eodem loco scribit. Finis verò ipsius sub specie boni antecedēs apprehensio vel rationis erit, vel certè imaginationis. Quod in animali motu contingere omnibus philosophis est manifestum. Atqui in dormientibus, nihil omnino somniationibus, neque ratio operatur, neque imaginatio. Nulla igitur apprehensio, nulla animalis appetitio, quæ ab obiecto sine excitetur. Et tamen in eis nulla est respirationis intermissio. Quo modo igitur hæc animalis actio esse dicetur? In quo mihi videntur dubitationem hanc verbo eludere (quanquā fortasse hoc illi ex Galeno) qui respirationē voluntariam esse dicunt, non *κατὰ προαιρέσιν*, sed *κατὰ ἔρμη*. Quoniam in dormientibus sine vllis insomniis, ne eius quidē facultatis siue partis quæ *ἔρμη* nominatur, motus vlli apparent: *προαιρέσις* verò multo minus. Moueor etiam eo quod animaduerto Galenū in diuidendis partibus vel facultatibus animæ harū sedibus distinguēdis, Platoni omnino assentiri huiusq; sententiā laudare cum aliis locis multis, tum maximè libris de Decretis Hippo. & Platonis. Ac Platoni *ἔρμη* in corde sedem habet (quod omnes mihi cõcedent, qui in huius doctrina sunt exercitati & ex cõmentario in caput proximū facilè intelligetur) Galeno autē pars animæ siue facultas, à qua respiratio, in cerebro est: quæ animalis appellatur: cum tamen hic fateatur ab animali impetu (sic enim *τὸ ἐρμη* interpretemur hoc tēpore) respirationem plerumque proficisci. Et certè Arist. sub finem lib. de animalium motu, sequutus hæc eadem fundamenta quæ paulo ante usurpauimus, somnum, vigilias, respirationem, non voluntarios motus appellat. Quoniam horum nulli, inquit, nec visio, nec appetitus planè imperat. Et cap. 6. libr. 8. Physicorum, eandem respirationem, cum accretione & decretione numerat inter motus naturales: quibus, inquit, vnumquodque animal agitur cum quiescit: nec eo motu cietur, quo à se ipso mouetur. Atque si de actione qualibet potissimum iudicandum est ex usu & fine (quoniam in hoc cuiusque summa & prima perfectio) respiratio quæ ad cordis refrigerationem potissimum est destinata, talis in hac relatione suapte natura censerī debet, qualis ipsius cordis in dilatatione & contractione ad eandem refrigerationem actio. Hæc verò quæ propriè vitalis, naturalis etiam appellatur, prout naturale animali ex altera parte opponitur. Et tamen ipsa respiratio animalis facultatis instrumentis, vt musculis & neruis, indigebit. Quia ipsæ facultates nostrum corpus regentes, in plerisque mutuis auxiliis se adiuuant. Quod



cùm accidit, tum ea quæ inferior est & posterior (non dico dignitate sed quasi nascendi ordine: quomodò se habet animalis ad vitalem, in his quæ sunt necessitatis) superiori obsequitur, vel ab hac quasi cogitur. Quoniam cordis actio ad vitã magis est necessaria, quàm motus vel sensus, quæ à cerebro per neruos & musculos proficiuntur. Itaque quanquam in ceteris neruorum & musculorum actionibus antecedere oporteat animi apprehensionem, quæ cùm appetitione hæc instrumenta moueat: in respiratione tamen hoc non est necessarium. Quia huius indigentia ad vitalem, animalis facultatis instrumenta quodammodo cogit. Quo fit vt etiamsi de dilatandis pulmonibus per neruos & musculos, nullo modo cogitemus, nullaque ad id nos commoueat imaginationis apprehensio, qua animalis facultas excitatur, respiremus tamen: imò plerumque dormientes, nihil omnino somniantes, id magis quàm vigilantes faciamus: quo tamen tempore animalis facultas à proprio munere omnino requiescit. Idque quoniam tum cordis calor maiore indiget refrigeratione. Ad quam cùm non sufficiat proprius cordis motus & arteriarum, huic manifestam respirationem subseruire est necesse: ad hancque superioris naturæ vi (superiorem verò dico, vt paulò ante monui, eam quæ magis vrget & sine qua altera consistere non potest, quo modò se habet vitalis facultas ad animale) quodammodo cogi musculos, & neruos in quibus sunt alioqui motus tantùm liberi & ab antecedente interioris sensus vel imaginationis apprehensione profecti, propria instrumenta: vel potius hæc supra naturæ suæ proprietatem ad totius hominis conseruationem, sua sponte obsequi. Modo fortasse ei non absimili quo in mundo grauius ad fugam inanitatis, sine externa vi sursum aliquando ascendunt & leuia descendunt. Quia naturæ cuiusque proprietates, vt inferior, semper cedit commoditati naturæ vniuersæ, tanquam superioris. Nec verò satis est quod Galenus lib. 2. de motu musculorum, longa exemplorũ enumeratione conatur efficere, plerasque alias animales actiones in dormientibus etiam profundissimo somno oppressis, apparere: vt eos in varias partes membra commouere: permulta loqui: nonnumquam etiam longum iter cõficere. Quoniam hæc omnia non sine quibusdam insomniis contingunt, in quibus viget imaginatio: in qua satis est virium ad mouenda propria facultatis animalis instrumenta. At in dormientibus non somniantibus, & tamen apertè respirantibus, nihil eiusmodi dici potest. Cùm in his ad dilatationem & contractionem pulmonum, thoracis musculos & neruos moueri certum sit: à qua tamen parte facultatis animalis moueantur, & quod obiectum interioris facultatem excitet, in talibus dici nullo modò possit. Et tamen

certissimum est, philosophis præsertim, sine hoc respirationem, actionem animale dici non posse. Nec enim satis est vt hæc eiusmodi esse dicatur, facultatis animalis instrumenta cooperari, sed multò magis facultatem ipsam ab obiecto primùm moueri necesse est, deinde hanc sua instrumenta mouere: sicut Aristoteles docet, cap. 10. libr. 3. de anima. Moueri autem illa ab obiecto nullo modò potest, sine huius apprehensione. Nulla verò apprehensio sine imaginatione: quæ in dormiente, nullo modo somniante, ad tempus omnino est sopita. Hæc de respiratione placuit colligere. Quòd in ea mihi longè facilius esset dubitando in partes contrarias, assensionem cohibere, quàm pro rato quicquam definire. Idque feci ea lege, vt apertè restari voluerim, me in his mihi adhuc non satisfacere: sed à philosophis omnibus & medicis vehementer expetere meliora.

2. Plato in Timæo, non vt medicus, sed vt philosophus, morborum causas explicat: in quibus hoc inter hunc & illum interesse Aristoteles obseruat libro de sensu, quòd philosophus in primis & generalibus conquiescit: medicus autem quæ specialia sunt persequitur: vt his scilicet faciendæ suæ artis rationem accomodat, quæ generalium cognitione non est contenta, sed etiam ad singula descendit, quemadmodum Galenus docet initio lib. 1. de arte curandi ad Glauconem. Medicus enim, vt idem Aristoteles ait lib. 1. Metaph. non curat hominem vniuersum, sed Socratem, cui accidit hominem esse. Morborum autem tria genera Plato facit: singulorum generum partes multas. Nam in primo enumerat quatuor elementorum, ex quibus nostrum corpus compositum est, excessum atque defectum, & ex loco proprio in alienum translationem. In quo complectitur omnem intemperiem, siue solam, siue cum humoris affluxu coniunctam, & tam simplicem quàm compositam. In secundo, naturæ contrarios affectus partium simularium: in quibus vt Aristoteles ait lib. 2. de partibus animalium, secunda est compositio ex quatuor elementis. Ex quo accidit, vt hi superioris generis morbos soleant habere adiunctos. Nam secundum naturam, inquit, Plato in Timæo, carnes & nerui ex sanguine generantur. Nerui quidem à villis & ligamentis propter cognationem, carnes autem à coagulatione quadam eius quod secretum à villis & ligamentis concreuit. Quod rursus à neruis & carnibus emanat, glutinosum & pingue, simul quidem carnem vt plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circundans nutriendo exauret. Quod rursus per ossium crassitudinem stillat purissimum triangulorum genus leuissimumque & pinguedine abundantissimum, dum defluit ex ossibus atque delabatur, medullam irrigat. Quatenus igitur singula hunc in modum sunt, bona valetudo seruatur: mala verò sequitur, quando fit contrarium. Nam quoties eliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis vna cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diuersis, amaritudineque & acidis falsisque infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quamplurimam. Quæ quidem omnia rursus sic genita & corrupta sanguinem ipsum imprimis inficiunt & ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, feruntur passim per venas nullo profus naturalis circuitus ordine obseruato. Deinde subiicit in secundo hoc genere, graues quidem esse passiones eiusmodi: quæ verò has præcedunt, longè esse grauiores, Quando videlicet os

ob carnis crassitudinem, respiratione non habet sufficientem, ideoque putredinis calore vexatum atque restrictum, alimenta non suscipit, rursusque ipsum in illam contra decidit frigiditatem: illa vero in carne, caro in sanguinem rursus delabitur, unde aciores superioribus morbi nascuntur. Extremum vero omnium est, quando medullae natura, propter defectum aliquem aut excessum aegrotat. Hinc enim omnium vehementissimi & ad mortem periculosissimi morbi proueniunt. Tunc enim omnis copago corporis necessario dissipatur. In tertio genere completur omnes morbos, qui aut a spiritu, aut a pituita, partibus etiam dissimilibus & organicis accidunt. Timaeus Locrus lib. de anima mundi & natura, de morbo ita loquitur. Morbi initia sunt, inquit, primarum facultatum intemperies ac immoderationes, sicubi redundent aut deficiant simplices illae facultates, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. Deinceps sanguinis mutationes ac variationes ex corruptione, colliquatque: carnis causa natae vitiositates, si quando per mutationes ad acerbum, salsum, acre, sanguinis mutationes, aut carnis colliuationes oriuntur. Hinc enim bili & pituitae origines existunt. Morbosi humores & humidorum putredines, exiles illae quidem sunt, quae ad imum vsque non perueniunt: difficiles tamen quae ortum & originem ab ossibus ducunt: molestae quae a medulla pendent. Extremi morborum sunt spiritus, bilis, pituita, cum augentur, & ad partes alienas aut loca periculosa fluunt. Tunc enim vice meliorum, membrum occupantia, & quae cognata erant abigentia, adherent illic, & corpora vexant & in sui tabem ipsa resoluunt. Gal. lib. 8. de Decretis Hippo. & Plat. In prima morborum specie a Platone posita, obseruat hoc inter illum & Hippocratem interesse, quod ille ut philosophus, nostri corporis constitutionem primam refert ad elementa quatuor, ignem, aërem, aquam & terram: hic, ut medicus, libro de natura humana, ad quatuor humores, sanguinem, pituitam & bilem, tam flauam quam atram. Et in eo Platonem laudat, quod similes partes ex quatuor humoribus siue ex quatuor elementis componi dixerit, ideoque earum morbos in secundo genere constituerit: at in alio eundem reprehendit, quod sanguinem inter eiusmodi partes similes numerauerit. Quippe qui, ut ait, primae non secundae constitutionis est. Idem lib. 1. de differentiis morborum, pro varietate eorum, ex quibus nostrum corpus componitur, morbos diuidit, in eos qui partium sunt similiarium, qui dissimiliarium siue organicarum, & qui utrisque sunt communes. Partiumque similiarium morbos docet aut in sola intemperie consistere, siue simplici, siue coniuncta, aut in ea quae materiae affluxum habet adiunctum. In organicis autem vel dissimiliaribus partibus, quoniam spectari solent, figura, magnitudo, numerus, situs eorum, ex quibus illae componuntur, pro horum varietate huius generis morbi ab eodem sunt distincti. De recentioribus nonnulli morbos similiarium partium triplices esse volunt: quosdam enim ad earum materiam pertinere: alios ad temperamentum: nonnullos ad interiorum formam, quae totius essentiae summa est perfectio. At mihi nemo persuaserit morbum vllum in essentiae formam, quae suapte natura impatibilis est, primo cadere: sed omnis videtur ad materiam vel ad materiae temperamentum pertinere: etiam si facile concedam hanc ut plurimum quidem manifestis qualitatibus oppugnari, nonnunquam vero occultis. In quo illi meo iudicio, morbum formae vel totius substantiae corruptelam inesse voluerunt. Sed ad hanc quaestionem tractandam exactius, locus alius nobis est destinatus.

3. Elementa quatuor vel fortasse potius elementorum primae qualitates, calidum frigidum, humidum & siccum, & in vniuerso hominis corpore, & in singulis eius partibus, certa quadam proportione, eaque ad cuiusque partis actionem accommodata, temperata

tur, non ea aequalitate quae rei est, sed quae rationis. In quo quamquam in animali viuo calor semper frigus superat, sicut & humor, qui calori pro pabulo est, siccitatem (neque enim, pace dixerim Galeni, in humano corpore sano potest consistere illud temperamentum, quod perfectissimam ponderis aequalitatem habet, de quo etiam alio loco pluribus ex Aristotele disputabimus) in prima tamen morbi specie, quae in intemperie consistit, excessus committi dicitur, quando una qualitas in contrariam plus habet virtutis, quam secundum naturam in corpore bene affecto habere deberet. Ut cum calor blandus alimentum coquens, in igneum vertitur, sicut in febris accidere Galenus dicere solet: aut cum humor pinguis, in quo nativus calor fouetur, sic excrecit, ut ab ipso calore amplius regi non possit. Defectus autem, cum frigus, quod quidem ut Aristoteles docet lib. 4. Meteor. deberet tantum calorem temperare, ne adurat, illum ita languidum reddit, ut pro plena coctione cruditas, hincque putredo consequatur, in qua morborum penes infinitorum est seminarium. Sic enim quamquam in contrariis, vnius excessus committi non possit, quin alterum oporteat deficere, vel certe languescere: duo tamen haec, in morbis penes principes duas qualitates duo vitae nostrae principia continentes, potissimum videntur esse distinguenda. Atque, ut Galenus ait cap. 8. lib. 2. de Temperamentis, cum propter certam ex quatuor illis qualitatibus temperiem, particula vnaquaeque propriam functionem habeat, necesse quoque omnino est, propter eius temperie vitium, aut prorsus functionem extinguere, aut languescere, aut alio quouis modo depruari: sicque vel in toto corpore, vel in aliqua parte animal aegrotare. Quam morbi speciem Aristoteles attingit Probl. 1. Sect. 1. Cur exuperantiae nimiae, inquit, committendi morbi vim habent? An quia vel excessum, vel defectum efficiunt? quae quidem re morbum consistere certum est?

4. Hanc humorum μεταστασιν Sebastianus Foxius Commentario in Timaeum, vult intelligi non humorum, a suo loco in alienum translationem, sed qualitarum in illis naturalium, alterationem atque immutationem. Quamquam utroque modo potest intelligi, eoque multorum morborum causam in se contineri: & ipsa alteratio, de qua Foxius, per quam naturae proprietates in humoribus immutatur, ad exuperantiam atque defectionem, quae primo loco posita est, potuit reuocari. Nec enim solum bilis in quantitate exuperat, vel deficit, sed etiam in qualitate, cum a naturae suae modo recedit. Atque hoc modo Plato videtur esse locutus, cum suae sententiae rationem ita expressit. Horum quatuor, inquit, non naturalis excessus defectusque, & ex loco proprio in alienum translatio, per quem quod sibi conueniens est non tenent, intestinam quandam seditionem & morbos inferunt. Quando enim praeter naturam vnumquodque sit, aut transfertur, calefcunt utique quae ante frigebant, arida madent, grauescunt leuia, & caetera omnia similiter permurantur. Solummodò vero idem aliquid sibimet secundum indem, atque similiter & debita proportione seruata, accedens vel decedens, permittit se idem sibi ipsi sospes integrumque manere. Quod autem aberrat, siue accedendo, siue decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Porro humores, si magna copia in aliquam partem confluunt, in hac tumorem praeter naturam pariunt, qui a Galeno lib. 1. de Differentiis morborum, in varias species distinguitur, pro varietate humoris influentis: siquidem aut sanguis, aut pituita, aut bilis, haecque vel flaua, vel atra, aut quid ex his permixtum, quae ab eo quod superat, diuersam quoque appellationem habet. Ad eiusmodi autem humoris confluxum, facile putredo accedit, quae morbi potissima causa est. Neque enim hoc loco agimus de figura partis,





mollius est, initio putredinis cum calor adhuc minus est vehemens, in pituitam conuertatur: deinde calore simul cum putredine aucto, ex alia carnis portione primum bilis flaua, postea atra gignatur. Sic enim in Timæo omnem tenerioris carnis eliquationem, vnâ cum spiritu faciam, quæ ex humiditate vento circumfusa tumescit, albam pituitam appellari vult, recentis item pituitæ residuum defluxumque, lachrymas atque sudorem. Portionem verò carnis vetustissimâ cum liquefcit, ad digestionem concoctionemque ineptissimam, propter veterem exustionem nigrescere ait: & quia contabuit, penitusque exarsa est, amaritudinem contrahere. Præterea flauum colorem cum amaritudine coire, quando ob ignis flammam noua caro liquefcit. In quo quod de pituita dicitur, id Galenus eodem loco partim approbat, partim reprehendit. De pituita alba, inquit, quod Plato ait eam ex bullis in se inclusis fieri, adeo quidem paruis vt videri nequeant, quæ tamen omnes speciem quandam exhibeant, qua talis color visui conspicuus reddatur, probabile est & rationi consentaneum. At ex colliquatione mollis carnis interdum phlegma existere, illud verò absurdissimum non esse nullo modo potest. Nisi quis, videlicet Prodicus, immutato nomine, amaræ bilis humoræ phlegma nominet, dicatque à verbo φλέγμα; quod est inflammari, eam appellationem habere. Sed nunc reliquam Platonis sententiam expendamus: vt in ea quid probabilitatis insit, videamus. Calor putredine auctus, igneusque factus, colliquationem humorum parere dicitur, primum quidem, vt antea obseruatum est, molliorum, & ad naturam aquæ magis accedentium, quales sunt pituitosi: postremò verò eorum qui terreni sunt, quales melancholici. Quemadmodum in hecticis febribus calor putridus colliquationem inducens, partium humorem primum exhaurit: deinde agit in carnosam substantiam, quæ circa tum fibrosas, tum membranofas corporum solidorum partes hæret: postremò ipsas partes solidas depopulatur: sicut docet Galenus, cap. 11. lib. 10. Methodi medendi. Neque verò omnino dissimile est, quod de colliquatione idem Galenus scribit cap. 2. lib. 3. de Symp. causis. Fit quædam velut colliquatio, inquit, siue resolutio, siue quomodoocunque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorû qui in venis sunt duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, aliàs in ventrem confluit, aliàs ad vrinas, aliàs ad sudores pellitur. Ac succis quidem qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes qui ad excrementum id trahendum sunt nati, potissimum cum sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam assidue mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, aut venæ eiusmodi in ventrem mittunt, aut toti corpori id patientes, subitaneos hydropum status inducunt. Si autem quod liquatum est, crassius sit, qualique renes trahere non possunt, totum in ventrem necessariò confluit. Carnoso verò genere ita colliquato, tum venter fluxionem eius recipit, vbi scilicet ea est crassior, tum sudores multi superueniunt: vbi in halitus est resoluta. Porro cum eiusmodi humores tres à sanguine sua ratione separati, pituita scilicet, & bilis vtraque, spectari à Medicis soleant, modò vt inter se permixti in massa sanguinis ad alendum apti, qui venis continetur: modò vt impurius sanguinis naturalia sunt excrementa, sua quantitate tamen adhuc naturam minimè lædentia (qua etiam ratione nonnunquam naturales appellantur) postremò vt non solum quantitate, sed etiam qualitate naturam lædunt, atque idcirco contra naturam omnino esse dicuntur: hic solo postremo modo Plato humorum originem exposuit, eamque ex ipsa putredine, quæ morbum parit, repetiuit. Quoniam hoc loco non agit de humoribus corpus nostrum componētib; sed de illis in corpore humano morbum facientibus.

6 De sudore sic Galenus libr. 10. de Facultatibus simplicium medicamentorû, Hic vnus est, inquit, humorum in animantis corpore prouenientium, eandem habens materiam quam vrina, & eundem generationis modum. Siquidem vitriæ ex bibito humore constat generatio, ex calfacto simul in corpore, & biliofa substantia nonnihil adepto. Verum sudor plus est elaboratus, vt pote qui ad cutem vsque permeatis omnibus quæ intersunt, partibus peruenit. Ex quibus intelligi potest, sudorem excrementum esse coctionis tertiæ, & partem quandam serosi humoris, qui cum sanguine in venis erat permixtus. Excitatur verò à calore meatu corporis aperiente, & interiore quodam spiritu pellente: vt colligi potest ex 2. Sectione Problem. Aristotelis. Idem autem Aristoteles Problemate 35. Sectio. 5. scribit, lachrymas sudorem esse quandam: atque idcirco has, sicut & sudorem, calore excitari, salsaque existere. De quibus sic Alexander Proble. 95. lib. 2. Quid est, inquit, quod lachrymas mouet, cum angimur? spiritus qui per anguorem affectus est. Hic enim ad cerebri membranam effertur, atque humorem ibi positum exprimit. Quod idem vel præ nimia læticia potest euenire. Ergo sudor & lachrymæ nõ tam feri partes sunt ex pituita (quod Plato ait) quam ex sanguinis sero quædam excrementa: eo tamen inter se conuenientia quod communem materiam habent.

7 λευκὰ καὶ ἀλφὸς Alcinous dicit: quæ à Celsò duæ vitiliginis species ponuntur, eisque tertia adiciuntur, quæ μέλας dicitur. De quibus sic ille scribit libr. quinto, Vitiligo quamuis per se nullum periculum affert, tamen fœda est, & ex malo corporis habitu fit. Eius tres species sunt. ἀλφὸς vocatur, vbi color albus est ferè subasper, & non continuus, vt quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur. Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit. μέλας, colore ab hoc differt: quia niger est, & vmbrae similis, cætera eadem sunt. λευκὴ habet quiddam simile alphi: sed magis albida est, & altius descendit, in eaque albi pili sunt, & lanugini similes. Vitiliginis autem formam hanc explicat Galenus libr. 3. de Symp. causis. Quando scilicet non tota caro vitiat, sed in summo corpore velut squamæ quædam enascuntur, vitiligo existit: alba quidem ex pituitoso, nigra ex melancholico succo. Eamque ait accidere ex vitio naturalis facultatis, quæ multo plus succi attrahit, quam vt eum vis alteratrix possit commutare. Ex quo multa excrementa gignuntur: quæ laborante quoque vi expultrice, in ipsis carnibus asseruantur. De quibus sic Plato in Timæo, alba pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa, difficilis: ad exteriorem cutim delapsa, mitior: sed corpus variis sordibus aspergit, albisque inficit maculis, atque morbos alios eiusmodi generat. Quanquam aliquando ἀλφὸς, pro vniuerso vitiliginum genere vsurpatur, vt in libro qui Medicus appellatur, & Galeno ascribitur. Morbû verò hanc accidere quòd vitiosus humor ex interioribus partibus corporis ad cutim feratur, docet idem Galenus Còment. in Aphor. 2. e. Section. 3.

8 Epilepsiam intelligit, eamque sacrum morbum appellat, quòd sacræ naturæ, id est, partis eius animi qua ratiocinamur, sedem in cerebro occupet. Sic enim Plato scribit in Timæo, Pituita atræ bili permixta, inquit, cum diuinissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet atque turbare. Si dormientibus id contingat, mitior: si in vigilantibus, expulsu difficilior. Cum verò sacræ naturæ languor hic sit, haud ab re sacer morbus est appellatus. Extrat verò inter opera Hippocratis liber de Morbo sacro, in quo eos reprehendit, qui morbum eiusmodi quasi diuina voluntate immissum, sacrum appellant. Quem librum quanquam Galenus Comment. 1. in Prognostica, Hippocratis esse neget, hic tamen libello



de Insania, illum citat ut suum: vbi etiam librorum de morbis popularibus mentionem facit. Aristoteles Problem. 1. Sect. 30. huius nominis aliam rationem reddit. Nempe quod Hercules, quem inter Heroas antiquitas coluit, frequenter hoc morbo corriperecur. Ex quo, inquit, & facer, & Hercules est appellatus. Eodēque loco confirmat quod ab Alcino hic dicitur, eiusmodi morbum esse ab atra bile, siue ab humore melancholico. Siquidem multos enumerat rebus gestis, & sapientia studio claros, qui cum maximè essent melancholici iudēque, ut ait, ingeniosi, hoc morbo frequentissimè vexati sunt. Quare inter epilepsiam & melancholiam familiaris est permutatio, ut docet Galenus cap. 6. & 7. lib. 3. de Locis affectis. Vbi in hanc sententiam commemorat illud Hippocratis lib. 6. de Morbis vulgaribus, Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & contra comitali morbo laborantes, efficiuntur melancholici. Quamquam eodem loco affirmat non solum ab atra bile, verum etiam à pituita nonnunquam morbum comitalem committi.

9 Pituita suapte natura frigida est, & humida, eoque dulcis, vel potius saporis expers, Galeno lib. 2. de Naturalibus facultatibus. Cum verò acuta est, vel falsa, tum gignendo morbo illam esse accommodatam, idem docet initio libri de atra bile. Talis verò efficitur, dum vel putrescit, vel permiscetur cum ferosa humiditate falsa, ut idem ait, cap. 6. lib. 2. de Differentiis febrium. In qua specie pituita inflammata, si quos febricitare contingat, illos eodem loco ait superueniente accessione non rigere, sed tantummodo horrere. Acida verò pituita, aut vitrea, si per sentientes corporis partes deferatur, eam sine febre rigores generare. Quod si vehementius putrescat, rigorem antecedere, febrem subsequi, superata frigiditate à multitudine caliditatis: adeò ut cum febris inualefcit atque consistit, illa non amplius sentiat. Rigorem autem ab horrore idem lib. de Palpitatione & tremore, ex eo distinguit, quod vbi deformis & inuoluntaria motio adest, & frigoris vis ad interiora penetrat, rigor dicitur: si verò sola corporis extremitas afficiatur, reliquo corpore immoto, horror. Vide cetera quae de horrore & rigore sunt à nobis contra Logodædalum disputata, capite decimoquinto.

10 Commune est Platoni cum Galeno, quod ut ille febres putridas in elementis versari vult, ita hic in humoribus, qui in humano corpore proportione respondent ipsi elementis. Sed hoc interest, quod cum bilis flava igni respondeat, atra terra, pituita aquae, sanguis aëri, ut ipse Galenus docet libro de Humoribus, hic in febre tertiana, sicut & in ardente, bilem inflammari vult, in quotidiana pituitam, in quartana atram bilem. Ex quo apud eundem quaestio existit, quae non est huius instituti, de ea putridae febris specie, quae sanguinea appellatur. Plato autem ardentem contingere scribit ignis excessu, quotidianam aëris, tertianam aquae, quartanam terrae. Idque, ut ait, quoniam aqua seignior est, quam ignis & aër. Terra verò omnium tardissima, quarto gradu cum sit, temporis circuitu quarto feruet. In quo manifestum est, cum in natura humoris putrescentis, causam quaesivisse accommodatam accessioni febris explicandae: atque idcirco quotidianam aëri potius, quam aquae tribuisse, quod aëris quam aquae motus sit celerior. De quo ita scribit Galenus lib. 8. de Decretis Hippocratis & Platonis. In hac oratione, inquit, primus error est, quod ad communia elementa omnibus corporibus, non ad ea quae in sanguine tantum sunt, redundantium per circuitum febrium causam reducit: cum melius ea quae manifestè in corporibus redundare conantur, curari possint. Secuadus error ille est, quod ad veram quoti-

dianae & tertianae febris causam ne propè quidem accessit. Nam cum euidenter pateat in quotidianis phlegmaticum humorem redundare, qui humidus & frigidus est: in tertianis verò flavam bilem, quam contra summè calidam ac siccam esse constat, debuerat dicere, in tertiana ignis, in quotidiana aqua elementum redundare: sicut & in quartana atram bilis humorem, & terrae elementum. Idem Commentario 2. in librum Hippocratis, de Natura humana, fatetur hanc Platonis sententiam aliqua verisimilitudine niti, sed eo quod res ipsa & experientia docent, conuelli. Accessionis autem per circuitus definitos repetentis causam, idem lib. 2. de Differentiis febrium, sicam esse ostendit, non in humoris proprietate, sed in eiusdem naturam grauantis copia. Ut scilicet tum illa repetat, cum in putredinis foco propter relictam quandam imbecillitatem, aut antecessentis putredinis reliquias, tantum humoris cogitur, quantum satis est ad naturam iterum irritandam. Quare cum in nostris corporibus, multò plus gignatur pituita quam bilis, & plus bilis flavae, quam atrae: multò quoque celerius ab illa, quam ab hac naturam irritari, atque idcirco quotidianas esse febrium in pituita putridarum accessiones, in bile flava tertianas, in atra quartanas. Quae omnia quoadiu inter se ratum quandam ordinem obtinent, tandiu, inquit ille, definitum circuitum accessionum permanere est necesse. Sicque in mulieribus etiam accidit. Siquidem in iis quoad equalis, & similis menstruorum causa permanet, idem etiam ipsorum circuitus seruetur. Id verò amplius significasse videtur Alexander Aphrodisiensis Problem. 3. lib. 2. Cur febris tertiana, inquit, quae ex bile, materia calida, agili, efficaci creatur, die vno intermisso accedit: quotidiana quae ex pituita prouenit materia frigida, graui, hebetè, nullum intermittit diem, quartana duobus diebus intermissis consistari incipit. Quartana cum exiguum materiae habeat, statim à sudore aut vomitu potest digeri. Itaque accessio ad tertium vsque diem extenditur, donec tantum materiae moueatur quantum valeat infestare. Quotidiana, quod ex larga crassaque materia oritur, frequens est. Morbum verò per copiam materiae augeri constat ex febre continente. Haec enim quia sanguine abundante prouenit, nullam obtinet intermissionem. Quotidiana tamen, quia minus quam continens habet materiae, nonnihil intermissionis, quod vel sensu percipi potest, ostendit: multoque amplius tertiana, quam materia calida & tenuis condidit: atque etiam longè amplius quartana. Quo enim minus materiae subest, eò lentius venit accessio.

Sed in ista sententia hoc dubitationem parit, quod in quibusdam naturis, ut in calidis siccis, vno die plus bilis gignitur, quam in contrariis frigidis humidis, duobus vel tribus: & bilis ipsa in quantalacunque quantitate vitium facere coeperit, vim videtur habere maiorem ad naturam irritandam, quam pituita quae in maxima copia est collecta. Quare videretur esse necessarium, febres ex putrente bile intermittentes, pro varietate naturarum quibus accident, accessionis formam frequenter immutare, si ex eopia humoris noui inter duos paroxysmos collecti, & naturam irritantis, accessio ipsa repeteret. At hoc vix vnquam immutari contingit. Itaque nonnulli non sine aliqua probabilitate, ad rationem Galeni adiciunt, ex proprietate humorum febres intermittentes committentium, in nonnullis propensionem esse maiorem ad putredinem, in aliis verò minorem, quae facit ut accessio in nonnullis celerius, in aliis tardius repetat. Pituita enim natura sua frigida, humida, quia in nostro corpore caloris, siue quo animalium



vita non potest consistere, impressionem magnam habet in ventriculo aut intestinis, in quibus putrere solet, & circo ad putredinem paratissima est. Sicut potest intelligi ex his quæ de putredine dicuntur ab Aristotele lib. 4. Meteor. Ideoque in corporibus in quibus adhuc reliqua est caloris febrilis quædam impressio, illa quotidie putredo, quotidianas parit accessiones. De reliquis vero dyobus humoribus, melancholicus, quia frigidus, siccus, difficillimè putret: biliosus, quia calidus siccus, facilius quidem putret, quàm melancholicus, sed difficilior quàm pituita. Ex quo in bile extra maiores venas putrente accessiones tertianæ, in melancholico humore quartanæ existunt.

Tres animi partes in homine primùm origine, deinde sedibus distinguntur: earumque distinctio variis rationibus ex Platone confirmatur.

CAPVT 17.

¹ CVM humanum animum immortalem (sicut postea demonstrabimus) mortalium generum formatores dii à Deo primo accepissent, ei partes duas mortales adiunxerunt. Quare ne vis animi diuina atque immortalis, mortali fatuitate impleretur, illam cum ad imperandum instituisset, in summa corporis arce collocarunt, ac eius domicilium in capite esse voluerunt: quod sua figura ipsi vniuersitati est simillimum. Huic autem aliud corpus ad obsequium quasi vehiculum subiecerunt. Quin & duabus partibus mortalibus singulis suas sedes distinctas dederunt. Irascenti quidem in corde, concupiscenti vero in parte media inter umbilicum & septum transuersum: his illam vnicientes quasi aculeo punctam & feram belluam. ² Pulmonem autem conformarunt cordis gratia mollem & exanquem, fistulosum & spongia similem: ut ab illo cor temperaretur iræ ardore exæstuans. ³ At iecur ad excitandam partem animi concupiscentem, eandemque sedandam, dulcedinis & amaritudinis particeps: atque ad eam diuinationem illustrandam quæ per somnia cõtingit. In eo enim propter leuorem atq; nitorem vim à mente manantem relucere. ⁴ Lienem iecoris gratia: ut hoc repurget nitidumque reddat. Ideoque corruptiones eas, quæ ex quibusdam morbis circa hepar nascuntur, in ipsum recipi. Triplicem autem esse animum eiusque partes secundum facultates at-



que rationes, suis locis esse distinctas, ex his perspicui potest. Imprimis quæ natura distinguuntur, ipsa quoque diuersa sunt. Natura verò distinguuntur passiuum, & ratiocinatum: quorum hoc quidem circa intelligibilia versatur, illud verò circa tristia & iucunda. Atque etiam præterea passiuum aliis quoque animalibus inest. Cum verò duo hæc natura diuersa sint, debent quoque locis ac sedibus separari. Quoniam plerumque inter se sunt disidentia atque pugnantia. Nihil verò secum pugnare potest, neque inter se contraria circa idem, eodem tempore possunt consistere. At in Medea iram cum ratione pugnantem licet animaduertere. Hæc enim eius verba sunt, Intelligo quæ factura sum, esse mala: ira tamen consilium superat. Itémque in ipso Laio Chrysippum rapiente, concupiscentia rationi aduersatur. Sic enim inquit, Heu, Heu, diuinum hominibus malum, quando quis bonum nouerit, nec tamen eo utatur. Ad hæc etiam diuersum esse passiuum à ratiocinatio, ex eo potest intelligi, quòd huius & illius diuersa cura sit: huius quidem in doctrina, illius in vita & morum consuetudine.

V. O.



O. V. DO. MAZILIO,
REGIS NOSTRI CHRISTIA-
nissimi Archiatro.

Iac. Carpentarius. S.



Quam multa habeant Philosophi cum medicis coniuncta atque adeo communia, dicere hoc loco pluribus V. O. si mihi apud alium esset agendum: non apud eum cui eadem perspecta sunt, & in cuius exemplo satis testatum habemus neminem esse posse summum medicum, qui non idem inter Philosophos excellat. Talia verò cum in hoc opere penè sint infinita, de iis maximè iudicium tuum expetimus, quæ superioribus duabus proximis digressionibus disputata, de natura oculorum modòque videndi & de respiratione: quæq; nunc sequuntur de distinctione facultatum animæ & partium corporis, in quibus ille residere dicuntur. Quoniam hæc, sicut scis, inter Philosophos & medicos non satis definita & à nostro Galeno abundè sunt tractata: qui in eisdem magna quidem ex parte inter Platonem & Aristotelem arbiter honorarius videri vult, sed hoc ita facit ut illius plerumq; amätior sit, in hunc iudex durior quàm philosophum deceat. Hæc si legeris quæ tibi deuota sunt & consecrata, in eis que singulari tua hu-



452
manitate fauendo, nostram industriam excitaueris, ma-
ius aliquid breui conabimur in interpretanda Cornelij Cel-
si medicina: praesertim in hoc adiuti eo exemplari quod
per aliquot menses nobis utendum dedisti. Modo tu qui
magno tuo merito maximoque patriae nostrae ornamento,
professionis medicae quasi clauum tenes, genus hoc exerci-
tationis in populari tuo tibi deuinctissimo non improbes.
Bene vale.



IAC. CARPENTA-
RII COMMENTARIUS IN

Caput. 17.

*In quo primum disputatur de origine animae, de distinctio-
ne principum partium vel facultatum, deque harum se-
dibus: quae digressio est nona.*



HC Alcinoüs indicat eam animae partem qua in-
telligimus & ratiocinamur à Deo rerū omnium
opifice esse datam: reliquas verò duas quarum
vna irascimur, altera concupiscimus, a diis mi-
noribus, qui illo ita volente, hominem confor-
marunt. Idque ut doceat solam illam primam
immortalem esse, reliquas duas mortales, & cum
corpore interituras. Quae etiam est sententia Procli lib. de anima &
dæmone. Animam in nobis rationalem, inquit, anima irrationali no-
biliorem esse dicimus. Quoniam illam quidem primus mundi opi-
fex procreauit: hanc autem dii iuuenes produxerunt. Quibus simil-
limum est quod à nostris dicitur quòdque ab Alcinoo significatum
videtur, ad finem capitis proximi inferiores duas animae humanae
partes traduci cum semine, solam tertiam extrinsecus aduenire &
Deo ita volente, cum ipso fœtu iam conformato atque animato vni-
ri. Quam si germanam esse Platonis sententiam concedamus, faten-
dum erit partes animae in nobis re substantiaq; esse distinctas. Quo-
niam non solum in corpore diuersam sedem habent, sed & originem.
Quod quanquam animaduertam plerisque placere, de eo tamen non
videtur eadem Plotini sententia. Hic enim cap. 19. lib. 1. de dubiis ani-
mae, docet primum sentientem animam ex se indiuiduam, circa cor-
pus diuidi: quia singulis eius partibus se accommodat. Deinde cum
rationem atque mentem omnino impartibilem posuit, quia scilicet
huius actio corporis instrumento non perficitur, quærit utrum hoc
RRR



quod in anima indiuiduum est, cum eo quod diuiduum, in vnum cō-
flari possit: an vt totum quoddam sit, ex partibus vtrisque videlicet
puris & per potentiam separatis. Tandemque hæc subiicit, Si quod
circa corpora sit partibile, inquit, à sublimiori potentia impartibili-
lem habet dotem, potest vtiq; hoc idem impartibile partibileque
pariter esse: tanquam tum ex hoc ipso, tum ex virtute quadam desu-
per in ipsum veniente conflatum. Apertius hoc idem declarat cap. 23.
lib. eiuſdem. Cum animatum corpus, inquit, sit ab anima illustratum,
aliam corporis partem dicimus aliter hinc accipere. Atque secundum
instrumenti aptitudinem ad opus, ferentem secum vim ad opus ac-
commodatam: sic nominari potentiam quidem in oculis visualem,
in auribus audituam, in lingua gustandi, in naribus olfaciendi com-
potem. Compotem verò tangendi ponere solemus in toto. Ad hanc
enim perceptionem corpus totum velut instrumentum animæ sub-
ministrare videtur. Præterea cum instrumenta tactus in primis sint
neruis, ad animalis motum vim habentibus, atque his vis eiusmodi
se accommodet: exoriantur autem nerui à cerebro, nimirum sen-
tiendi prosequendique initium totiusque penitus animalis hic potis-
simum collocarunt, hinc ad alia deriuantes. Vbi videlicet instrumē-
torum principia sunt, ibidem quod his vsurum est, collocantes. Sa-
tius vero fuerat illic principium operationis illius potentia ponere.
Vnde enim mouendum erat instrumentum, ibi oportebat quasi fun-
dari vim illam, artificis congruam instrumento. Imò verò non po-
tentiam, vbiq; enim potentia viget: ibi autem est principium a-
ctionis, vbi est initium instrumenti. Cum igitur sentiendi prosequē-
dique virtus in anima sensuali atque imaginatrice, supra se ipsam ha-
beat rationem quasi ad inferius propinqua: nimirum vbi hæc est in
supremo, ibidem posita est ratio ab antiquis, in summa animalis to-
tius arce, ipso videlicet capite. Non quia ratio sit in cerebro: sed in
hoc sensuali, per quod quasi medium ratio poni videtur in cerebro.
Sensuale quidem hoc oportuit attribuere corpori & illi membro po-
tissimum quod actionem eiusmodi suscipere posset. Rationem verò
nullo modo cum corpore communicantem, communicare profusus
oportuit illi quod est animæ species: animæ inquam potentis à ra-
tione non nihil accipere. Quod enim sensuale est, quodammodo e-
riam est iudex: & quod imaginale est, velut intellectuale videtur.
Quinetiam impetus atque persecutio phantasmam rationemque se-
quuntur. Illic igitur rationale est, non quidem vt in loco: sed quo-
niam quod est ibi, quodammodo sit rationis particeps. Quo autem
pacto sit sentiendi virtus & alia similiter, dictum est. Proinde cum
vegetalis & augendi nutriendisque natura nusquam desit in corpo-

re: nutriat vero sanguine, & sanguis nutritorius sit in venis ini-
tiumque venarum, & sanguinis in iecore, vnde vis eiusmodi niti-
tur: haud ab re hinc concupiscens animæ portio à veteribus est col-
locata. Quod enim gignit & nutrit & auget, hoc atque hæc necesse
est concupiscere. Cum verò tenuis, lenis, acutus, purus sanguis, sit
instrumentum iracundia congruum: huius fons videlicet vnde san-
guis eiusmodi ad æstum iracundia profluit, ipsum scilicet cor, ira-
cundia designatum est habitaculum. Qui locus Plotini in Plato-
nicorum doctrina dignissimus est obseruatione: Quoniam pluri-
mum valet ad intelligendum quomodo hi animæ substantiam vnã
ponere potuerint & eam tamen pro varietate trium facultatum pri-
marum tribus sedibus distinguere. Et certè Plato ipse in Timæo,
indicare videtur partes istas in anima non tam re esse distinctas quàm
in illam re ipsa vnã, iram & cupiditatem ex quadam corporis con-
tagione redundare: fontem verò ira esse in corde, sicut & cupidi-
tatis in iecore. Quibus si animam vinci contingat, contaminatur
& purgatione indiget: si autem hæc omnia aspernatur, aut sua ra-
tione reprimit, reditum in cælum habet maximè expeditum. Sic e-
nim hic loquitur. Hæc fatus rerum omnium opifex, inquit, in eo-
dem rursus cratere in quo mundi totius animam permiscens, tem-
perauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit,
modo eodem, non tamen perfectas similiter, sed & secundo & ter-
tio gradu à primis deficientes. Denique cum vniuersum constituis-
set, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas
adhibens eisque tanquam vehiculo impositis, monstravit vniuersi na-
turam, ac leges fatales edixit: ostendens quidem primam omnibus
generationem ordine quodam vnã fore, ne quis ab eo minus ali-
quid sortiarur. Satis autem & quasi sparsis animis per singula sin-
gulis conuenientia temporum instrumenta, fore vt animæ nasceretur
quod omnium animalium maximè esset diuino cultui deditum.
Esse autem naturam hominis geminam: cuius id genus fore præ-
stantius quod viti nomine sit appellandum. Cum verò animal cor-
poribus necessitate quadam inserta fuerint, & corporibus earum ac-
cesserit aliquid, vicissimque abscesserit, primum vtiq; necessa-
rio sensum vnũ omnibus intimum & nature coniunctum illic à
violentiis passionibus excitari, deinde voluptate ac dolore mix-
tum amorem, posthæc metum & iram, & quæcumque vel ista
sequuntur, vel ab istis vt contraria dissident. Hæc qui superaue-
rint, eos iuste victuros: iniuste vero, qui ab his fuerint supera-
ti. Atque cum qui rectè curriculum viuendi à natura datum



confecerit, ad illud astrum cui accommodatus fuerit, reuersum, beatam vitam acturum. Contrà vero agentem cogi ortu secundo, sexu mutato fieri mulierem: & qui ne tum quidem peccandi finem faciet, quatenus deprauatur eatenus in brutorum animam suis moribus similem permutari. Gregorius Nyssenus inter nostros Theologos nobilissimus, libro de anima & resurrectione, ex iis quæ cum religione Christiana consentiunt, de quæstione proposita sic statuit: nihil in anima eximium esse & insigne, quod non etiam diuinæ naturæ proprium sit. Qui enim, inquit, similitudinem Dei animam esse dixit, quicquid à Deo alienum est, extra definitionem animæ esse declarauit. Quoniam in diuersis ac differentibus similitudo conseruari non potest. Itaque quia nihil quod ad duas inferiores facultates, irascendi & concupiscendi, pertinet, in natura diuina cernitur, ne animæ quidem has insitas & coessentialia existimari rectè posse. Ex quibus tandem concludit, omnia hæc quæ ad inferiores duas facultates pertinent, nihil animæ esse, circa animam tamen existere: esseque velut verrucas ex cogitatriæ animæ parte enascentes: quæ partes quodam modò dici possint, quòd agnatae sint, nihil tamen eius sint quod animæ secundum naturam & essentiam inest. Et certè apud Platonicos meritò dubitari potest si omnes facultates ad vnam & eandem reuera animæ essentiam pertinent (de quo postea ex eorundem doctrina pluribus disseretur) cur ea sola pars, siue facultas qua ratiocinamur & intelligimus, à Deo patre immediatam originem habere dicatur, reliquæ à diis minoribus: aut quo modò illa sola immortalis, hæc mortales, quâdoquidem immortale cum mortali re vnum & idè nullo modo esse posse videretur. An dij minores facultatum siue partium animæ inferiorū authores esse dicuntur, quia ad has corpus præparant cuius ipsi primi opifices extiterunt? Hoc enim video placere Marsilio sicino cap. 3. lib. 18. Theologiæ Platonice. Ego verò in eadem Platonis doctrina dicere mallim humanam animam suapte essentia actum esse efficacem & ad ratiocinandum potentem, cuius solus Deus pater est opifex: quoniam ab illo solo manat actus omnis ratiocinandi & intelligendi, qui proprius est eiusdem essentia. Itaque solam facultatem ad intelligendum & ratiocinandum, quæ potens & efficax atq; ad agendum non ad patiendum comparata, ad eius essentiam pertinere, & ab illo Deo datam esse qui in eadem author est & opifex essentia. Reliquas verò duas, irascendi & concupiscendi, non esse ad agendum comparatas, sed potius ad patiendum. Quare has redundare in animam ex corpore, in quo principium est humanæ naturæ alterum, non ad agendum efficax, sed ad patiendum tantum comparatum. Ex quo est consequens, vt Dij minores qui cor-

poris humani formatores extiterunt, iidem authores esse dicantur in anima duarum harum facultatum inferiorum, quæ ex tali corpore in eam redundarunt. Non quòd illi nouam animæ essentiam adiecerint: sed quòd effecerint vt ex communicatione cum corpore, cuius ipsi formatores extiterunt, nouæ in illam facultates redundarint ad aliquid patiendum, quarum eadem suapte essentia omnino erat expertes. Itaque facultates hæc cum corpore enatae, cum eodem deponuntur, mortalesque idcirco apud Platonicos esse dicuntur. Quemadmodum in arte, vitia ex instrumentis enata, actiones artificis quantumuis perfecti, impediunt, etiamsi cognitionem eius siue peritiam nulla ex parte possint immutare. Ideoque pro instrumentorum varietate, artificis eiusdem actiones modò perfectiores sunt, modò imperfectiores ipsa artificis peritia, quæ artis ipsius cognitione continetur, nullam in se mutationem recipiente. In quo actuum omnium, siue formarum generalis quædam distinctio notari potest. Nam quæ formæ omnino expertes sunt corporis (in quo principium est passionum & mutationum omnium) hæc quoque omnino impartibiles sunt, & immutabiles, vt diuinæ intelligentiæ, quæ formæ metaphysicæ nominantur. Quæ verò corporibus omnino addictæ, vt purè naturales, hæc cum corporibus necessariò patibiles & mutabiles, ideoque ab illis inseparabiles & mortales. Media verò humana anima cum corpore deponit eas facultates quas hausit ex corpore, & ab illis Diis dicitur accepisse, qui corporis formatores extiterunt, retinet verò eam solam quæ propria est essentia, & quæ à Deo patre est ornata. Quanquam de hac distinctioe partium animæ, aliud visum est Galeno, non solum libris de Placitis Hippocratis & Platonis, sed in fragmento libri, De iis quæ medicè à Platone dicta sunt in Timæo, vbi ita loquitur, Superest, inquit, vt eorum mentionem faciamus, qui vnam asserunt esse animæ nostræ substantiam, quæ tres facultates rationalem, irascibilem, & concupiscibilem habeat: cum & ipse etiam Plato, tum sæpe aliàs, vt ostensum est, tum nihilo secius in præsentis quoque oratione, speciem animæ ipsam concupiscibilem esse dixerit: quæ haud aliam quidem in stirpibus, aliam verò in nobis, sed eandem naturam habeat: atque in iecore sedem obtinere, non eodem profecto loco vbi irascibilis & rationalis habitant. Quod tamen rationi consentaneum erat, si vnus substantia tres illæ essent facultates, quemadmodum illi asserunt, qui cor eiusmodi esse supponunt. Iure enim illi vnam statuentes substantiam animæ, tres ipsius esse maximè generales facultates esse dicunt. Plato verò non eandem esse rationalis partis animæ substantiam, quæ est ipsius irascibilis & concupiscibilis, sed inter sese diuersas asserit: ac sapius quidem rationalè



cum irascibili pugnare: nonnunquam verò irascibilem rationali aduersus concupiscibilem in corpore habitantem opitulari. Sed de hac re paulo post pluribus differetur. Nunc quoniam partis eius qua ratiocinamur, & intelligimus, originem Deo rerū omnium opifici Alcinoi attribuit, de ea quid aliis, atque etiam nostris, placuerit videamus. Mercurius in Pimandro, scribit ab vna totius mundi anima omnes animas profluere per ipsum mundum distributas atque circumcurrentes. Distribui verò Platonici aiunt per spiritum æthereum, quæ animæ curriculum in Phædro, eiusdem autem vehiculum Plato vocat in Timæo: cuius beneficio cum hoc corpore elementari & terreno coniungitur. Atque ita coniungitur, vt eiusmodi consortio vehiculi puritatem valde fedari contingat, simulque mentis in intelligendo facultatem hebescere. Si quando verò in vita hac eadem mens ad tempus aliquod neglecto hoc impuro corpore, ad suum vehiculum redierit, excitatiue huius ætherei liberiores motus sequi cœperit, tū eam diuina sapere: dæmonum, qui eodem æthereo corpore vtuntur, colloquio frui, & absentia nihilominus quàm præsentia intueri. Quod philosophandi genus quadam ex parte secutus Aristoteles videri potest, cum cap. 3. libr. 2. de Animalium ortu scribit, eam animæ facultatem quæ propria mentis est, corpus aliud participare, hocque magis diuinum esse, quàm ea quæ elementa appellantur. Atque illud certè est aliud corpus, quod Alcinoi hoc loco rationi in capite, vclut in arce ad obsequium subiectum esse ait. Illo verò loco etiam si nominatim Aristoteles scribat, eandem mentem extrinsecus aduenire, nec eius actionem cum corpore communicare, ideoque immortalē esse, & à corpore separabilem: quia tamen non explicat, quæ eius conditio fuerit, priusquam cum corpore coniungatur, aut quomodo huic adueniat, in eo, meo quidem iudicio, nō est satis authoritatis ad docendum quod nonnulli persuadere conantur, hinc scilicet credidisse reliquas animæ facultates de seminis potestate excitari: illam verò sua substantia cælestem in fœtum conformatum, atque iam animatū diuinitus immiti. A Galeno verò, quid in hac quæstione expectare possis dignum Philosopho, cum dicere soleat, non aliam animam videri à temperatione eorum ex quibus corpus componitur: aut nescire se, si immortalis est, vt Plato affirmat, cur separetur valde refrigerato, vel excalesceto, vel exsiccato, aut humectato cerebro: D. Hieronimus in epistola ad Marcellinum, de eadem quæstione has veterum sententias colligit. Lapsam eam, inquit, de cælo esse. Pythagoras omnesque Platonici & Origenes putant. A propria Dei substantia orti volunt Stoici, Manicheus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses. Alij volunt in Dei quasi thesauro conditas: alij ex traduce, vt Tertullianus,

Appollinarius & maxima pars Occidentalium: vt quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animalibus conditione subsistat. Et idem in epistola ad Pammachium. In Adamo quidem ceterum est, inquit, animam insufflationem Dei fuisse: at Eva in cuius faciem non insufflauit Deus, vnde animam habuit? Cain & Abel primi ex primis hominibus, vnde habuere? Diuus Augustinus epistola ad Diuum Hieronimum, de eadem re has quæstiones proponit, vtum ex vna anima quæ primo homini data est, cæteræ propagentur? An singulis hominibus nouæ à Deo fiant quæ insufflentur, quemadmodum in Adamum? An alicubi iam existentes, vel mittantur diuinitus, vel sua sponte labantur in corpora? Idemque lib. 1. Retractationum, fatetur se adhuc ignorare animæ originem: & in epistola ad Opratum, scribit de ea in religione nostra tuto disputari posse. Quia in Christum non credimus, inquit, vt nascamur, sed vt renascamur: & quocumque modo nati fuerimus, semper agnoscimus in renascendo idem Dei beneficium. Itaque quanquam de hac parte qua ratiocinamur, & intelligimus, Theologi in eo omnes ferè consentiunt, quod illam reuera incepisse volunt, nunquam interituram: de cæteris tamen quæ ad eiusdem naturam & originem pertinent, in varias opiniones sunt diuisi. Nam præter eos qui sunt enumerati, Theodoretus Cyrensis lib. 5. de Curatione Græcarum affectionum, de ea sic scribit. Omnes sacri doctores, inquit, concordatione nos docent, ex terra & aqua cæterisque elementis, humanum corpus effectum esse, animam verò nequaquam ita in corpus demissam, vt antea per se subsisteret: sed corpore iam plasmato creatam esse. Plasmavit enim Deus hominem, puluerem sumens de terra: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, factusque est homo in animam viuentem. Neque verò intelligendum est, inspirationem hanc fuisse quandam anhelitus defluxum, qui de ore Dei prodierit (incorporeus enim Deus est, idemque simplex, neque compositus) sed ipsam animæ naturam, spiritum esse præditum ratione & intellectu. Eodem loco, hoc etiam commemorat ex Mose, Exodi vigesimoprimo, de pragnante muliere, quæ plagis affecta pariat abortiuum, formari prius in aluo matris infantem, ac tum denique perfecto corpore animari, non ita quidem vt anima præexistens, alicunde corpori inseratur, neque vt enascatur è semine: sed diuino instituto, sicut ab initio insita nature lex fuit, creationem accipiat. Alia verò est sententia Gregorij Nysseni, hæcque in Theologo obseruatione dignissima. Quam sic explicat libro de Anima, & resurrectione. Restat, inquit, secundum ea quæ antehac examinauimus, vt quærat^{ur} quando ani-

mae principia sui ortus & existentiae habeant. Nam si datum fuerit, & ante corpus in peculiari quadam statione anima uiuat: omnino necesse est, ut absurdas illas sententias, & fictas opiniones eorum, qui propter vitiositatem animas in corpora deduci volunt, vires habere putemus. Enimvero posteriorem esse originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente praeditus in animum induxerit: quum manifestum ac perspicuum sit omnibus, quod nihil ex inanimis habeat in sese vim mouendi, pariter atque crescendi. At eorum qui in utero nutriuntur, neque incrementum & augmentum, neque de loco ad locum motus controuersus, & ambiguus est. Relinquitur igitur, ut putemus vnum & idem animae & corporis constitutionis principium esse. Ac quemadmodum terra, si surculum ab radice auulsum ab agricolis acceperit, arborem inde efficit, non ipsa vim aulescendi ei quod nutritur iniiciens, sed incrementi duntaxat materiam atque subsidium sibi insito immittens: ita dicimus etiam id quod ex homine auellitur ad hominis stationem, ipsum quoque aliquo modo animal esse ex animato animatum, ex eo quod nutritur, id quod nutritur. Quod si non omnes animae efficientias, pariter ac motus, exiguitas surculi auulsi capere potuit, nihil mirum. Neque enim in semine frumentum, quod quidem appareat, protinus spica est (nam quo pacto tantum in tantillo locum habere potuerit?) sed terra frumentum conuenientibus, & aptis nutriente alimentis, in spicam frumentum euadit, non immutans in gleba naturam, sed exerens ac prodens, & absolutum ac perfectum sese reddens auxilio nutrimenti. Quemadmodum igitur in nascentibus seminibus, incrementum paulatim ad perfectionem progreditur: eodem modo quoque in hominum formatione atque constitutione, pro ratione ac proportione corporeae magnitudinis, animae quoque potentia apparet, atque elucet, primum quidem per vim alendi simul atque augendi, iis quae in utero effinguntur, sese insinuans, at innascens. Posthaec vero donum sentiendi in lucem productis inducens, atque ita deinceps quasi fructum quendam, aucta iam planta mediocriter exerens, ac prodens ratione praeditam vim, non vniuersam simul in vnum conductam repente, sed vna cum surgente & excrecente planta per consentaneum & competentem progressum, atque profectum crescentem & aulescentem. Eadem sententia repetita est, & ab eodem auctore pluribus exposita cap. 30. libr. de Hominis creatione. Cum vnus homo sit, inquit, qui ex anima constat, & corpore, vnum ei & commune dare oportet institutionis exordium, ne sibi ipse anterior posteriorque videatur, ut corporis in eo conditio prima, & secunda constat alterius. Et in praesentia quidem diuinam virtutis, omnem plenitudinem humanae

nae conditionis ante subsistere profiteamur, testificante in hoc nobis Propheta, qui dicit, Nosse Dominum omnia antequam fiant. In singulorum vero conformatione alterutrum non praefereamus alteri, nec ante corpus animam, nec e contrario dicimus: ne diuisus homo iuxta differentiam temporis, in semetipso discedat. Nam cum duplex intelligatur nostra natura, secundum doctrinam Apostoli, visibilis scilicet hominis & latentis, si aliud quidem ante subsistat, aliud autem post superueniat, imperfecta quidem virtus videbitur conditoris, quae non simul utrobique sufficiat, sed diuiso opere in singulorum meditationibus occupetur. Quemadmodum vero in tritico, aut in alio quolibet semine, cunctam speciem spica videmus quadam potentia comprehensam, hoc est, foenum, culmum, internodia, nec non fructum, atque aristas, & nihil eorum ante subsistere in naturae ratione, aut post accidere dicimus, sed insitam vim semini quodam naturali omine declarare, nec aliam ei superinduci naturam: iuxta hanc rationem, & humani causam seminis opinamur existere, quod in prima constitutionis occasione, satum quidem simul est iuxta naturae potentiam, tenditur vero & declaratur quadam consequentia naturali, ad id quod perfectum est promouens, nec aliquid extrinsecus ad occasionem suae perfectionis assumens. Semetipsum namque ad id quod perfectum est, consequenter extendit, ita ut nec ante corpus animam, nec praeter animam subsistere corpus affirmari veraciter possit, sed utrum sit prius principium iuxta altiore quidem rationem, in prima voluntate Dei dispositum, iuxta alterum vero in generationis occasionibus institutum. Sicut enim non potest membrorum distinctio ante formationem, in eo quod ad corporis conceptionem iacitur, inspicere: ita nec animae contemplari proprietates in eo possibile est, priusquam exeant in operationis effectum: & sicut nullus ambigit, in membrorum & viscerum differentiis illud quod est depositum, figurari non alia quadam subintrante virtute, sed ea quae inserta naturae est, ad hanc operationem sese virtute ingerente: sic & de animae portione rationali similiter arbitrantur. Quia & si nondum per aliquas visibiles operationes agnoscitur, nihil tamen in eo vnus rei existere peruidetur. Nam sicut species hominis in eo est vi quadam atque potentia, latet autem propterea quod nequeat apparere priusquam necessario sinat atque permittat: sic & anima est quidem in illo, licet nondum appareat: apparebit autem proprium & naturalem operationis effectum, corporali simul incremento proficere. Ego quidem memini Commentario in libr. 4. prioris nostrae descriptionis Physicae, de reliquis facultatibus quae cum belluis & plantis sunt communes, idem a nobis esse significatum: sed mirum est profecto virum Theologum, &





inter Theologos nota optimæ, hoc etiam ad eam facultatem qua ratiocinamur & intelligimus, quam Aristoteles cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu, solâ extrinsecus aduenire scribit, pertinere voluisse: de qua eodem capite hæc subiicit. Quemadmodum iuxta corporis portionem, inquit, non illud dicimus carnem, & ossa vel capillos, vel quæcunque conspicimus in homine, sed vi quidem atque potètia esse horum singula, nondum verò visibiliter apparere: sic etiam iuxta animæ portionem, necdum quidem rationale eius & irascibile, & quæcunque de anima considerantur, locum in illo habere memoramus, proportionem verò formati corporis, & consummationem etiam simul effectus animæ dicimus, cum subiecto proficimus. Sic enim perfectus homo inter maiores obtinet animæ operationes effectum, in exordio suæ constitutionis aptos & congruos, in se præsentis vsui animæ demonstrat aditus, vt sibi per infusam materiam aptissimum domicilium formet. Nec enim possibile esse credimus, in alienis ædificiis animam competenter inseri, sicut non potest impressum cera signaculum, alienæ prorsus sculpturæ congruenter aptari. Quemadmodum verò corpus ex paruo procedit, ad id quod est perfectum: sic & operationes confertæ animæ subiectæ similiter concresecunt & proficiunt. Proccedit quidem ea in prima constitutione, velut quædam radix abdita cavis tantummodo quæ nutritis ac incrementis est distributa (nec enim paruitas sumèda amplius recipit) deinde cū ad lucē prodierit, id quod insertum est, germenq; protulerit, tunc in eo gratia sensibilis efflorescit, iamq; coalescens, & in magnitudines cōpetenter excurrēs, veluti fructus quidam, rationalis virtus incipit elucere. Quæ quidē omnia ex D. Gregorio Nysseno pluribus commemorare placuit, vt intelligeretur hunc non modò earū partium, vel facultatū animæ quæ in suis functionibus cū corpore manifestè cōmunicant, principia in semine posuisse, quæ tēpore progrediente in cōformatione fetus, & hominis perfectione suas actiones tū possint edere, cū partes organicæ ad has necessariae, sunt conformatae: sed idē quoque statuisse de ea qua ratiocinamur, & intelligimus. Quā ceteri Theologi vidētur excepisse: ne eodato, hanc cum semine traductā, & cum corpore cōmunicantē, mortalē fateri cogerētur. Et certè D. Thomas Sum. 1. quæst. 118. art. 2. negat hanc, quia immaterialis est, causari per generationē: sed solum per creationem à Deo. Quoniā, inquit, ponere animā intellectiuā à generante causari, nihil est quàm ponere eā non subsistentē, & per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo hereticū esse scribit, dicere eam traduci cū semine. Quod idē pluribus rationibus cōfirmat cap. 86. lib. 2. contra Gētiles, quas mihi satis est hoc loco indicasse. Et cum cap. 58. libri eiusdem, confirmare esset conatus in nobis re vnam &

eandem esse substantiam animæ nutritis, sentientis, & intelligentis, hincque dubitatio eiusmodi existeret, si sentiens anima, re eadem sit cum intelligente, illaque de semine excitetur, an non etiam efficiatur intelligentem de eodem excitari, & illi potius facultate fuisse infusam, cap. 88. dubitationem hanc conatur explicare: sed ita sanè, vt in hoc pleraque vsurpet, in quibus, vt liberè dicam quod sentio, mihi nō satisfaciit. Quo etiam loco quasdam ex superioribus Gregorij Nysseni rationibus improbat: atque dubitare videtur an liber is ex quo illa antea deprompta sunt, verè ipsi Gregorio ascribatur. Et certè mihi proprius est, & tutius esse videtur, de iis quantum quidem in religione nostra conceditur, dubitare: quam pro rato quicquam affirmare. Etenim si fetus initio conformationis, plantæ modo viuit, sensusque expers est: deinde post aliquod tempus, sicut Aristoteles scribit cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu, sentire incipit atque moueri: tandem verò ac postremò planè conformatus, anima intelligente perficitur, quæri merito potest, quomodo prima animæ pars quæ præstat fetus tantum, vt viuat more plantæ, se habeat ad secundam, per quam efficitur animal, & hæc ad tertiam, qua efficitur homo? An secundæ aduentu prima deletur, aduentūque tertiæ secunda, quod D. Thomas locis superioribus scriptum reliquit? An verò in perfecto homine omnes illæ animæ suis gradibus distinctæ manent, vt in eo qui res vna est composita, non vna forma, sed plures esse dicantur? An potius secundæ aduentu, prima quidem adhuc continetur, & aduentu tertiæ secunda, sed tantum potestate: quemadmodum in ternario binarius est, & in quaternario ternarius, ita tamen vt singuli hi numeri ita spectati, vnus speciei sint & simplicis? Hoc enim Aristoteles indicare videtur libr. 2. de Anima, cū in his siue partibus, siue facultatibus animæ, talem ordinem constituit, qualis est inter species numerorum atque figurarū. Neque verò satis philosophicè dictum esse videtur, quod quodam loco in disputatione contra Cardanū, scribit Iulius Scaliger, in hominis procreatione nouam animam à cælo creatā post fetus articulationē aduenire, qua anima, tūc massa illa, homo efficiatur. Quæ cū secū afferat omnes perfectiones, neque necesse esse antegressas animæ partes manere: neque propterea dici debere fetus emortuo hominē nasci. Quoniā, inquit, nullū intercedit tēporis intervallū inter vitā priorē & posteriorē. Atq; hæc quidē de nostrorū opinionibus. In quibus quanquā illi inter se sint varii, hoc tamen omnes retinere vidētur, in quo cū Platonicis & Peripateticis cōsentiūt, quod animā humanā mediā esse volūt inter formas omnino diuinas & naturales. Diuina enim neq; incipiunt neq; desinūt: naturales cū corpore incipiunt, etiā si vt antea dictū est, cœlestē habeant originem, & cū



eodem desinunt. Illa verò incipit quidem, nunquam verò desinit. Vt in eo scilicet quod reuera incipit, cum naturalibus formis communitur: quod verò nunquam est interitura, hoc ipso diuinas formas imitetur. Quod vtrum vlli formæ posset accidere, Aristoteles ex naturæ principis in Metaphysicis dubitauit, sicut postea capite proximo disferetur. Iam verò ad ea intelligenda quæ hoc loco sequuntur, de distinctione partium animæ pluribus disseramus. Plato lib. 4. de Rep. disce-
re nos ait vna animæ parte, altera irasci, tertia concupiscere voluptates eas quæ ad mutationem generationemque pertinent: sed non facile discerni posse, vtrum vnumquodque horum totius animæ sit, an vt hæc diuersa sunt, sic ad distinctas eius partes pertineant. Deinde quoniam quod omnino idem est, non potest secundum idem, ratione eiusdem simul contraria facere vel pati, anima autè in impotentibus & intemperantibus idem simul appetit & fugit, concludit animæ primam distinctionem faciendam in species duas, siue partes (sic enim in re proposita modò speciei, modò partis nomine, sine distinctione vtitur) vnam qua ratiocinamur, alteram quæ rationis est experta. Atque hanc rursus in duas partes esse distribuendam, quarum vtraque (quod etiam Aristoteles scribit cap. vltimo libr. 1. Ethic.) rationis experta esse dicatur, sed non eodem modo. Distinctionis verò in earum trium facultatum sedibus, nullam eo loco mentionem facit. Sed in Timæo hanc manifestè explicat, atque rationem in cerebro, iram in corde, cupiditatem in iecore statuit. Vtrum autem hoc ita faciat, quasi animam substantia triplicem esse velit, an verò substantia vnam, facultate triplicem, pro varietate partium in quibus illarum facultatum actiones primùm apparent, & earum primaria instrumenta sita sunt, hoc inter Platonicos, & eos qui hac in parte Platonem cum Aristotele comparant, non satis videtur esse definitum, Galenus vt antea significatum est, libris de Placitis Hippocratis & Platonis, in eo ferè totus est, vt persuadeat Hippocratem & Platonem, animam substantia triplicem, sedibus & locis distinxisse: atque hac in parte melius sensisse, quàm Stoïcos & Peripateticos. Sed hoc, pace eius dixerim, non tam illorum testimoniis confirmat, quàm pro sua autoritate ponit. Verùm forrasse hoc illi dandum est, vt animam substantia distinguat, qui eam vix aliam esse arbitratur, à temperamento partis in qua dicitur sedem habere: quia aut in illa sita sunt, aut ab ea originem capiunt prima ipsius facultatis instrumenta. Sed aliud visum est Plotino locis variis, ex quibus vnum paulò ante indicauimus: itèmq; Marsilio Ficino Platonis interpreti in eiusdem doctrina exercitatissimo. Nam vt sensus interpreti in ipsa suæque substantia vnus & simplex, in diuersis corporis

partibus quas habet pro instrumentis, diuersus quodammodo esse videtur, eoque etiam ab Aristotele dicitur habere rationem centri in circulo, omnes lineas vna ex parte vniuersis: sic ille libro septimo Theologiae Platonice, variis argumentis conatur efficere animam in nobis suapte natura nullam diuisionem cum corpore recipere, diuidi tamen pro varietate facultatum quibus diuersæ partes in corpore subserviunt. Idèmq; in hanc sententiã interpretatur cum Platonis locum quem ex lib. 4. de Rep. paulò ante commemorauimus. Apertius hoc ipsum idem Marsilius testatur libro 2. suarum epistolarum ad quendam Alamannum Donatum, ad quem ita scribit. Quæris, inquit, Nunquid Peripateticis illis adhibenda sit fides qui Platonem quod plures in homine animas scilicet rationalem, irascibilem, concupiscibilem collocauerit, calumniari non dubitant? Respondeo equidem vnam tantum esse animam, per quam pluribus eius viribus hæc omnia facimus. Quemadmodum corpus ignis vnum, tribus qualitatibus sufficienter agit tria. Luce enim fulget atque illuminat: Leuitate celer ascendit, calore calefacit & vrit: atque in qualibet ignis particula pariter tres hæc facultates vigent, suntque loco simul, quadam tamen inuicem proprietate distinctæ, sic animæ substantia vna eadèmq; sufficienter posse videtur tribus viribus officia exequi tria: videlicet ratione tanquam luce quadam, verum bonumque à falso maloque discernere. Appetitu in super quasi leuitate, ad ea quæ placent facillimè se conferre. Animositate rursus iracundiæque feruore ceu calore quodam, in ea vel consumenda vel propellenda efferri quæ aliquando ipsam ab eorum quæ petit, consecutione impedire posse videntur. Quid prohibet quominus vna sit anima viribus tribus munita, quæ quauis proprietate inuicem discrepent, vbique tamen in eadem anima simul sint, vbicunque tota simul est anima? Idem ille confirmat in anima mundi, cum sententiã Platonis explicat lib. 10. de Legibus. Caue, inquit, vbi Plato dicit mundum gubernari ab anima scilicet sua, quod addit geminam esse animam vnam quidem beneficam, alteram verò contrariam, ne substantiam accipias geminam, sed potentiam. Si quidem in anima mundi atque cælesti, potentia est altera quidem motrix corporum, intellectualis altera, Intellectualis certè benefica est, ordine cuncta disponens. Motrix vero catenus benefica id est ordinatrix, quatenus subest alteri. Cui quidem nisi subesset, quanto efficacior est ad motum, tanto magis carens arte, præcipitaret vniuersum atque confunderet. Cardanus lib. de animi immortalitate, eandè fuisse arbitratur Platonis sententiã, Galenũque infectatur quod persuadere voluerit animæ substantiam non virtute tantum, sed sedibus & membris ab illo esse distin-



Etiam. Et certè si apud Platonem hominis anima ei responderet quæ in
in vniuerso est, imo, vt quidam dicere audent, hæc ex illa quodam-
modo emanauit, vt nostrum corpus ex illius corpore, quemadmo-
dum in vniuerso vna & eadem re ipsa anima communis est, sed vt di-
ctum cap. 12. ex eiusdem atque alterius potestate ita commixta vt in
illa, idem supremi orbis conuersioni accommodetur, alterum septem
orbibus inferioribus: sic certè anima nostra re vna erit, eaq; vt Plu-
tarchus docet libro de eius procreatione, iisdem principiis constans,
mentem (cui idem responderet) ad rerum intelligentiam adhibebit &
in cerebro tanquam in arce sedem habere dicetur. Non quòd eius
vera actio cum corpore communicet, aut huius parte aliqua organi-
ca indigeat, sed vt ait Marsilius Ficinus in cap. 13. lib. 1. Plotini de
dubitiis animæ, quoniam in eo sedes est phantasia quæ rationi est pro-
xima & illius quædam imago. Ad alterum vero, quod principium
est mutationis, pertinebunt concupiscentia & ira: quoniam hæc ex
corporis mutationibus pèdèr, atque idcirco in inferioribus eius par-
tibus, iecore scilicet & corde, sedem habere dicuntur. Neque verò
ab illa sententia hoc debet reuocare quod ex 4. de Rep. dictum est in
impotentibus atque intemperantibus animam eodem tempore circa
rem eandem in contrarias partes affici: illam scilicet simul appetendo
& fugiendo. Si quidem hoc potius arguit animam eandem sub ratione
diuersa, rem eandem apprehendere, quam illam re diuersam esse. Vt e-
nim eadem anima re ipsa (sicut Aristoteles docet cap. 7. lib. de sensu)
simul eodemq; temporis puncto sentire potest calida & frigida, alba
& nigra, sed ratione varia, nec sub eadè rei obiectione imagine: sic cum
voluptas corporis aliqua impotenti attentius omnia consideranti se
obicit sub specie mali, fugienda videtur: eadè vero cum negligenti-
us expenditur, aut vi perturbationis de corpore enatæ, falsam boni
imaginem rationi ostendat, accidit vt ab illo etiam appetatur. Et quã-
quam reuera eiusdem animæ hi duo motus sint, tamen propter huius
maximam in suis functionibus celeritatem, accidit vt vnum facere
videantur. Quod in iis quæ ad vitam & mores pertinent non video
cur magnopere mirari debeamus: cum in veritatis contemplatione
idem contingere frequenter animaduertamus. Etenim cum ad vnam
rem suppetunt in contrarias partes paria momenta rationum, tum a-
nimæ eadem pars, tempore indiuiso (hoc enim facit in eius motibus
celeritas admirabilis) in contrarias opiniones distrahitur, pro varietate
argumentorū quæ occurrunt. Atq; duæ illæ opiniones, sunt quidem
eiusdem partis animæ vel facultatis: sed cū in earum vna veritas insit,
in altera falsitas, illæ non sunt eodem argumento conformatæ. Cur
igitur non licebit etiam dicere in impotente partem animæ eandem

circa id quod in deliberationem, cadit pro diuersa specie sub qua il-
lud obicitur, contrario modo affici motibus quidem ratione distin-
ctis, sed propter eiusdem animæ celeritatem vnum quodammodo fa-
cientibus? In quam rem scitum mihi esse videtur quod scribit Marsi-
lius Ficinus cap. 12. lib. 8. Theologia Platonica. Formæ contrario-
rum elementorum, inquit, dum sunt in materia, contrariæ inter se
sunt: quia pellunt se inuicem & interficiunt. In mente non sunt con-
trariæ: quia ibi non modò non pellunt se inuicem, sed & iungunt. Si-
mul quidem nostra mens habet contrariorum elementorum formas,
quando simul elementa considerat. Simul quoque comprehendit bo-
na & mala, vtilia & inutilia, pulchra atque deformia, lucem & tene-
bras, vocem atque silentium, dulce & amarum & reliqua: atque ex
cognitione alterius contrarij, sincerius iudicat alterum. Non igitur
est corporea: neque etiam proprie corruptibilis. Quippe quod cor-
rumpitur, vt plurimū corrumpitur à contrarijs. Quid autem esse po-
test menti contrarium, quæ tantam habet super contraria potestatem
vt ab ipsis auferat contrarietatem, & sua pace conciliet inimica? Ne-
que rursus corruptibilis est, quod à suis conseruatoribus disiungatur.
Nam si aliena & contraria alienis contrarijsque conciliat: multo ma-
gis se suis tum causis, tum seruatoribus adiuuet. Atque hoc modo
videtur explicari posse quod ex 4. de Rep. ad docendum partes animæ
re ipsa distingui, nonnulli firmissimum arbitrantur. Sed hoc magis
me mouet quod quo argumento Aristoteles cap. 21 lib. 3. de Anima
(consentiente etiam Platone in Theeteto) confirmat interiorem sen-
sum re vnicum in nobis esse: eodem mihi effici videtur, in anima tres
facultates quas initio ex Platonice proposuimus, vnitas esse earumq;
motus ad vnum commune principium esse referendas. Nam ille, quia
alba & dulcia singulæq; res quæ sensibus percipiuntur, collatas inter
se dignoscimus, atq; eas & differre à se inuicem & quò differant sensu
percipimus, concludit hoc vno sensu fieri oportere, cui verumq; ho-
rum, albū inquam & dulce, notum sit. Alioqui, inquit, perinde esset
ac si diceres cum huius ego, tu illius sensum habes, constare illa inter
se esse diuersa. At impotens & intemperans in se deprehendunt, vt opi-
nor, rationis motum & perturbationis, huncque ab illo differre &
quò differat. Quomodo autem hos duos motus inter se compara-
rent & differentes agnoscerent, nisi hi quancquam ex diuersis causis
orti, ad idem principium referrentur? Atque cum rationis & pertur-
bationis motus in vtròque illorum contrarij, sibi inuicem impe-
dimento sint, vniúsque horum intentio, alterius quædam sit re-
missio: videtur necessarium horum facultates ad idem principium
pertinere, in quo se ipsa contrarietate potius quam subiectorum



diuersitate, impediunt atque peruertunt. Idemque etiam ex eo intelligi potest quod cum ex tribus principibus facultatibus vna suam actionem maximè intendit, alterius munus remitti est necesse: nec potest quisquam cum valde irascitur aut dolet, attente simul contemplari, aut in sensuum functiones totus incumbere. Id vero cur non posset contingere si hæc ad principia, sua substantia distincta, pertinerent? Ergo quæ anima in nobis ratiocinatur, eadem reuera est fortasse quæ irascitur. Sed ratiocinari tum dicitur, cum rerum notiones inter se comparat, irasci autem, cum in sanguine spiritus exæstuant. Atque quoniam in cerebro sedes est notionum (illic enim fortasse apud Platonicos phantasia primum apparet, ex cuius imaginibus notiones vniuersæ excitantur) in corde vero fons illius sanguinis simul cum spiritu æstuantis: idcirco ratiocinandi facultas in cerebro sedem habere ab illis dicitur, irascendi in corde. Quanquam neque irascere nisi motus à ratione incipiens, in eandem redundaret. Nam cum in ira sit opinio acceptæ iniuriæ, quam sequitur in feruescente sanguine spirituum ad vindictam concitatio: ipsa iniuriæ acceptæ opinio, partis est animi in nobis superioris: sed plerumque errantis quia in eo ipsa suum iudicium præcipitat. Reliqua ex illo præcipiti iudicio exorta, in eandem rationem desinunt ideòque illam in agendo perturbant. Quod si in nobis triplex esset anima reipsa suæque sede distincta: querendum esset profecto quomodo homo in suis partibus triplici essentiæ forma constans, vnius speciei esse possit: aut quid sit quod illas tres animæ partes colligat atque contineat: cum de illis duæ inter se pugnare dicantur. Non certè ipsum corpus illas continet, quoniam vt Aristo. docet in physicis materia à forma continetur, potius quam hæc ab illa. Nec indiuiduum animal, quod est hoc aliquid, vnum numero dici posset quia vnam haberet formam essentiæ: sed tantum per suum corpus in quo connexæ & quasi colligatæ partes tres, in quibus distinctæ sedes trium principiorum specie & essentia differentium. Neque vero magis probabile videtur partes duas inferiores, ipsa ratione contineri: cum earum prior in qua naturales cupiditates insunt, nullo modo rationis particeps esse dicatur: altera in qua irarum ardor existit, rationi quidem aliquando pareat, sed ei suapte natura aduersetur. Neque magis dicendum est, quod tamen paulò ante indicaui D. Thomæ placere, fœtum primis diebus anima alente tantum informari, deinde aliquo tempore, interiecto nouam excitari sentientem, priorémque perire: ita tamen vt secunda hæc illius perfectionem in se contineat: itémque adueniente tertia, secundâ deleri, ne in eadem re duæ formæ manere videantur, sed hanc illarum duarum perfectionem in se habere: vt scilicet in vtero anima-

lis ex embryone primum animal, tandèmq; hominis ex animali procreatio, embryonis primum, deinde animalis sit interitus. Sic enim ille scribit prima secundæ, quæstione 118. articulo 2. Quod etsi petatum videri possit partim ex capit. 3. libr. 2. de animalium ortu, partim ex capit. 3. libr. 2. de Anima: tamen quia ex eiusmodi animali, id est sentiente tantum, homo rationis particeps fieri dicitur ipso animali quod prius erat, perente cedo illud animal in vtero conformatum sentiens tantum, nondum ratiocinandi facultate præditum, cuius tum erat speciei? An bellua: cum mortale esset & rationis expertus? Atqui ex bellua hominem fieri per se absurdum est. Et cum inter eiusmodi formas nulla sit contrarietas (sunt enim hæc nudæ simplicisq; substantiæ, nec adhuc affectæ qualitatibus, in quibus contrarietas consistit) quomodo vnius aduentu altera interibit, cum omnis interitus contrarij sit à contrario? Probabilius est quod à nobis alio loco dictum & ex problemate. 4. Sectionis 30. confirmatum, apud Aristotelem, sicut & fortasse apud Platonem, substantiam eandem esse animæ alentis, sentientis, & ratiocinantis. Non tamen hanc eodem tempore præstare ei quod animatur nutritionem, sensum & rationis vsum. Quoniam neque hæc quouis tempore in eo quod animatur simul necessaria sunt: neque ad hæc statim à prima conformatione corporea instrumenta suppetunt. Itaque quia quod in vtero est prius nutritione eget quam sensu, instrumentaque ad illam necessaria, quæ magis simplicia sunt quam quæ sensui subservire debent, prius habet à natura conformata & absoluta: ex eo quoque accidit vt fœtui prius anima alens, quam sentiens inesse videatur, etiam si vtriusque facultatis vnum & idem sit principium. Quemadmodum in fœtu iam in lucem edito haud dubiè anima re vna & eadem est quæ alendi, & quæ procreandi est principium, multo tamen tempore ille prius alitur, quàm possit procreare. Quia statim à prima origine illi inest calor ad coctionem alimenti nutritionemque sufficiens: at non item semen cum calore fœcundo: sine quo non potest procreare. Scio habere hoc maiorem dubitationem in ea animæ parte qua ratiocinamur, & intelligimus. De qua si recentiores Theologos sequimur in interpretatione eius quod Aristo. scribit cap. 3. libr. 2. de animalium ortu, solam mentem extrinsecus aduenire, nec huius actionem cum corpore comunicare, salua hæc nostra coniectura manere non potest. Sed animaduerto, quod etiam paulo ante significatum est, plerosq; veteres de eius origine dubitasse vel ex iis etiam nonnullis aperte satis indicasse eandem esse animæ ratiocinantis & sentientis essentiæ: sed hanc sentire in



corpore non sine huius partibus organicis, eandem vero à corpore separatam ex se ratiocinari libere & intelligere: quæ cum adhuc est in corpore, intelligendi principium ab hoc quodammodo capit & ab eodem grauitur impeditur. De quo si placet Iustinum Martyrem in explicandis his quæ à Gentibus erant proposita, quæstione 77. audiamus. Si sensuum corporis opera & adiumento (dicebant Gentes) eorum quæ sensilia sunt, sensum anima percipit, bona autem & mala sensu percipiuntur, quid afferri potest, quin anima cum à corpore migrat, sensu careat? Si non sentit, perspicuum est eam esse mortuam. Mortuos enim à viuis, sensus huiusque priuatio distingunt. Quod Iustinus ita explicat, Naturæ omnes, inquit, & quæ creatæ sunt & quæ rationis sunt participes, duplicem percipiendi vim habent, sentiendi vnam, alteram intelligendi: & ^{ἐννοητικῶν} quidem quæ dicitur, qua & se ipsæ & se inter se percipiunt: intelligendi autem, qua notitiam eius quod supra eas est. Non igitur corporis opera animæ ea percipiunt quæ sensilia sunt, sed anima ipsa præsentia sua sensum suppeditans & afferens, animantem sensus participem facit: & quodammodo ad corpus particeps est sensus, quodam autem modo ad se sensus est compos, nec vnquam anima moritur. Mors enim est eorum quæ animata sunt, non animæ. Opera igitur corporis eget id quod animatum est, ad ea percipienda quæ sub sensum cadunt, non anima. Aliud est enim id quod animatum est, aliud anima, & aliud id quod est participatione, aliud quod essentia. In quo facile est, opinor, videre essentiam eius partis in qua est sentiendi principium, ab illo immortalem statui, nec re distingui ab altera qua ratiocinamur & intelligimus. Ad quod etiam pertinet quæstio alia quam quidam in nostra religione proponunt. An statim in ipso conceptu, an cum fœtus conformatur, quod ferè quadragesimo die à conceptu dicitur accidere, anima humana infundatur. Quod si hoc tantum in ipsa conformatione dicatur accidere, mirum, inquit, carnes minime sale conspersas vix triduo contra putredinè defendi posse: massam verò sanguineam, in embryone siue anima (quæ in sue pro sale esse dicitur) ad dies quadraginta integram manere posse. Ex quo concludunt fœtum statim in hora conceptus omnino animari. Sed de his quæstionibus satis: Nunc Platonem cum Aristotele in ista distinctione partium animæ conferamus. Animam re vnam in corde, vt in centro sedem habere Aristo. docet cap. vltimo libr. 3. de anima, cap. 3. & 4. libr. 3. de partibus animalium, & cap. 2. libr. de somno & vigilia. Eiusdem vero facultates principes quasi distincta prima rerum animatarum genera facientes, tres aliquando ponit, alendi, sentiendi & ratio-

cinandi. Addit nonnunquam quartam mouendi loco, vel etiam quintam appetendi aut cogitatione aliquid fingendi. Quoniam hæc duæ posteriores in distinguendis animalium generibus ab ipso sensu non videntur separari. Quoniam nullum omnino est animal sentiens quod non appetendi & cogitatione aliquid fingendi facultate quadam sit præditum: etiam si hæc in nonnullis minus appareat. Galenus vero, qui in hac quæstione Platonius maximè videri vult, libris de placitis Hippocrati & Platonis, sicut & aliis locis multis, tres quidem primas facultates statuit atque has sedibus, sicut & Plato, distinguit: eiusque qua alimur (quam aliquando animæ, aliquando nudæ naturæ esse vult) principium in iecore statuit: vt in prima vltimi alimenti, id est sanguinis officina: Vitalis in corde, animalis in cerebro. In ceteris si is cum Platonis & Aristotelis diuisione conferatur: non facile erit cuiquam omni dubitatione se explicare. Naturalis quidem facultas quam ille in iecore statuit, ei respōdet quam in eodem Plato esse vult naturalium cupiditatum ad cibum & potum resque venereas pertinentium, principium. Eaque est quam Aristoteles altricem & nonnunquam procreatricem nominat cap. 4. libr. 2. de Anima: sed hanc ab ipso corde non separat. At vitalis quæ in corde à Galeno ponitur, quoniam etiam apud Aristo. vitalis & naturalis dici possit: vitalis quidem, quod principium omnis vitæ hic in corde esse velit, naturalis autem quod actiones ab illa manantes nobis liberæ non sint, nec in nostra potestate sitæ: maximè tamen hæc ex Galeni sententia distincta est ab illa quæ in iecore dicitur residere, & ab altera quam Plato in corde irascibilem nominauit. Nam vitalis facultatis quam in corde Galenus esse vult, actio in pulsu posita, animalibus propria est: nec ab iis alia attingit. Actio vero naturalis facultatis quæ propria iecoris, in eiusdem doctrina animalibus communis est cum omnibus plantis. Irascibilis facultas apud Platonem, sicut & ea qua cor sua vi dilatatur & contrahitur, ad sola quidem animalia pertinet: sed hoc interest, quod irascibilis facultas in homine rationis imperio regi potest: illa vero altera Galeno vitalis (quam distinguendi causa nominemus pulsatilem) rationis imperio nullo modo continetur. In quo non sine causa mirari possumus vitæ principium à Galeno cordi denegari, vitalis tamen facultatis primam sedem ab eodem in corde poni: & plantis vitam tribui cum omnibus animalibus communem, illis tamen solam concedi naturalem facultatem, vitalem non item. Quid enim? An plante viuunt sine vitalis facultatis munere? aut huius facultatis munere fruuntur, facultate vero ipsa carebunt? Nec minus fortasse durum est quod animalis facultatis sedem absolutè in cerebro esse vult:

Nihil vero in hac prima facultatum diuisione constituit deira scibili quam in eadem diuisione Plato comprehendit. Quæ animalis esse videtur, quia animalium non minus est propria quam ipse sensus: & tamen à Platone non in cerebro, sed in corde posita. Quanquam de ipsa sede hoc aliam quæstionem habet, an si anima in certa corporis parte, siue vna, siue multiplici, sedem habere dicatur, ea non sit futura tota in toto corpore, nec tota in qualibet eius parte, aut si apud Aristot. hæc in corde est, num sit consequens solum cor per animæ essentiam esse animatum, reliquas vero partes per virtutes tantum & facultates ab illa substantia in corde residente, cum spiritu effluentes? Hæc mihi, repugnante tamen Iulio Scaligero in exercitationibus contra Cardanum, Aristotelis sententia esse videtur. Quoniam libro de mundo ad Alexandrum, Deum sic substantia & loco circumscribit: quem tamen sua virtute vult omnia regere. Augustus, inquit, decentiusque id existimandum est Deum in summo loco ita esse collocatum, vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem Lunamque moueat, tum cælum omne circumagat simulque causam præbeat eorum quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. Et de ipsa Anima hoc ipsum quod dicimus idem sic confirmat libro de animalium motu. Non est necesse, inquit, in quocunque membro inesse animam: sed quia in quodam corporis principio est, cætera viuunt necessario, quod coherent: suis autem munitibus natura duce funguntur. D. Thomas cap. 72. lib. 2. contra Gentiles, fatetur hanc fuisse Aristotelis sententiam: Nobis tamen ex D. Augustino lib. 6. de Trinitate, lib. de Animæ quantitate & epistola 28. tenendum, animam sua essentia vnâ totam esse in toto corpore & totam in qualibet eius parte. Quoniam, inquit, sua essentia perfectio indiuidua est. Quare nisi tota secundum essentiam in qualibet parte animata esse non potest. Facultatibus tamen variè diuiditur & secundum eas in variis partibus quæ illis subseruiunt, varia esse dicitur: vt in oculo facultas videndi, in auribus audiendi. In corde tamen sedem habere dici potest: quia in eo effectus animæ primi sunt maximèque necessarij. In quam sententiam multa ab eodem acutissime dicta sunt in opere de quæstionibus disputatis, articulo 4. quæstionis vnice de spiritualibus creaturis, & articulo 10. quæstionis vnice de anima. Sic vero & Deum in cælo poni, scribit D. Hieronimus Commenta. in Esaiam. Quod dicitur Deus in cælo esse, inquit, non est Iudaico more accipiendum, vt Deus villo claudatur loco & in cælo tantum habitet, qui vbique diffusus est, & à quo omnia continentur: sed excelsa & cælos meritò intelligamus sanctos atque virtutes. Origenes capit. 1. libro. 1. de principiis, obser-

uat cor in Sacris literis pro mente & intelligendi virtute sæpe usurpari. Et Tertullianus libro de Anima, multa colligit quibus pro Aristotele docere conatur principem animæ partem esse in corde. Diuus autem Hieronymus in epistola ad Fabiolam, de hac quæstione sic pronuntiat. Plato animæ principatum in cerebro esse ait: Christus in cordis pectore. In quo Diuo Hieronymo aduersatur Gregorius Nyssenus cap. 12. lib. de Creatione hominis. Credendum est, inquit, mentem æqualiter membra singula iuxta ineffabile temperamentum rationis attingere. Et si scripturam nonnulli ad hoc proferunt, quatenus principale hominis in corde esse testentur, non id debemus inexplorata ratione percipere. Qui enim cordis meminit, & renes asseruit, dicens: Scrutans corda & renes Deus. Ita in vtroque, aut neutro hoc intellectuale hominis licebit includi. Et cap. 13. His, inquit, qui mentem localibus includunt partibus, & ad demonstrationem opinionis suæ proferunt, quod non prosperetur intellectus eorum quibus contra naturam, cerebri membrana vexatur, ostendit ratio quod per omnes partes humanæ conformationis, sicut aptum est vnumquodque membrum, naturaliter operetur. Similiter autem vis animæ præter efficientiam subsistit, cum aliqua pars corporis in natura non permanet. Et propter hæc oblata est sermoni nostro proposita consequenter inspectio, per quam discamus in hominis constructione, à Deo quidem gubernari mentem, à mente verò materialem vitam nostram contineri, cum in natura persistit. Si verò à natura discesserit, etiam cooperatione mentis eam priuari necesse est. Idemque capite decimo quinto, animam re & substantia in nobis esse vniam, facultate verò multiplicem, ita pronuntiat. Notandum est, inquit, quod vna vis est tantummodo vitalis, altera verò sentiendi, tertia ratiocinandi, & intelligendi. Sed nemo per hæc existimet tres animas in hominis conformatione, propriis circumscriptas esse limitibus, & velut ex pluribus eam credat esse cõflatam, cum vera & perfecta vna sit anima, naturaliter spiritualis & intelligibilis, quæ per sensus miscetur materiali substantiæ. Sed de his satis, nunc ad reliquam comparationis institutæ partem veniamus. Alcinoüs ad confirmandam partium in anima, distinctionem argumenta quatuor colligit hoc capite. Quorum primum tantum efficit in hac istiusmodi facultates ratione esse diuersas, propter munerum varietatem, & obiectorum circa quæ hæc versantur. Secundum ducitur à rerum animatarum generibus, secundum has facultates, siue partes, distinctis. Tertium ex pugna quæ inter harum facultatum munera existit: quod ex 4. de Rep. Platonis desumptum est. Quartum ex eo quod vitia animæ non omnia eodem modo corriguntur: nec in

omnibus facultatibus eadem est huius institutio. In primo inter Platonem & Aristotelem consentanea sunt omnia. Siquidem Peripatetici concedunt, non modò principes animæ facultates, harumque actiones, natura, id est, ratione essentia esse distinctas: sed in vna & eadem facultate sentiendi, aspectum ab auditu sic volunt esse diuersum, vt etiam si vtriusque vnum & idem sit principium, nempe ipsa anima sentiendi, non possit tamen hoc vna eademque ratione simul audire, aliquid & hoc idem vel aliud ab eo videre: quemadmodum colligi potest ex cap. 7. libri de Sensu. In secundo Aristoteles quoque res animatas pro varietate facultatum, ita distinguit cap. 3. lib. 2. de Anima, vt in nonnullis omnes has inesse doceat, in aliis aliquas, in quibusdam vnam tantum. Vnde apud hunc tres principes tantum huius facultates enumerari solent, alendi, sentiendi, & ratiocinandi, quæ manifestè reperiuntur in distinctis tribus generibus rerum animatarum, plantarum scilicet, belluarum & hominum. De quarta, mouendi loco, apud eundem quæstio est, sicut & de his quæ Zoophyta nominantur, ad quorum rerum animatarum genus debeant reuocari. Sed hoc inter eosdem interest, quòd in quibus rebus animatis omnes facultates insunt, hæc apud Aristotelem vnam & eandem sedem habent in corde: apud Platonem verò diuersas: nempe vna in cerebro, altera in corde, tertia in iecore. Quæ inde partes tres principes, reliquum corpus regentes, aliarumque principia à Galeno nominantur in arte parua. Ex quo potest intelligi, cur ab eodem ventriculus (de quo nonnulli dubitant, propter muneris præstantiam in prima alimenti coctione) inter principes partes non numeretur. Nempe quòd in hoc nullius principis facultatis animæ primaria sedes sit. Addidit verò Galenus eodem libro, superioribus partibus etiam testiculos: quoniam in his facultatem procreandi residere vult: atque idcirco de horum comparatione, cum corde multa contra Aristotelem disputat cap. 12. lib. 1. de Semine, sed leuissimis certè rationibus: quæ à nobis accuratius considerabuntur Commentario in partem posteriorem descriptionis Physiæ. Iam verò de tertio argumento, Plato & Aristoteles in eo consentiunt, quòd vterque affectus animæ plerumque rationi contrarios arbitrat (nam & in eis reprimendis, virtutum moralium laudem sitam esse Aristoteles scribit in Ethicis.) sed hoc inter illos quæstionis est, an propter motuum in illis contrarietatem, facultates quoque ad quas eiusmodi motus pertinent, primis sedibus oporteat esse distinctas. De institutione, & diuersa duarum partium vel facultatum conformatione, à qua postremum argumentum petitum est, in eo Aristoteles Platoni assentitur, quòd earum duplicem perfectionem siue virtutem esse vult, quarum vnam morum, alteram intellectus appel-

lat: priorèmq; consuetudine agendique more parari, posteriorè doctrina & præceptis contineri ostendit libr. 2. Ethic. Sed in hoc non arbitrat satis esse virium ad efficiendum quòd volunt Platonici, illarum scilicet facultatum ad quas eiusmodi virtutes pertinent, sedes re oportere esse distinctas.

2 De hoc pulmonum vsu. sic Plato loquitur in Timæo, Cum Dij cognosceret, inquit, cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira sæpius flagraturum, idque opus omne per ignem fore, ætus eiusmodi temperandi gratia, pulmonum tegmen cordi adhibuerunt, molle primum & exangue, deinde cauis extrinsecus fistulis spongiæ instar distinctum, vt spiritu potius hausto, cordis ardorem, eiusmodi respiratione ac refrigerio tepesciat. Quam ob causam arterias tanquam aqua ductus, per pulmonum substantiam deriuarunt, eamque cordi quasi mollem saltum circumdedere, vt quando nimia feruet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferueat, sedatoque tumultu, rationi facilius cum ira ministrare, & obsequi valeat. Vidit quidè hoc etiam Aristoteles, calorem scilicet eum qui in corde sedem habet, refrigerio indigere, ne in igneum conuertatur, atque sanguineis animalibus, quæ extra aquas viuunt, in hunc vsu Pulmones esse datos scripsit cap. 4. libr. de Respiratione. Sed præterea addidit cap. 7. libr. 2. de Partibus animalium, idem cordi ab ipso cerebro præstari. Aduersus cordis sedem & calorem, inquit, cerebrum natura mollita est, & ea de causa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens terræ & aquæ communem: atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent, ex cæteris nullum ferè, nisi per proportionem, vt Polyus. Parum enim caloris obtinet omne id genus, propter sanguinis priuationem. Cerebrum igitur calorem feruorèmq; cordis moderatur, & temperiem affert. Quod in eo Galenus reprehendit cap. 3. lib. 8. de Vsu partium. Aristotelem non possumus non valde accusare, inquit, qui cum ea quæ ex anatome apparent, non neglexerit, in eorumque utilitate sit exercitatus, ipseque tradiderit problematum alia quidem solutionem postulare, alia verò supplicium, alia sensum: inuenitur tamen postea ipse neque iis quæ sensibus apparent credere, neque sui ipsius memor. Nam tactus noster calidius inuenit cerebrum, quam ambientem nos aërem. Ille verò caloris ipsius cordis refrigerandi gratia ipsum extitisse confirmat: sui ipsius immemor, qui respirationem huius rei gratia paratam esse dixerit.

3 Hoc copiosius & apertius Plato sic exprimit in Timæo. Quoniam videbat Deus, inquit, partem hanc animæ talem fore, vt rationem non exaudiret, & si quo sensu pulsaretur, nullomodo rationibus obtemperaret, sed simulachris, visisque nocte dièque maximè raperetur: idcirco naturam iecoris procreauit, & in eius habitudinem disposuit, densam inquam naturam, lenem, claram, dulcem, & amaritudinis non expertem: vt cogitationum ex mente descendens potentia, in ipso iecore velut in speculo figuras suscipiente, aspectuique simulachra redente, quandoque recepta terreat ipsum, quandoque cognata amaritudinis parte vsa, minasque intendens, & toti iecori repente suffusa, felleos, terribilisque colores ostēter: contrahens præterea ipsum rugosum & asperum totum reddat: ac fibras eius, bilem, eiusque ventriculum, & venas quæ porte vocantur, sic afficiat, vt partim ex habitu recto defectens ac contorqueus, partim obstruens & concludens, dolores detrimentaque præbeat. Ac rursus quando mansuetudinis ex mente inspiratio contraria visa effingit, amaritudinem quidem sedans ex eo

quod aduersam sibi naturam neque cedere, neque attingere velit, dulcedine verò illi ingenita vtens, & omnia recta, lenia, libera in ipso digerens, tunc sanè pacatam mansuetamque partem animæ in iecore habitatem facit. Adeo vt etiam in somno moderate affecta sit, vaticinioque vtatur, quando rationis prudentiæque est expertus. Qui enim nos composuerunt, paterni illius mandati memores quo mortale genus præceperat, quàm optimum pro viribus fieri, ita deteriore no-
stri partem insituerunt, vt ipsa quoque veritatis foret quodammodo particeps. Siquidem in ea expleri vaticinium statuerunt. Quod autem dementia humanæ Deus diuinandi vim dederit, illud argumento esse nobis potest, quod nemo dū sanæ mentis est, diuinum & verum vaticinium vllum assequitur, sed cum vel somno vis prudentiæ præpedita est: vel oppressa morbo, vel diuino aliquo raptu è suo statu dimota, fieri diuinatio solet. Prudentis verò duntaxat officium est, quæ à fatidico furentæque ingenio, dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere: & quæcunque visa illuxerint, ratiocinatione ita discernere, vt qua quicque ratione, & cui futurum aliquid vel præteritum, præsentive bonum vel malum protendere videatur, explanet. Quod autem hic Alcinoi ex illo loco commemorat de iecoris amaritudine & dulcedine, ad id referendum esse videtur, quod in ea parte prima est quatuor humorum generatio: de quibus vtraque bilis amara est, pituita verò & sanguis dulcis. Vel fortasse quod dulcium antecedente perceptione in iecore naturalium cupiditatum sede, appetentia excitetur, sicut & amarorum sensu, eorundem fuga. Pro illis autem quatuor humoribus in humano corpore variè dominantibus, varia quoque insomnia solent contingere. Siquidem in biliosis ferè turbulenta sunt, in pituitosis meticulosa, in melancholicis tristia, in sanguineis iucunda. Ideoque ex insomniorum obseruatione de humore in corpore dominante, cum aliqua probabilitate iudicamus. Vt si quis per somnum incendium videat, eum flaua bile infestari: si verò fumum aut caliginem, aut densas tenebras, atra bile grauari: sicut si imbres somniet, in eo frigida & humida abundare. Nam vt ait Galenus libro de Præfagiis ex insomniis, videtur anima in somniis profundum corporis ingressa, externis relictis sensibus, ea quæ corporis sunt dispositionis sentire, & nonnunquam etiam omnibus quæ cupit tanquam præsentibus, per imaginationem frui. Vt cum quis sitibundus somniat se inexplebiliter bibere, aut famelicus se insatiabiliter edere: aut qui semine abundat, se Veneri indulgere. Imò cum motus humorum in corporibus initio leues sunt, nec adhuc morbos pariunt, in somniis magni apparent, eoque morbos ex illis nascentes denunciant, vt ab Aristotele significatum est, cap. 3. libro de Diuinatione per somnum. Dicunt clarissimi Medici, inquit, obseruanda esse somnia diligenter. Quod cum omnes qui arte quauis præditi sunt, existimare debent, tum vel maximè ij quibus aliquid propositum est ad considerandum, quique philosophantur. Motus enim qui interdum existunt, nisi permagni sint, & vehementes, à maioribus qui vigilantibus incidunt, obscurantur. Quod contra fit in somno, in quo per exigui magni esse videntur. Idque sæpe numero in iis quæ dormientibus vsuueniunt, animaduerti licet. Hi enim & fulminasse & tonuisse putant, cum soni exigui eorum aures pulsant ac feriunt: & mellis aliarumque rerum dulcium se succum percipere, cum leniter pituita distulit, & per ignem ambulare, magnoque calore affici, cum calor exiguus eorum partem occupat. Quæ quidem omnia cum excitati sunt, ita se habere intelligunt. Ita fit, vt quoniam omnium rerum parua sunt initia, perspicuum sit morborum etiam esse, aliarumque affectionum quæ in corporibus posteris temporibus existunt. Quo loco quod ex Medicis Aristoteles commemorat, id ex Hippocrate

desumptum videri potest. Quanquam illum non nominat: quemadmodum neque in aliis permultis Physiologiæ partibus, in quibus eiusdem doctrinam sequitur, vel etiam nonnunquam exagitat. Eadem enim fere Hippocratis sententia est libro de insomniis. Diurnas actiones, inquit, si in nocte transmittat cogitatio, reddatque in somnis ea quæ interdum honesto in negotio, aut opera, aut consilio patrata sunt: id homini bonum est. Sanitatem enim significat, propterea quod anima in diurnis consiliis perstat, neque repletionem, neque inanitionem vitata est, aliare re quæ extrinsecus solet euenire. At cum diurnis functionibus somnia aduersantur, ita vt inter ipsa non conueniat: iudicatur corporis perturbatio. Itaque ex forti, forte malum portenditur, ex debili imbecillum. Vtrum vero res hæc sint auertendæ nec ne, non est consilium iudicare: sed hominis corpus curandum esse statuo. Cum enim corpus plenius est, quod superfluum est, animæ negotium facessit. Igitur id quod aduersatur si validius sit & vomitus confert, & leniorum ciborum vsus, ad diem quintam vsque: tum deambulatio post cibum frequens atque cõcitior, moderatæque præterea exercitationes. Quod si minus validum sit id quod oppugnat, omisso vomitu tertiam demito ciborum partem. Quam viuendi rationem in dies item quinque promouero: deambulationibus vigetio: vocis vtitor contentione: diis immortalibus vota cõcipito, atque ita sedabitur perturbatio. Atque hæc quidem naturaliter & medicè in somniis ab Arist. & Hippoc. sunt obseruata. Neque vero apud Platonem in omnium somniorum interpretatione diuinandi vis inest: sed, vt ait initio lib. 9. de Rep. cum quis recte moderatèque habens, quieti se tradiderit, ea parte animi in qua est ratio, exciata & erecta, saturatæque bonarum cogitationum epulis & ad seipsam contemplando conuersa: ea vero quæ voluptate alitur, nec inopia pressa, nec satietate affluenti, vt quiescat maximè, neque optimam partem illam, aut gestiando, aut merendo perturbet, sed sinat eam per se ipsam solam ac puram considerare, indagare, atque percipere quicquid ignotum hætenus vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum: illa etiam parte animi in qua irarum æstuat ardor, sedata atque restincta vsque adeo, vt nulli infensa quiescat: atque ita, inquam pacatis duabus partibus, mente vero erecta, somno se comparet, tunc demum mens pura veritatem attingit, neque insomniorum visa nefaria se obiciunt. Hæc verò quia diuinitatis multum habere videntur, à deo, vel à demoniis immitti Platonicis crediderunt. Quod Hippocrates quoque probauit eodem libro. At hoc Aristoteles improbat libro de diuinatione per somnum. Deum esse qui somnia immittat, inquit, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum est, & dei maiestate indignum eum illa non optimis viris, nec prudentissimis, sed quibusuis mittere. De quo vide multa apud Synesium libro de Somnij.

4 De Liene sic Plato in Timæo, quando propter corporis morbum foribus iecur abundat, lienis raritas id purgans, eam combibit, cuius membrum hoc concauum sit & exangue: vnde purgamentis impletum excrescit tumetque sanie. Ac rursus cum mundatum corpus est restrictum in se ipsum confidet. De eiusdem vsu morbisque qui accidunt cum suum officium non facit, hæc Aristoteles scribit capite septimo libro tertio. De partibus animalium, Lien vapores vagantes diuertit & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos potest, vt qui sanguineus sit. Quod si plus excrementi sit parumque caloris ha-



beat lien, corpus præ alimento immodico languescit & propter hoc conflu-
uium huc humoræ, sepe accedit, vt lienosis ventres præduri efficiantur: quo
modo iis qui supra modum mingunt, ex diuerticulo humoris. Quibus consen-
tanea sunt quæ de eadem parte pluribus explicat Galenus. 6. De locis affectis &
libro de atrabile.

FINIS TOMI PRIMI.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





OCAR
Plato
in vi